UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Biennii Peripatetici

Complectens Quæstiones Logicales Una Cum Institutionibus Dialecticis Ad Antiquorum Recentiorumque Mentem Resolutas, Nec Non Juxta Modernam Scholarum Peripateticarum Methodum Elaboratas & Explicatas

Kretz, Marquard

Herbipoli, 1749

urn:nbn:de:hbz:466:1-52248

Visual Library


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

GI 92.
~~Ps 8,10.~~

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



Typis Jo. Jacobi Christophori Kleyer, Univ. Typ.


Cartesii Stemma Gentilitium
Series Cartesiana Substantiæ
Substantia
Corporea
Spiritalis
Corpus
Spiritus
Cœlum Terra &c.
Deus
Animal
Mens humana
Planta
Angelus
Bellua
Homo
Anima post mortem
Substantia
Quanti tas
Mens. Mensura. Quies. Motus. Positura. Figura.
Hirco cervus
Passio.
ubi
Sunt quæ nostra cognitionem effugiunt, cordia rerum.
Chimera.
Aristoteles
Democritus
Plato



BIENNII PERIPATETICI

TOMUS I.

COMPLECTENS

QUÆSTIONES LOGICALES

UNA CUM

INSTITUTIONIBUS DIALECTICIS

AD

ANTIQUORUM RECENTIORUMQUE MENTEM RESOLUTAS,

NEC NON JUXTA MODERNAM

SCHOLARUM PERIPATETICARUM METHODUM ELABORATAS & EXPLICATAS

à

R. P. MARQUARDO KRETZ

Societatis JESU,

AA. LL. & Philoſ. Magiſtro, ejusdemque in Alma Herbipolenſium Univerſitate Profeſſore Publico & Ordinario.

CUM PERMISSU SUPERIORUM.

Anno Domini MDCCXLIX.

HERBIPOLI,

Typis Jo. Jacobi Chriſtophori Kleyer, Univ. Typ.

10 06
HLG
1223-1

Universitäts-Gesamthochschule
Bibliothek
Paderborn

81/2 6474

ELENCHUS.
PROLEGOMENA LOGICÆ.

Articul. I. *De natura & divisione Logicæ.* fol. 4
Articul. II. *De genere Logicæ.* fol. 7
§. 1. *An Logica sit virtus intellectualis?* fol. 7
§. 2. *An Logica sit Ars?* fol. 13
§. 3. *An Logica sit scientia, & an practica, an speculativa?* fol. 17
Articul. III. *De differentia Logicæ.* fol. 36
§. 1. *An Intellectus sit objectum materiale Logicæ?* fol. 38
§. 2. *An res sint objectum materiale Logicæ?* fol. 41
§. 3. *An voces sint objectum materiale Logicæ?* fol. 46
§. 4. *An tres mentis operationes sint objectum materiale Logicæ?* fol. 50
Articul. IV. *De objecto formali Logicæ.* fol. 60
§. 1. *An ens rationis sit objectum formale Logicæ?* fol. 61

§. 2. *An Dirigibilitas, aut directivitas sit objectum formale?* fol. 66
§. 3. *An, & quæ rectitudo sit objectum formale quod?* fol. 69
Articul. V. *De Objecto attributionis.* fol. 76
Articul. VI. *De proprietatibus & causalitate Logicæ.* fol. 81
§. 1. *An & quomodo Logica sit una?* fol. 81
§. 2. *An Logica Docens & Utens distinguantur realiter?* fol. 84
§. 3. *An & quomodo Logica necessaria sit ad comparandas scientias alias?* fol. 89
§. 4. *Quomodo Logica ad actus aliarum scientiarum concurrat?* fol. 98

TRACTATUS I.

De Logica Apprehensiva.

DISPUTATIO I.

De Unitate, Identitate, Distinctione & Præcisione.

Articul. I. *De Unitate & Identitate.* fol. 104
§. 1. *Quid sit Unitas?* fol. 104
§. 2. *Quid sit Identitas?* fol. 106
Articul. II. *De distinctione reali.* fol. 109
§. 1. *An Distinctio realis formaliter consistat in entitate absoluta absolutè spectata?* fol. 111
§. 2. *An formaliter consistat in negatione?* fol. 113
§. 3. *An formaliter consistat in modo superaddito?* fol. 115

§. 4.

§. 4. *An consistat in relatione alietatis?* fol. 118
Articul. III. *De Distinctione Rationis.* fol. 122
§. 1. *An detur Distinctio Rationis?* fol. 124
§. 2. *In quo consistat?* fol. 130
Articul. IV. *De Distinctione graduum metaphysicorum.* fol. 132
§. 1. *An gradus metaph. distinguantur realiter?* fol. 133
§. 2. *An distinguantur formaliter ex natura rei?* fol. 137
§. 3. *An distinguantur distinctione virtuali majore?* fol. 146
§. 4. *An distinguantur distinctione rationis ratiocinatæ?* fol. 154
§. 5. *An distinctio rationis fiat per præcisionem objectivam, an formalem?* fol. 157

DISPUTATIO II.

De Universalibus in genere.

Articul. I. *De Essentia universalis.* fol. 178
Articul. II. *De Universali à parte rei.* fol. 181
§. 1. *An universale detur à parte rei?* fol. 181
§. 2. *An detur universale Platonicum?* fol. 185
§. 3. *An detur universale Nominalium?* fol. 188
§. 4. *An detur universale Fonsecæ & Cajetani?* fol. 191
§. 5. *An detur universale Scotistarum & Respectivistarum?* fol. 194

Articul. III. *De causa efficiente universale.* fol. 201
§. 1. *An universale fiat per intellectum?* fol. 202
§. 2. *Quomodo universale fiat per intellectum?* fol. 206
§. 3. *An universale fiat per actum Comparativum?* fol. 219
Articul. IV. *De actuali prædicatione & affectionibus universalis.* fol. 223
§. 1. *An universale in actuali prædicatione maneat?* fol. 223
§. 2. *Quæ sint affectiones universalis?* fol. 238

DISPUTATIO III.

De Universalibus in specie & Individuo.

Articul. I. *De numero prædicabilium, eorumque univocatione.* fol. 243
§. 1. *Quot sint universalia?* fol. 244
§. 2. *An universale ùt sic respectu quinque universalium sit univocum?* fol. 251
Articul. II. *De Genere.* fol. 253
§. 1. *Quid sit Genus & quotuplex?* fol. 255
§. 2. *An Genus salvari possit in unica specie?* fol. 260
§. 3. *Quomodò genus tum de speciebus, tum de individuis prædicetur?* fol. 262
Articul. III. *De specie.* fol. 267
§. 1. *Quid sit species & quotuplex?* fol. 268
§. 2. *An species salvari possit in unico individuo?* fol. 272

Articul.

Articul. IV. *De Differentia.* fol. 277
§. 1. *Quid & quotuplex sit differentia, & quo respectu sit tertium universale?* fol. 278
§. 2. *An differentia inferior formaliter includat superiorem, vel genus?* fol. 283
Articul. V. *De Proprio & Accidente.* fol. 291
§. 1. *Quid & quotuplex sit Proprium, & respectu quorum sit quartum universale?* fol. 291
§. 2. *Quid & quotuplex sit Accidens, & respectu quorum sit quintum universale?* fol. 295
Articul. VI. *De Individuo.* fol. 299
§. 1. *Quid & quotuplex sit individuum, & quodnam sit principium individuationis?* fol. 300
§. 2. *An ab Individuis abstrahi possit ratio communis & univoca?* fol. 302

DISPUTATIO IV.

De Ante-Prædicamentis.

Articul. I. *De Univocis, Æquivocis & Analogis.* fol. 305
§. 1. *Quid & quotuplicia sint Univoca?* fol. 305
§. 2. *Quid sint Æquivoca, quid Analoga?* fol. 309
Articul. II. *De Denominativis & Concretis.* fol. 314
§. 1. *Quid sint Denominativa, & quotuplicia?* fol. 314

§. 2. *Quid & quotuplex sit concretum?* fol. 317
§. 3. *Quid concreta in Recto importent, quid in Obliquo?* fol. 319
§. 4. *Quomodo concreta multiplicentur, & de se invicem, nec non de abstractis prædicari possint?* fol. 327
Articul. III. *Variorum adhuc Terminorum explicatio.* fol. 329

DISPUTATIO V.

De Prædicamentis.

Articul. I. *De iis, quæ circa prædicamenta in genere expendenda sunt.* fol. 335
Articul. II. *De Substantia.* fol. 348
Articul. III. *De Quantitate.* fol. 350
Articul. IV. *De Qualitate.* fol. 353
Articul. V. *De Relatione.* fol. 356
§. 1. *Quid & quotuplex sit Relatio?* fol. 356
§. 2. *In quo physicè consistat Relatio?* fol. 361
§. 3. *De Reliquis ad Relationem spectantibus?* fol. 375
Articul. VI. *De reliquis Prædicamentis.* fol. 379

DISPUTATIO VI.

De Post-Prædicamentis.

Articul. I. *De Oppositione Terminorum.* fol. 382
Articul. II. *De modis Prioris & Posterioris?* fol. 395
Articul. III. *De modis simul, speciebus motûs, & modis habendi.* fol. 397

TRA-

TRACTATUS II.

De Logica Judicativa.

DISPUTATIO I.

De Signo, Voce, Nomine, & Verbo, De Termino Dialectico, ejusque affectionibus.

Articul. I. *De Signi Natura, Divisione, & vi significativa.* fol. 402

Articul. II. *De Vocibus, earumque significatione.* fol. 407

Articul. III. *De Nomine, & Verbo.* fol. 416

Articul. IV. *De Termino Dialectico, ejusque affectionibus.* fol. 420

§. 1. *Quid sit Terminus, & quotuplex?* fol. 421

§. 2. *Quid sit suppositio, & quotuplex, & quæ ejus Regulæ?* fol. 424

§. 3. *Quænam sit notio reliquarum affectionum.* fol. 440

DISPUTATIO II.

De Propositionibus.

Articul. I. *De Propositionis Natura, & Divisione.* fol. 444

Articul. II. *De Veritate, & Falsitate Propositionum.* fol. 454

§. 1. *Quid sit veritas, quid Falsitas?* fol. 455

§. 2. *An veritas sit actui essentialis?* fol. 458

§. 3. *An unus actus possit esse verior, vel falsior altero?* fol. 462

§. 4.

§. 4. *An actus de vero in falsum transire possit?* fol. 466

§. 5. *Quænam sint Regulæ ad dignoscendam veritatem, & falsitatem propositionis?* fol. 469

Articul. III. *De Oppositione Propositionum.* fol. 476

§. 1. *Quid & quotuplex sit propositionum oppositio?* fol. 476

§. 2. *Quæ sint leges oppositarum simplicium?* fol. 478

§. 3. *Quænam circa oppositionem compositarum propositionum notanda?* fol. 486

§. 4. *An Propositionum contradictoriarum de futuro contingente, una sit determinatè vera, & altera determinatè falsa?* fol. 489

Articul. IV. *De conversione, & Æquipollentia.* fol. 496

DISPUTATIO III.

De Judicio, ùt est secunda mentis operatio?

Articul. I. *De judicii interni essentia.* fol. 501

Articul. II. *Inquiritur, utrum Judicium sit actus Intellectus, an voluntatis?* fol. 506

Articul. III. *De fontibus, ex quibus errores in judicia nostra profluunt.* fol. 510

TRA-

TRACTATUS III.

De Logica Discursiva.

DISPUTATIO I.

De Discursu in genere.

Articulus I. *Quid, & quotuplex sit discursus?* fol. 514

Articul. II. *De Essentia discursus formalis; prout est tertia mentis operatio.* fol. 516

Articul. III. *An, & quomodò præmissæ necessitent intellectum ad inferendam conclusionem?* fol. 519

Articul. IV. *An ad assensum conclusionis requiratur cognitio reflexa de bonitate consequentiæ?* fol. 527

Articul. V. *An conclusio formaliter, & intrinsecè attingat objectum præmissarum?* fol. 529

DISPUTATIO II.

De Syllogismo, ejusque Regulis.

Articul. I. *De Principiis intrinsecis Syllogismi.* fol. 537

Articul. II. *De principiis directivis Syllogismorum.* fol. 540

§. 1. *Quænam sint principia directiva lumine naturæ nota?* fol. 540

§. 2. *Quænam sint regulæ generales Syllogismorum simplicium?* fol. 542

§. 3. *Quænam sint speciales cujuslibet figuræ Regulæ?* fol. 555

§. 4.

§. 4. *Quænam sint peculiares Syllogismorum compositorum, ac Expositorii Regulæ?* fol. 557
§. 5. *Quænam sint Regulæ Bonæ consequentiæ?* fol. 565
Articul. III. *De Principiis perfectivis Syllogismorum.* fol. 570

DISPUTATIO III.

De Demonstratione, & Scientia.

Articul. I. *De Demonstrationis essentia, & Divisione.* fol. 575
Articul. II. *De Præmissis demonstrationis.* fol. 577
Articul. III. *De circulo in Demonstratione.* fol. 583
Articul. IV. *An scientia, fides, & opinio stare simul possint in eodem intellectu, circa idem objectum?* fol. 585
Articul. V. *An idem actus possit esse scientiæ, fidei, & opinionis?* fol. 589

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PROOEMIUM.

PHiloſophia à græco φίλος amor, & σοφία Sapientia, nomen hauſit, id quod Pythagoras primitùs inveniſſe fertur. Cùm enim ambitioſum ſapientis vocabulum, quo Græcia literatos ſuos jactabunda inſigniebat, faſtidiret, maluiſſetque ſapiens eſſe, quàm nuncupari, ab amore ſtudióque ſapientiæ nomenclationem ſibi impoſuit: quam Pythagoræ modeſtiam erudita deinceps poſteritas imitata, quotquot ſapientiæ Profeſſores ſubſecuti ſunt, eos Philoſophi nomine cohoneſtavit.

Definitiones Philoſophiæ varii varias excogitârunt: Plato eam mortis affectum appellavit; non quidem quod à corpore animam divellat, ùt erroneè Cleombrotus ſenſit, propterea ex alta ſe turri præcipitem agens; ſed quod à vitiis animum, intellectum ab errore, à pravis cupiditatibus ſenſus avocet, ſecernat. Alii Philiophiâ utuntur ùt animi medicinâ, alii eam ùt artium progenitricem venerantur, alii ùt donum imitationemque Deorum deprædicant, ex-

tollunt: ſed hæc Rhetorum potiùs pigmenta ſunt, quàm definitiones Philoſophorum. Hi enim magis ſoliciti, ut Philoſophiæ naturam explicent, quàm ut ejus ornamenta congerant, illam *rerum omnium humanarum divinarumque cognitionem* dicunt, vel ex Ariſtotele cum Damaſceno eam ſic definiunt: *Eſt eorum, quæ ſunt, prout ſunt, cognitio.* Igitur Philoſophia quoad rem conſiderata res naturales omnes earumque cauſas rimatur. Objectum ejus ſunt omnes res naturales. Pro ſubjecto, causâ materiali & efficiente intellectum ritè aſſignaveris; hic enim cognitiones philoſophicas elicit, ſæpius eliciendo philoſophicam ſcientiam acquirit, hancque ipſam ex ſe elicitam in ſe recipit. Pro fine primario reſpicit cognitionem veritatis; pro ultimato Deum ipſum omnis veritatis authorem ſibi præfixum habet. Præter *Matheſin*, quam aliis explanandam relinquo, complectitur partes adhuc quatuor præcipuas: *Logicam*, *Phyſicam*, *Metaphyſicam*, *Ethicam.* Phyſica rurſus ſubdividitur in *Univerſalem*, *Particularem* & *Animaſticam.* Partes has ad majorem Dei gloriam, & tuam, Lector benevole, eruditionem tomulis 5. explicare aggredior.

PHI-

PHILOSOPHIÆ
PARS PRIMA,
SIVE
LOGICA.

QUi bene distinguit, bene docet: proverbium est literatis & notissimum & certissimum. Hinc, ne contra bonam methodum ab ipso statim limine offendam, Logicam (quam scientiam sermocinalem, ἀπὸ τῦ λόγυ, nomine usitato authores appellant) auspicaturus, in tres eam tractatus, secundùm proprias ipsius functiones dispertior. In primo ea, quæ ad apprehensionem, ceû primam mentis operationem pertinent, pertractabo. In secundo ea discutiam, quæ de altera mentis operatione, sive judicio solent agitari. De iis denique, quæ tertiæ mentis operationi, sive discursui propria sunt, tractatus tertius aget. Antè tamen, quàm hosce tractatus ordiar, pauca de Prolegomenis Logicæ pro more Philosophis hucusque semper usurpato disputare juvat.

PROLEGOMENA LOGICÆ, SIVE Natura, Divisio, Genus, Differentia, Proprietates & Causalitas Logicæ.

ARTICULUS I.

De Natura & Divisione Logicæ.

1. *Dico* 1. Nomine Logicæ in genere consideratæ intelligitur Facultas trium mentis operationum directiva, id est: virtus dirigens apprehensiones, judicia, discursus, ne intellectus in definiendo, dividendo & argumentando hallucinetur. Desumptus est hic conceptus ex ipso nomine Logicæ, quod idem sonat, ac rationalis sive sermocinalis. Atque hæc ipsa est ratio, cur Logica à plerisque dicatur Philosophia rationalis, quòd rationem dirigat; aut sermocinalis, quod sermonem moderetur, internum nimirùm, sive sermonem mentis; nam sermo externus aut vocalis aut scriptus Logici potiùs, quàm Logicæ opus est, ùt infra pluribus demonstrabitur.

2. *Dico* 2. Logicæ divisio multiplex est. *Primò* dividitur in Naturalem & Artificialem. *Naturalis* est virtus sive facultas intellectui connaturalis, vi cujus absque regulis artificialibus potest intellectus noster rectè apprehendere, judicare, discurrere. Sic homo illiteratus vi Logicæ naturalis infert, se moriturum, ex communi

muni principio: *Omnis homo moritur.* Atqui *ego sum homo*, ergo *moriar.* *Artificialis* est virtus intellectûs juxta regulas certas & infallibiles rectè apprehendendi, judicandi, & discurrendi. An detur Logica naturalis & artificialis, à multis fusiùs tractatur: Cum enim Aristoteles L. 2. Poster. cap. 1. dicat: ζητοῦμεν τέτταρα· τὸ ὅτι, τὸ διότι, εἰ ἔστι, τί ἐστιν. h. e. De re quapiam tractaturi, *quærimus quatuor: quod, propter quid, si est, quid est.* Hinc plures contra bonam philosophandi methodum sese peccare graviter autumant, nisi quæstionem hanc: *Si est?* vel an sit Logica tum naturalis, tum artificialis? ab initio statim pertractent. Ego illos minimè carpens, sed ad utiliora & necessaria magis properans, quæstionem hanc absque piaculo prætermitto, & si quis fortè de existentia Logicæ Naturalis aut Artificialis dubitet, hunc ad rudes, ad Dialecticam (quo nomine solam eam Logicæ partem Aristoteles inscripsit, quæ de Topico est, seu Syllogismo probabili, jam verò ex communi Philosophorum usu ad Logicam universam extenditur) ad Aristotelem, aliósque authores benè multos ablego, ex quibus facilè convincetur dari Logicam & naturalem & artificialem actualem, quam si sæpius in exercitium deduxerit, Logicam quoque habitualem dari experimento ipse suo emolumentóque edoctus ultrò fatebitur. Quomodò verò nata sit Logica artificialis infra de Logica scientia tradam.

Secundò Logica artificialis (de qua sola deinceps sermo erit subdividitur in actualem & habitualem. *Actualis* sunt ipsæ regulæ docentes modum infallibiliter rectè apprehendendi, judicandi, discurrendi. Vocantur hæ regulæ alio nomine *Actus* Logicæ *dirigentes*, *eliciti*, *immediati*, propterea quod Logica habitualis immediatè ad illos inclinet & facilitet. Actus verò facti juxta regulas, v. g. definitio facta juxta regulas definitionis, appellantur *Actus directi*, *mediati*, *imperati*.

Tertiò dividitur in docentem & utentem, eamque actualem & habitualem. *Docens actualis* sunt regulæ universales potentes dirigere intellectum in ordine ad definitiones, divisiones, & argumentationes. *Utens actualis* sunt eædem regulæ ad usum actualem applicatæ. V. g. Si juxta hanc regulam: Definitio debet constare genere & differentiâ, facias hanc definitionem: homo est animal rationale. *Docens habitualis* est facilitas inclinans intellectum ad eliciendas regulas logicas non applicatas, & præcisè potentes dirigere. *Utens habitualis* est facilitas inclinans ad regulas applicatas ad usum, seu actu dirigentes. An Logica docens & utens distinguantur, dicetur, quando investigato priùs Logicæ genere & differentiâ, de ejus proprietatibus agetur.

Quartò alia Logica dicitur *Apprehensiva*, quòd apprehensiones, alia *Judicativa*, quòd judicia, alia *Discursiva*, quòd discursus dirigat. Denique discursiva vel est *Analytica*, quæ de syllo-

syllogismo scientifico agit seu demonstratione. Vel est *Topica*, quæ per infallibiles regulas docet intellectum in materia probabili conclusionem quoad materiam quidem probabilem, quoad formam verò certam & evidentem deducere. Vel est *Sophistica*, quæ docet infallibiliter syllogismum falsum dignoscere, ejusque fallacias detegere.

ARTICULUS II.

De Genere Logicæ.

3. HOc & sequentibus articulis in essentiam Logicæ accuratiùs inquiretur: quia verò rei cujuslibet essentiam duo constituunt, Genus nimirum & Differentia; hinc investigabitur primò, quodnam sit genus Logicæ? quæ ejus differentia sit, postea tradetur. Hìc porrò velim observes, statum quæstionis non esse de genere remoto; an scilicet Logica sit ens, sit qualitas, accidens, habitus? de hoc enim nemo dubitat. Status igitur quæstionis est de genere proximiore Logicæ: an secundùm omnes partes suas Analyticam, Topicam & Sophisticam sit virtus, sit ars, sit scientia? quæstioni huic tribus sequentibus §§. satisfiet.

§. I.

An Logica sit Virtus Intellectualis?

4. *Nota.* Virtus in genere est optima dispositio potentiæ ad proprium opus. Ita Aristoteles 6. Ethic. cap. 1. Dicitur 1. *Optima dis-*

positio: id est, habitus sive qualitas constanter inhærens potentiæ, eamque facilitans in ordine ad operationes. Dicitur 2. *ad proprium opus:* id est ad opus perfectum, optimum & congruens potentiæ, in qua virtus residet. Alia est moralis, alia intellectualis. *Moralis est*, quæ perficit voluntatem & mores, pertinétque ad Ethicam, v. g. Temperantia, Fortitudo &c. *Intellectualis* vel virttus mentis est, quæ perficit intellectum, eúmque disponit ad optimum, id est, *verum:* verum enim est optimum intellectûs, sicut bonum est optimum voluntatis.

5. *Dico.* Logica est virtus intellectualis secundùm omnes suas partes. *Prob.* Habitus inclinans intellectum ad optimum, scilicet verum, est virtus intellectualis: *atqui* Logica secundùm omnes suas partes est talis habitus; *ergò* secundùm omnes suas partes est virtus intellectualis. *Prob. min. per partes.* Imprimis *Analytica* per regulas suas infallibiles inclinat intellectum, ut per conclusiones certas & infallibiles semper attingat verum & nunquam fallatur, ergo hæc est talis habitus. *Antecedens prob.* Si Analytica sive Logica demonstrativa non haberet regulas infallibiles, per quas inclinaret intellectum infallibiliter ad verum, ergo nulla daretur scientia. Sequela falsa est, ergo & id, unde sequitur. *Prob. Sequela:* primò ipsa Logica non foret scientia; quia deficientibus regulis infallibilibus & certis, scientem reddere certum de sua demonstratione non posset, id quod tamen ad scientiam necessariò requiritur. Deinde nec reliquæ

liquæ scientiæ essent verè tales: cum enim illæ demonstrationum suarum certitudinem, veritatémque formæ à Logica mutuentur, ab ea non accipient, quod ipsa non habet. *Secundò* Logica *Topica* & *Sophistica* sunt habitus inclinantes ad optimum. *Prob.* Topica per regulas infallibiles docet intellectum in materia probabili conclusionem quoad materiam quidem probabilem, quoad formam verò certam & evidentem deducere. *Sophistica* autem instruit intellectum, per regulas certas & infallibiles cognoscere & evitare syllogismorum fallacias, & sic saltem negativè disponit ad verum; ergo sunt habitus inclinantes ad optimum intellectûs. *Ant. prob.* Topica docet, quod syllogismus constans medio probabili probabiliter tantùm concludat; Sophistica verò docet v. g. quod syllogismus constans quatuor terminis non concludat. Quod utrumque æquè certum ac evidens est, quàm hoc, quod syllogismus demonstrativus concludat evidenter. Nam sicut ea, quæ sunt evidenter eadem uni tertio, sunt evidenter eadem inter se; sic etiam quæ sunt probabiliter aut inadæquatè eadem uni tertio, sunt probabiliter aut inadæquatè eadem inter se.

6. *Objic.* 1. Virtus ex D. Th. 2. 2. q. 55. est bona qualitas mentis, quâ nemo malè utitur: sed multi malè utuntur Logicâ; ergo non est virtus. R. D. maj. quâ nemo malè utitur ex intentione & directione virtutis C. ex propria malitia N. malus usus virtutis rectiùs dicitur abusus seu aberratio à virtute; mirum autem non est errare illum, qui aberrat.

7. *Obj.* 2. Juxta Aristotelem 7. *Physic. text.* 17. virtus est dispositio perfecti ad optimum: sed Logica non est talis dispositio: ergo. *Min. prob.* aliàs omnes Logici essent optimi, quod tamen falsum esse experientia jam sæpè docuit. R. D. *probat. min.* Omnes Logici essent optimi perfectione morali N. perfectione Logicæ C. negavi Logicos semper optimos esse perfectione morali, nimirum ex directione Logicæ, quæ perfectionem moralem nec complectitur nec intendit; illam tamen non excludit: nihil proinde repugnat, Logicos esse optimos etiam quoad perfectionem moralem ex directione alterius virtutis scilicet Ethicæ. Adverte prætereà: in definitione Aristotelica virtutis modò allatâ τὸ *dispositio* significat qualitatem permanentem seu habitum. Τὸ *Perfecti* non significat subjectum jam antecedenter esse perfectum; sed formaliter perfectum reddi in lineâ virtutis per ipsam virtutem. Vel, ùt alii interpretantur, indicat subjectum debere esse perfectum physicè, non autem Logicè. Τὸ *Optimum* non intelligendum est simpliciter, sed in linea virtutis logicæ, & ad finem virtuti huic præfixum.

Inst. 1. Multi Logici errant in definiendo, dividendo & argumentando: ergo non omnes sunt perfecti perfectione logicâ. R. D. ant. errant ratione materiæ C. ratione formæ, *subdist.* errore proveniente à regulis Logicæ vel ex ejus intentione, N. errore proveniente ab ignorantia hominis necdum penetrantis regulas Logicæ, & præter ejus intentionem C.

Inst.

Inst. 2. His præmissis ad regulas Logicæ factis: *Nulla planta est rationalis; omnis homo est planta.* Logica inclinat ad assensum huic conclusioni falsæ dandum: ergo *nullus homo est rationalis.* Ergo Logici errare possunt errore proveniente à regulis Logicæ, & ex ejus intentione. R. D. ant. Logica inclinat ad dictam conclusionem ratione formæ, quæ bona est, C. ratione materiæ. N. Minorem ratione materiæ falsam deberet negare intellectus, & ad conclusionem falsam non inclinaretur.

Inst. 3. Logica tradit regulas de sophismate; sed hæ certè non inclinant ad verum; ergo. R. D. maj. tradit regulas de sophismate faciendo, N. de eo vitando & cognoscendo C. sophisma non est opus Logicæ, sed Logici aut Sophistæ.

3. *Obj.* 3. Logica Topica disponit ad actus tantùm probabiles; sed hi sunt sæpè falsi; ergo saltem Topica disponit ad falsum. R. D maj. disponit ad actus probabiles ratione materiæ. C. Ratione formæ N. & sic distinctâ minore, Conf. forma in probabilibus æquè evidens & infallibilis est, ac in evidentibus & analyticis: quod autem syllogismi topici subinde fallant ratione materiæ, hoc Logicæ per accidens est.

Inst. 1. Ergo Logica topica & sophistica erunt æquè virtus ac Analytica. R. D. illat. Quoad id, quod primariò respiciunt & intendunt. C. Quoad id, quod secundariò respiciunt, & intendunt. N. Logica Topica & Sophistica, utraque habitualis, respiciunt pri-

ma-

mariò, & intendunt veritatem logicam, ſicut etiam analytica. Quod autem topica verſetur in probabilibus ratione materiæ, hoc illi ſecundarium eſt, quod in decurſu Logicæ adhuc meliùs intelliges.

Inſt. 2. Habitus & actus ſpecificantur ab objectis, ergo ſi objectum Topicæ eſt probabile & ſæpe falſum, etiam habitus topicus erit tantùm probabilis & ſæpe falſus. R. D. ant. Specifieantur ab objectis, i. e. debent participare omnia prædicata objectorum N. i. e., debent ſaltem unum aut alterum participare C. ſi enim habitus & actus deberent omnia prædicata participare ab objectis, ergo ſi objectum cognitionis ſit corpus, etiam cognitio deberet eſſe corpus.

9. *Collige* 1. Theſis hæc intelligenda tantùm eſt de Logica habituali; nam actualis, actus virtutis eſt, non ipſa virtus. 2. Logica non eſt fides humana, quia hæc eſt aſſenſus propter authoritatem loquentis: Logica verò nititur infallibilitate ſuarum regularum. 3. Logica non eſt opinio; hæc enim nititur motivis probabilibus cum formidine de oppoſito. Logica autem nititur motivo infallibili regularum. Nec obſtat, quod in Logica multa aſſerantur tantùm probabiliter. V. g. Logicam eſſe ſcientiam purè practicam &c. Nam ejusmodi aſſertiones potiùs fiunt à Profeſſoribus Logicæ, quàm ab ipſa Logica.

§. II.

§. II.

An Logica sit Ars?

10. *Noca* 1. Probatum hucusque est Logicam esse virtutem intellectualem; modò indagandum, qualis virtus mentis sit Logica: nam à Philosopho virtutes mentis assignantur quinque: *Prima* est Habitus primorum principiorum, versans in iis, quæ demonstrari non possunt, sed cognitione simplici comprehenduntur; alio nomine vocatur *Intelligentia.* Hac imbutus intellectus facile assentitur primis principiis, quæ à Philosophis vocantur Propositiones primæ, effata, placita, ἀξιώματα; qualia sunt: *Impossibile est, idem simul esse & non esse. Totum est majus suâ parte* &c. *Secunda* est *Sapientia*, quæ est cognitio rerum per causas altissimas & universalissimas, substantias scilicet à natura abstractas, quales sunt, Deus & Angeli. Discrepat ab intelligentia, quòd sit ratiocinatrix: à scientia, quòd ex causis altissimis aliquid colligat; scientia verò ex proximis. *Tertia* est *Prudentia:* hanc Aristoteles 6. Ethic. cap. 4 sic definit: ἕξις μετὰ λόγου ἀληθὴς πρακτικὴ περὶ τὰ ἀνθρώπῳ ἀγαθὰ καὶ κακά, i. e. Habitus rectà cum ratione activus, in iis versans, quæ homini sunt bona vel mala. *Quarta* est *Scientia;* éstque cognitio certa & evidens per causas: hanc definitionem Arist. *6. Ethic. cap.* 3. sic exprimit: ἐπιστημονικὸν πᾶσα διδασκαλία: ex præcognitis omnis doctrina. *Quinta* est *Ars*; hæc ex Arist. 6. *Ethic. c.* 4. est habitus

verâ

verâ cum ratione factivus; ἕξις μετὰ τοῦ λόγου ἀληθοῦς ποιητική. Dicitur *habitus*, i. e. facilitas. Dicitur *verâ cum ratione*, i. e. juxta regulas rationi conformes. Dicitur *factivus*, i. e. qui efficit opus præscindendo, an illud sit in- vel externum. Distinguitur tamen hìc τὸ factivus ab activo; *Activum* enim Arist. tribuit prudentiæ, vúltque idem esse ac electivum. *Factivum* verò tribuit arti, vúltque idem esse ac operativum.

11. *Nota* 2. Artes aliæ liberales sunt & internæ; Mechanicæ, externæ & illiberales aliæ. *Liberales & internæ* sunt, quæ libero homine dignæ præcipuè perficiunt intellectum, nec post se opus externum corpore elaboratum relinquunt. *Illiberales, mechanicæ & externæ* sunt, quæ versantur circa opus externum corpore elaboratum. His prænotatis status quæstionis est; an Logica sit ars, eáque liberalis & interna?

12. *Dico.* Logica est talis ars. Ratio est, quia Logicæ convenit definitio artis internæ n. 10. & 11. allata. *Prob.* Logica est habitus juxta regulas suas rationi conformes effectivus definitionis, divisionis, argumentationis, & quidem internæ; cum Logica finem suum in ejusmodi operatione interna perfectè acquirat; ergo Logicæ convenit definitio artis internæ. *Confirmatur* 1. Operationes mentis sunt factibiles, dirigibiles, quia possunt esse vel non esse, benè vel malè fieri; ergo debet dari habitus ipsarum directivus: sed alius assignabilis non est, quàm Logica; ergo. *Confirm.* 2. authoritate D. Th.

qui

qui 1. 2. q. 57. a. 3. ad 3. Logicam annumerat artibus, ipsámque artium artem appellat.

13. *Objic.* 1. Logica est scientia: ergo non est ars. *Prob. cons.* Habitus scientiæ & habitus artis teste Arist. sibi opponuntur; ergo si Logica est scientia, non erit ars. R. D. *Ant. prob.* Habitus scientiæ speculativæ & habitus artis sibi opponuntur C. habitus scientiæ practicæ & habitus artis sibi opponuntur: *Subd.* & habitus artis liberalis internæ N. illiberalis & mechanicæ C. Disparitas autem est; quia ars mechanica versatur circa opus externum; ars autem interna versatur circa opus internum, sicut scientia practica, qualis est Logica.

Inst. Logica versatur circa syllogismos & definitiones vocales: sed hæ sunt opus externum; ergo. R. N. maj. hæc non sunt opus Logicæ, sed Logici vel discentis, vel docentis. Nam etiam mutus, perfectus esse posset Logicus.

14. *Objic.* 2. Arist. L. 2. *Ethic. c.* 4 ait: de naturalibus actibus non dari artem, nec regulam; ergo Logica nequit dici ars dirigens operationes mentis, cùm hæ sint actus naturales. R. Explico Arist. cum dist. de naturalibus actibus eodem semper modo se habentibus, quales sunt auditiones &c. non datur ars C. de actibus naturalibus, qui patiuntur varietatem, quales sunt in intellectu, qui veri & erronei esse possunt N.

15. *Objic.* 3. Ars ex Arist. L. 3. *Ethic. cap.* 3. consultat: sed Logica non consultat, cùm ejus objectum aliter esse non possit; ergo. R. 1.

Arist.

Arist. 2. Phys. c. 8. ait, artem non consultare. R. 2. D. maj. Ars omnis consultat N. aliqua, quæ nimirum à variabilibus rerum circumstantiis & eventu dependet; v. g. Medica, Navigatoria, prout ipse Arist. loc. cit. advertit C.

16. *Observa* 1. Habitus activus non distinguitur à factivo per hoc, quod ille versetur circa opus internum; hic verò circa externum: sed per hoc, quod activus versetur circa actus voluntatis, quoad ea, quæ bona vel mala sunt hominis: Factivus autem circa actus intellectûs sive tres mentis operationes. 2. Ars accuratiùs dividitur in artem strictissimè, strictiùs, & strictè dictam. *Strictissimè* talis est, quæ transit in materiam externam, & sensibile opus relinquit; ùt ars ædificatoria. *Strictiùs* dicta est, quæ agit in potentiam motricem, sed non relinquit opus sensibile, ùt ars citharizandi. *Strictè* talis est, quæ dirigit operationes mentis absque eo, quod agat in potentiam motricem, & opus externum relinquat, ùt Logica. 3. Quando igitur Arist. distinguit artem à natura per hoc, quòd natura sit principium motûs in eo, in quo est; ars autem extra eum, in quo est; distinguit artem tantùm inadæquatè sumptam à natura: ars enim ùt sic abstrahit ab eo, quòd effectus ejus sit in- vel externus; adhuc tamen distinguitur à natura, quòd natura sit principium primarium, ars secundarium; natura sit principium congenitum & physicum, ars verò acquisitum & morale.

§. III.

§. III.

An Logica sit Scientia, & an Practica, an Speculativa?

17. *Nota* 1. Scientia in genere est cognitio reddens intellectum certum. Alia est scientia *strictissimè* sumptâ, quam Arist. *speculativam* appellat, & est cognitio demonstrativa deducta per causas certas & infallibiles, ex fine intrinseco scientiæ sistens in nuda objecti sui contemplatione. Alia est scientia *minùs strictè talis*, sive *Practica*. Hæc est cognitio certa & evidens per causas tendens in objectum operabile modo operabili, & quidem ex fine intrinseco scientiæ. Porrò scientia dividitur in actualem & habitualem. *Actualis* est cognitio certa & evidens per causas. *Habitualis* est facilitas ad cognitiones certas & evidentes eliciendas inclinans. Nascitur hæc facilitas ex frequentatis actibus scientificis.

18. *Nota* 2. *Cognitio practica* sive actus practicus est ille, qui dirigit ad effectionem operis, nec sistit in nuda objecti contemplatione. Differt à cognitione speculativa, non quod simpliciter proponat objectum operabile, aut modum tale objectum faciendi; nam hoc etiam cognitio speculativa præstare potest: sed quod ex modo tendendi sibi intrinseco ita objectum proponat, ut inclinet ad illius effectionem. *Objectum practicabile* est opus illud, quod capax est directionis. *Praxis* est ipsa actio sive productio operis facta ex directione cognitionis practicæ.

Porrò actus practicus vel est practicus *in actu secundo*, qui actu practicat, vel dirigit suum objectum. Vel est practicus *in actu primo*, qui actu non practicat, ex fine tamen scientiæ ordinatur ad praxin. His positis, *status quæstionis* est 1mò. An Logica actualis sive omnes regulæ Logicæ tam Analyticæ, quàm Topicæ & Sophisticæ sint cognitiones deductæ per causas? vel an sint scientia actualis? 2dò. An Logica habitualis sit habitus ad ejusmodi cognitiones inclinans, possitque suas regulas demonstrare? vel an sit scientia habitualis? 3tiò. An omnes regulæ Logicæ ex fine intrinseco tendant ad praxin? sive an Logica sit purè practica vel non?

19. *Dico* 1. Omnes regulæ Logicæ tam Analyticæ, quàm Topicæ & Sophisticæ sunt scientia actualis. *Prob.* Illi actus sunt scientia actualis, qui deducti sunt per causas, sive ex præmissis certis & evidentibus; sed omnes actus dirigentes Logicæ Analyticæ, Topicæ & Sophisticæ deducti sunt per causas: ergo. Major continet definitionem scientiæ actualis. Minor probabitur solutione objectionum, in quibus variarum regularum deductiones leges.

20. *Dico* 2. Logica habitualis est scientia habitualis. Ratio est: quia actus dirigentes Logicæ, à quibus generatur, & ad quos denuò inclinat, sunt scientia actualis, ùt *num.* 19. probatum est, & adhuc probabitur; ergo etiam Logica habitualis erit scientia habitualis. Nam tales sunt habitus, quales sunt actus. *Confir.*

Si

Si Logica habitualis non foret scientia, nulla alia facultas esset scientia; cùm nulla evidenter ostendere posset, se rectè & in fallibiliter concludere.

21. *Obj.* 1. Regulæ Logicæ non possunt demonstrari; ergo Logica non est scientia. *Prob. ant.* Regula *Divisionis* est: Divisum debet plus continere, quàm singula membra dividentia. Regula *Syllogismi* est: Syllogismus tres tantùm terminos habere debet. Regula *suppositionum* est: Prædicatum propositionis negativæ semper supponit distributivè. Regula *subalternarum* est: Ex veritate subalternantis sequitur veritas subalternatæ. Regula *Oppositarum* est: Contrariæ in nulla materia possunt esse ambæ veræ. &c. Sed hæ regulæ demonstrari non possunt; ergo. R. N. min. Regulam *Divisionis* sic demonstro: Totum debet in se plus continere, quàm singulæ partes seorsim spectatæ: sed divisum est totum, membra dividentia sunt partes; ergo Divisum debet plus continere, quàm singula membra dividentia. Regulam *Syllogismi* sic: Syllogismus est oratio, in quâ duo termini inter se identificantur in conclusione, quia iidem termini sunt identificati uni tertio in præmissis; sed ad hoc tres tantùm termini requiruntur; ergo. Regulam *Suppositionum* sic: Si prædicatum propositionis negativæ non supponeret distributivè, ergo prædicatum hujus propositionis: *Homo non est lapis*; Pro aliquo lapide non supponeret, consequenter simul vera esse posset hæc propositio contradictoria: *Homo est ali-*

quis lapis. Sed hoc implicat; ergo. Regulam *ſubalternarum* ſic: quidquid verè affirmatur de termino univerſali univerſaliter ſumpto, etiam verè affirmatur de contentis ſub eo; ſed ex ſuppoſito in alternante verè aliquid affirmatur de termino univerſali univerſaliter ſumpto; ergo etiam in ſubalternata aliquid verè affirmatur de termino particulari ſub univerſali contento. Regulam *Oppoſitarum* ſic: Idem nequit ſimul eſſe & non eſſe; ſed hoc contingeret, ſi ambæ contrariæ ſimul eſſent veræ; ergo.

Inſt. Saltem demonſtrari non poſſunt regulæ Topicæ, qualis eſt: ex præmiſſis probabilibus ſequitur concluſio tantùm probabilis. Nec regulæ Sophiſticæ, qualis eſt: ſyllogismus ſophiſticus nihil concludit. ℟. N. Regulam Topicam ſic deduco: Ex cauſa probabili ſequitur effectus tantùm probabilis; ſed præmiſſæ probabiles ſunt cauſa, concluſio eſt effectus; ergo. Regulam ſophiſticam ſic demonſtro: Syllogismus, in quo non ſervatur *dictum de omni*, vel *dictum de nullo*, vel hoc principium. *Quæ ſunt eadem uni tertio ſunt eadem inter ſe:* nihil concludit: ſed hæc non ſervantur in ſyllogismo ſophiſtico: ergo.

22. *Obj.* 2. Non omnes regulæ Logicæ ſunt infallibiles; ergo Logica non eſt ſcientia. *Prob. ant.* Regula Logicæ eſt: *Ex puris negativis nihil ſequitur:* ſed hæc fallit: ergo. *Prob. min.* Ex puris affirmativis aliquid ſequitur; ergo etiam ex puris negativis. ℟. *N. ult. conſ.* Diſp. eſt. In puris affirmativis ſervatur principium

cipium directivum metaphysicum: *Quæ sunt eadem uni tertio &c.* Item servatur principium universale logicum: *Dictum de omni*, quod regulat syllogismos affirmativos. Sed in puris negativis non servatur *dictum de nullo*, quod dirigit syllogismos negativos, & vult, ut medium saltem cum uno extremorum conveniat; quia non valet hoc principium: *Quæ diversa sunt cum uno tertio, diversa sunt inter se.* Nam duæ lineæ palmares diversæ à bipalmari, non sunt diversæ inter se. Ut intelligas principia hìc allegata adverte sequentia: sensus principii directivi metaphysici est hic: quæ à parte rei sunt eadem in aliquo tertio adæquatè & distributivè sumpto, sunt eadem inter se. Dicitur 1. à *parte rei*; quia si solà nostrâ ratione conveniunt in uno tertio, sicut homo & brutum in animali; non ideò erunt eadem inter se. Dicitur 2. *adæquatè*: hinc quia anima & corpus sunt tantùm inadæquatè eadem cum homine, non sunt eadem inter se. Dicitur 3. *Distributivè*: aliàs syllogismus de medio communi, propter medium non distributum erit vitiosus, ùt hic: *Omnis homo est animal; omne brutum est animal; ergo omne brutum est homo.* Dictum de omni habet hunc sensum: quidquid dicitur de termino communi universaliter sumpto, dici potest de quovis contento sub illo. Dictum de nullo sic explicandum est: quidquid negatur de termino communi universaliter sumpto, idem negari potest de quovis contento sub illo.

Inſt. 1. Hæ ſunt meræ negativæ: *Qui non moritur in gratia, non venit in cælum; ſed latro impœnitens non moritur in gratia; ergo non venit in cælum.* Sed ex his aliquid ſequitur; ergo. R. *N. maj.* minor enim eſt affirmativa; & quia totus terminus medius bis poni debet in præmiſſis, hinc ſic exponenda eſt: Latro impœnitens eſt is, qui non moritur in gratia; cum major faciat hunc ſenſum: Is qui non moritur in gratia &c.

Inſt. 2. Hic eſt ſyllogismus merè negativus, in quo medium totum bis ponitur: *Nulla planta eſt lapis; ſed nullum brutum eſt planta; ergo nullum brutum eſt lapis.* Sed ex hoc aliquid ſequitur; ergo. R. *D. min.* aliquid ſequitur vi materiæ & per accidens C. vi formæ & per ſe N. nimirum principia n. 22. allata non ſervantur. adhæc dari poteſt ſyllogismus ſimilis figuræ & formæ falſus, v. g. *nulla planta eſt rationalis; ſed nullus homo eſt planta;* ergo *nullus homo eſt rationalis.* Ut autem concluſio ſit bona formaliter, nullus ſyllogismus ſimilis formæ dabilis ſit, neceſſe eſt, cujus concluſio ſit falſa.

23. *Obj.* 3. Hæc regula: ex puris particularibus nihil ſequitur, eſt falſa. *Prob.* Ex hoc ſyllogismo: *Aliquod animal eſt bipes Petrus eſt aliquod animal; ergo Petrus eſt bipes.* Aliquid ſequitur. Ergo. R. *D. ant. prob.* Aliquid ſequitur ratione materiæ, C. ratione formæ. N. En ſyllogismum ſimilem falſum: *Aliquod animal eſt bipes; equus eſt aliquod animal; ergo equus eſt bipes.* Vitium autem in ſyllogismis puris

parti-

particularibus est, quia medium non distribuitur in præmissis, consequenter cum neutro extremo jungitur adæquatè: hinc etiam non est ratio, cur extrema in conclusione jungantur inter se. Et hæc simul ratio est, cur medium in una saltem præmissarum debeat distribui. Si verò in syllogismo particulari una propositio sit affirmativa, negativa altera, medius terminus distribuetur; sed non extrema; quorum tamen unum in conclusione negativa distribuetur; consequenter peccabitur in hoc ultimo casu contra illam regulam: *nil debet distribui in conclusione, quod non erat distributum in præmissis*; aliàs procedetur à particulari ad universale, quod non valet.

Inst. Ex puris singularibus aliquid sequitur; ergo etiam ex puris particularibus. R. N. C. Disp. est: quia in singularibus terminus medius sumitur secundùm totam suam latitudinem, i. e., pro omni eo, pro quo potest sumi. Deinde sumitur etiam in eadem semper significatione. Denique servatur principium: *quæ sunt eadem uni tertio &c.* Sed hæc non observantur in puris particularibus. Vide n. 23.

24. *Obj.* 4. Saltem regulæ conversionum sunt falsæ. *Prob.* Hæc est regula: *Propositio universalis affirmativa nequit converti simpliciter, sed per accidens.* Sed hæc falsa est; ergo. *Prob. min.* Hæc est universalis affirmativa: *omnis homo est rationalis.* Sed hæc benè convertitur simpliciter sic: *Omne rationale est homo.* Ergo. R. D. ult. min. Benè sic convertitur per acciden-

& ratione materiæ, C. per se & ratione formæ. N. Ecce similem conversionem falsam: *Omnis homo est animal*; ergo *omne animal est homo*. Proceditur nimirùm à non distributo ad distributum. Pro conversione legitima observa sequens carmen.

Feci simpliciter convertitur, *Eva* per Acci;
Asto per Contra: sic fit conversio tota.

Quibus in versibus memoriæ altissimè imprimas verba: *Feci*, *Eva*, *Asto*, & vocales in eis contentas, scilicet *A. E. I. O.* quarum significatio sequentibus versibus comprehenditur:

Asserit A, negat E, sed universaliter ambæ.
Asserit I, negat O, sed particulariter ambo.

25. Ex his versibus collige I. Propositio universalis affirmativa benè convertitur & per accidens & per contrapositionem; non verò simpliciter; ex ratione n. 24. data. II. Universalis negativa convertitur & simpliciter & per accidens; non tamen per contrapositionem saltem universaliter. Unde non valet hæc conversio: *Nullus homo est lapis*: ergo *nullum non lapis est non homo*. Poterit tamen converti per contrapositionem particulariter sic: ergo *aliquod non lapis non est non homo*. III. Particularis affirmativa nequit converti per accidens, nec per contrapositionem; sed tantùm simpliciter. IV. Particularis negativa tantùm convertitur per contrapositionem. Conversiones modò citatæ à Dialecticis sic describuntur: Conversio per *Contrapositionem* est, quando servatâ eâdem quantitate propositionis extrema ejus in se invicem

cem permutata infinitantur, i. e. præfigitur iis particula infinitans *non*. Converſio per *Accidens* eſt, quando mutato ſubjecto in prædicatum, & viciſſim, etiam propoſitionis quantitas mutatur. Converſio *Simplex* eſt, quando mutatur quidem ſubjectum in prædicatum, & viciſſim, ſervatâ tamen eâdem propoſitionis quantitate.

26. Pro ſolutione plurium vitioſarum Converſionum obſerva ſequentem converſionis definitionem numeris diſtinctam: *Eſt mutatio* 1. *totius ejusdémque ſubjecti*, 2. *in totum idemque prædicatum*, 3. *quoad rectos tantùm*, 4. *manente eâdem copulâ & qualitate propoſitionis.* Horum ſi unum deſit, vitioſa erit Converſio. Hinc fallunt Converſiones ſequentes: *Omnis juvenis erit ſenex*; ergo *aliquis ſenex erit juvenis.*, ex defectu numeri 1. & 2. *Abraham genuit Iſaac*; ergo *Iſaac genuit Abraham*, ex defectu numeri 3. *Aliquod genus eſt animal*; ergo *aliquod animal eſt genus*, ex defectu num. 1. & 2. &c. Ut autem bonæ ſint hæ & ſimiles Converſiones, propoſitiones convertentes debent ſic poni: Ergo *aliquod futurum ſenex eſt juvenis.* Ergo *gignens Iſaac eſt Abraham.* Ergo *animal abſtractum eſt aliquod genus*; quia propoſitiones converſæ ſic exponuntur: *Omnis juvenis eſt futurus ſenex. Abraham eſt gignens Iſaac. Aliquod genus eſt animal abſtractum.*

27. *Objic.* 5. Saltem hæc regula Oppoſitionum: *Contradictoria non poſſunt ſimul eſſe vera & falſa*, fallit. *Prob.* Hæ ſunt propoſitiones

contradictoriæ: *Omnis miles est exercitus, aliquis miles non est exercitus.* Sed utraque hæc vera est; ergo. R. N. quòd sint contradictoriæ; quia non sunt affirmativæ & negativæ de eodem eodem modo sumpto; sed mutatur suppositio in rò miles, út examinanti patebit. Plura de oppositionibus tradam ex professo infra in tract. 2. de Judicio. Item de regulis syllogisticis in tract. 3. de Discursu.

28. *Objic.* 6. Arist. scientiam dicit cognitionem rei necessariæ per causam; ergo objectum scientiæ debet esse necessarium. Sed objectum Logicæ non est necessarium, sed contingens; ergo Logica non est scientia. R. D. *Subsumpt.* Objectum Logicæ non est necessarium quoad essentiam, i. e. quoad connexionem prædicatorum, quæ Logica de eo affirmat, N. quoad existentiam, i. e. ut actu ponatur C. priùs requiritur ad scientiam, non posteriùs. *Si ais* essentiam & existentiam non distingui: R. D. non distinguntur quoad rem C quoad statum, sive ipsam positionem extra causam N. Hic autem status existentiæ licèt non sit necessarius; necessarium tamen est, ut Definitio v. g. sive existat, sive possibilis sit, sit oratio explicans naturam rei.

Inst. 1. Essentia definitionis v. g. pendet à nobis; ergo est contingens. R. D. Ant. Pendet à nobis quoad actualem existentiam C. quoad essentiam, *Subd.* secundùm id, quod dicit primò intentionaliter N. secundùm id, quod dicit secundò intentionaliter C. nimirùm quæ-

libet

libet definitio dicit genus proximum & differentiam ultimam, quæ ſecundùm ſignificationem ſuam intentionalem utique pendent à nobis.

Inſt. 2. Si eſſentia definitionis eſt neceſſaria; ergo etiam eſt neceſſariò vera; ergo fruſtraneæ ſunt regulæ de ea facienda. R. D. ult. conſ. ſi eſſet neceſſariò vera independenter à regulis Logicæ C. cùm ſit neceſſariò vera dependenter ab iis N.

Inſt. 3. Quod dirigitur à Logica, debet eſſe indifferens, ut benè vel malè fiat; ſed eſſentia definitionis ex ſuppoſito neceſſaria, non eſt ſic indifferens; ergo etiam non dirigitur à Logica. R. D. Maj. debet eſſe indifferens poſitivè N. negativè ſaltem C. i. e. ut objectum dirigatur à Logica, neceſſe non eſt, ut benè vel malè fieri poſſit, dum fit; ſed ſufficit, quod nondum ſit directum. Sicut opera Dei diriguntur ab ejus ſapientia, quin benè vel malè fieri poſſint. Poteris etiam ita diſtinguere Maj. debet eſſe indifferens quoad ſe N. quoad nos C. i. e. à noſtro intellectu fieri poteſt v. g. definitio vera vel falſa: ſed ne fiat falſa, intellectus tanquam cauſa dirigitur à regulis Logicæ.

29. *Objic.* 7. Objectum Logicæ ſunt ſingularia; ſed de ſingularibus non agunt ſcientiæ; ergo Logica de ſingularibus agens non erit ſcientia. R. D. Maj. Sunt ſingularia, & Logica verſatur circa illa ùt ſingularia, & per medium ſingulare N. verſatur circa illa per medium univerſale, i. e. per regulas generales C. & ſic diſt. min. N. C. v. g. hæc regula: *Definitio debet conſtare*

stare genere proximo & differentiâ ultimâ, non dicit, quòd hæc vel illa definitio in particulari debeat constare genere proximo &c. sed omnes definitiones.

30. *Objic.* 8. Logica est modus sciendi; ergo non est scientia. R. N. C. Quando Arist. ait: *absurdum est quærere scientiam simul & modum sciendi.* Loquitur de modo sciendi distincto: Logica autem est modus sciendi indistinctus, cum sit scientia, & simul modus sciendi infallibilis alias scientias.

31. *Quæres*: Quomodo Logica possit esse scientia, & omnes ejus actus dirigentes possint deduci ex demonstratione, cùm ipsam demonstrationem Logica invenerit? R. Id colligitur ex Genesi Logicæ artificialis, quæ (præscindendo à Logica artificiali, quam Adamo divinitùs infusam esse, communis fert sententia) ex constanti Philosophorum traditione hæc est: 1. Animadverterunt homines se aliquando casu ex solo lumine naturæ, & ex principio itidem naturali, & per se noto bonam deduxisse conclusionem. Ecce Logicam adhuc naturalem. 2. Admirabantur conclusionum suarum firmitatem ac robur; quod admirari fecit illos ulteriùs philosophari. 3. Notârunt igitur modos, quibus benè, & quibus malè concluserant; rejectísque modis erroneis, tenuerunt eos, quibus semper legitimè concluserunt. 4. Hos modos ad principia lumine naturæ nota examinârunt, atque ex iis ubi modos suos argumentandi deduxerant, & infallibiles invenerant, eos dixêre regu-

regulas. Ecce Logicam artificialem discursivam. 5. His regulis syllogismorum usi sunt etiam in addiscendis aliis scientiis, v. g. Physica, Animastica &c. atque ita progressi invenerunt modos definiendi, dividendi, judicandi; quos deinde rursus ad alia principia lumine naturæ nota, (v. g. *Totum est majus suâ parte. Oratio explicans naturam rei, debet esse clarior re explicata?*) expenderunt, & ex illis deduxerunt. Hinc colligis Logicam artificialem acquisitam primò fuisse per demonstrationem naturalem, quam ipsa non dirigit, nec antecedit, sed sequitur. Potuit autem Logica naturalis gignere artificialem; quia hanc saltem *virtualiter* præcontinebat, sicut præcontinet & causat arborem semen.

32. *Dico* 3. Logica est scientia purè practica. Conclusio est contra *Comptonum* & *Hurt*: qui volunt Logicam esse simpliciter practicam, speculativam verò secundùm quid. Item contra *Thomistas* & *Scotistas*, qui contendunt eam esse purè speculativam. Et denique contra *Suarez* &c. qui eam partim speculativam partim practicam asserunt. Ratio conclusionis est: Illa scientia est purè vel adæquatè practica, in qua nullus actus dirigens est assignabilis, qui non ex intrinseco tendendi modo feratur in objectum operabile modo operabili: sed nullus actus dirigens Logicæ est assignabilis, qui non tendat hoc modo in suum objectum: ergo. *Prob. min.* ex fine Logicæ. In scientia, quæ pro suo fine habet directionem trium mentis ope-

operationum, nullus actus est assignabilis, qui non tendat prædicto modo in suum objectum; sed Logica est talis scientia; definitur enim: scientia trium mentis operationum directiva; ergo. *Confirm.* 1. Ethica est purè practica, quia tota est in dirigendis actibus voluntatis; ergo à pari, Logica est purè practica, quia tota est in dirigendis actibus intellectûs. *Confirm.* 2. S. Thom. 1. Poster. Lect. 1. sic habet: *Logica est habitus directivus ipsius actûs rationis, & ideò videtur esse ars artium, quia in actum rationis nos dirigit.* Et 1. 2. q. 57. a. 2. & 3. artem ex Philosopho attribuit parti animæ practicæ.

33. *Objc.* 1. Quædam regulæ Logicæ habent objectum à se non dirigibile; ergo Logica non erit purè practica. *Prob. Ant.* Hæc est regula: *Propositio constare debet subjecto, prædicato, & copulâ:* sed hæc non habet objectum à se dirigibile; ergo. *Prob. min.* Habet pro objecto propositionem in genere, & propositiones omnes, & consequenter se ipsam: sed nec propositio in genere, nec propositiones omnes, nec ipsa à se est dirigibilis. Ergo. R. T. ult maj. D. min. sed propositio in genere non est dirigibilis à Logica proximè, & ùt est in genere C. remotè, & quæ est in genere N. nimirùm objectum Logicæ in genere est operabile in suis singularibus. *Dixi T. maj.* quia *ò omnes* non sumitur in suppositione absoluta, sed accomoda; i. e. dirigit propositiones omnes præter se ipsam. Propterea tamen nequit dici secundùm quid

quid ſpeculativa; quia non ſiſtit præcisè in nuda contemplatione ſui objecti, ſed tendit ad effectionem alicujus in objecto contenti; quod ſufficit ad hoc, ut actus aliquis dicatur practicus & non ſpeculativus: cùm tendere ſit prædicatum poſitivum, quod verificatur per tendentiam ulteriorem, etiam ad unum duntaxat; ſiſtere autem eſt prædicatum quaſi negativum, dicens negationem omnis tendentiæ ulterioris.

34. *Obj.* 2. Scientia ex Ariſt. debet eſſe in intellectu ſpeculativo; ergo cum Logica ſit ſcientia, non erit practica. R. *D. ant.* Scientia ſpeculativa debet eſſe in intellectu ſpeculativo C. ſcientia practica. *Subd.* Debet eſſe in intellectu ſpeculativo, ùt ſpeculativo N. qui ſpeculativus eſt. C. *Si ais*: Ariſt. lib. 1. Poſter. negat practicas ſcientias dicendas eſſe ſcientias; ergo Logica vel non eſt ſcientia, vel ſi eſt, non erit practica. R. *D. ant.* Negat eſſe ſcientias ſtrictiſſimè tales C. minùs ſtrictè tales. N. Hinc etiam Ariſt. *lib. 6. Metaphyſ. cap.* 1. enumerans ſcientias non meminit Logicæ, quia ibi enumeravit ſolas ſcientias ſtrictiſſimè tales, h. e. ſpeculativas.

35. *Obj.* 3. Logica cognoſcit naturam & proprietates ſui objecti; ergo non eſt practica. R. 1. Indirectè retorquendo. Ethica cognoſcit naturam & proprietatem ſui objecti, nempe virtutum & vitiorum; ergo nec hæc erit practica, quod tamen nullus affirmabit. R. 2. Directè; *D. ant.* cognoſcit naturam &c. ſiſtendo in nuda cognitione N. tendendo ad earum

praxin

praxin, hoc est, ad productionem operis C.

Inst. 1. Proprietates fluunt ex essentia; ergo Logica nequit tendere ad earum praxin. R. *D. cons.* nequit tendere ad earum praxin immediatè C. mediatè, mediante nimirum essentia N.

Inst. 2. Saltem regulæ directivæ proprietatum objecti Logicæ, quales sunt: *Definitio debet esse clarior definito. Definitio debet esse convertibilis cum definito.* Non possunt esse practicæ; ergo Logica non est purè practica. *Prob. ant.* supponunt definitionem jam factam juxta regulam priorem hanc: *Definitio debet Constare genere & differentiâ.* Ergo. R. *D. ant. probat.* supponunt jam factam per se & ex fine Logicæ N. per accidens C. *si inferas:* Ergo saltem tunc hæ regulæ superfluæ sunt, quando definitio jam facta est juxta regulam priorem. R. *N. Illat. Probas.* Definitio facta juxta hanc duntaxat regulam: *Definitio debet constare &c.* est convertibilis cum definito, & clarior illo; ergo regulæ proprietatum, factâ jam definitione ab iis non directâ, essent superfluæ. R. *D. ant.* Definitio facta &c. est convertibilis cum definito & clarior illo connaturaliter tantùm C. scientificè & artificialiter N. *si reponas.* Dictæ proprietates definitionis fluunt ex essentia eodem prorsus modo, sive à regulis proprietatum dirigantur, sive non. R. N. hoc. Ratio negandi est, quia definitio à regulis proprietatum directa alia omninò esset, ab illa independenter âb his regulis

gulis posita. Cujus ratio ulterior est, quod intellectus regulis proprietatum informatus tendat in definitionem faciendam speciali cum attentione & Conatu, exprimendi in eâ artificium ab his regulis proprietatum præscriptum; quod non facit solâ priori regulâ instructus.

Inst. 3. Logica considerat definitiones, divisiones, syllogismos jam factos; ergo non est purè practica. R. N. *ant.* Non Logica, sed Logicus hoc facit, ut, si fors errârit, aliis in actibus errorem suum possit emendare. *Si quæras*, ex cujus ergo scientiæ fine hæc consideratio fiat? R. fit ex fine notitiæ experimentalis, propter quam obtinendam instituitur à Logico.

36. *Obj.* 4. Hæc Regula: *Syllogismus bonus constat tribus terminis* non est practica; Cùm nihil faciendum præscribat; ergo. R. D. *Ant.* non est practica explicitè C. implicitè N. ut explicitè fiat practica, dic: *Syllogismus bonus debet constare tribus terminis. Dices.* Hæc regula: *Triangulum constat tribus angulis*, nec ex- nec implicitè est practica, licet dici possit: *Triangulum debet constare tribus angulis.* Ergo nec prior. R. 1. N. C. Disparit est, quia Matheſis non versatur circa triangulum, & reliqua sua instrumenta, ùt à se operabilia; Sed hæc supponit; quia est scientia merè speculativa. At Logica ex fine suo intrinseco est practica, ùt patet ex ejus definitione. R. 2. N. *Ant.* Quamvis enim hic actus non sit practicus respectu Matheseos, est tamen practicus respectu illius artis, cujus est efficere instrumenta mathematica.

37. *Observa hìc.* Cognitio vel regula implicitè practica dignoscitur à speculativa 1. ex hoc; si scientia, cujus est cognitio, versatur circa objectum operabile. 2. Ex modo tendendi in objectum. 3. Ex fine habitûs illius, à quo elicitur cognitio, an nempe tendat ad aliquid efficiendum, nec ne?

38. *Obj.* 5. Saltem Logica, ùt est scientia, erit speculativa. R. N. C. Logica ùt scientia nec est practica, nec speculativa, sed ab utroque præscindit. Nam ùt scientia respicit tantùm præmissas, ex quibus deducta est.

39. Pro solvendis objectionibus pluribus *adverte* 1. Non tantùm Cognitiones Logicæ de demonstratione, sed etiam illæ, quæ sunt de sophismate, sunt practicæ. Inprimis quidem *immediatè*, quatenus docent vitare sophismata; deinde etiam *mediatè*, sicut Cognitiones Ethicæ: Ambæ enim dum docent vitare malum, simul docent prosequi bonum; Ethicæ bonum morale & voluntatis, Logicæ bonum intellectûs & verum. 2. Logica non ideò præcisè est practica, quia simpliciter facit syllogismos & definitiones &c. Nam etiam Physica ejusmodi facit, & tamen est speculativa. Sed quia ejusmodi actus facit, & dirigit ex fine sibi intrinseco, & tanquam objectum suum, & instrumenta ad objectum suum demonstrandum; & hoc præstat Logica non tantùm in materia propria, sed etiam in materia alterius scientiæ v. g. Physicæ aut Metaphysicæ &c. Ex hoc ipso solvitur paritas, quæ in hac materia adducitur de

præ-

præmiſſis dirigentibus intellectum ad Concluſionem, quin propterea præmiſſæ dicantur practicæ. Nam præmiſſæ ſolùm dirigunt per modum motivorum, nec concluſio eſt Objectum præmiſſarum: Cognitiones autem Logicæ pro objecto habent operationes mentis, easque dirigunt ad modum regularum. 3. Ut Cognitio aliqua dicatur practica, neceſſe non eſt, ut dirigat objectum *in actu ſecundo*; ſed ſufficit, quod dirigat *in actu primo*. 4. Falluntur defendentes Logicam adæquatè ſpeculativam, dùm judicant cognitionem practicam neceſſariò habere pro objecto opus alterius potentiæ ab intellectu. Nam contrarium manifeſtè patet in dictamine prudentiæ, quod juxta communem practicum eſt, & dirigere tamen poteſt actum alium intellectûs v. g. fidei divinæ. Ergo etiam cognitio Logicæ poterit eſſe practica, quin ſe extendat ad aliam ab intellectu potentiam. Nam ſicut operatio mentis ſubjacet prudentiæ & regulis morum, ut fiat recta *moraliter*, ſive honeſta; ſic operatio mentis ſubjacet regulis Logicæ, ut fiat recta *Logicè*. *Si reponas*, quod juxta Ariſtotelem Intellectus fiat extenſione practicus. R. D. fit practicus extenſione, quâ ſe extendit ad actum alterius potentiæ, ùt volunt Scotiſtæ. N. quâ ſe extendit ab actu dirigente ad dirigibilem, vel à potentia ad actum C. Deinde neſcio, an ſincerè ſatis authoritatem Ariſtotelis hìc mihi obtrudas; nam plures, teſte P. *Lingen*, hanc in Philoſopho ſententiam quæſiêrunt, ſed non invenerunt.

ARTICULUS III.

De Differentia Logicæ.

COnsideravimus hucusque Logicam secundùm genus, sive prout cum aliis quoque disciplinis convenit; intelleximúsque eam sic acceptam benè dici virtutem intellectualem, artem, scientiam, eámque purè practicam. Investigandum nunc est, quæ ejus sit differentia. Cum autem scientia quælibet vel ars suam ab objecto differentiam desumat, pauca antè notanda de objecto veniunt, quàm, quodnam objectum Logicæ sit, statuatur.

40. *Nota* 1. Objectum in genere dicitur illud, circa quod aliqua potentia, vel ars, vel scientia versatur, illud vel speculando, vel regulando. Vel appetendo, vel alio modo in illud tendendo, vel, si mavelis, est id, quod scientiæ vel arti, vel potentiæ objicitur.

41. *Nota* 2. Objectum ùt sic, vel in genere dividitur I. in Complexum & Incomplexum. *Complexum* est conclusio integra ex præmissis deducta, v. g. ista: *Ergo omnis homo est risibilis.* *Incomplexum* est pars Complexi, v. g. subjectum vel prædicatum allatæ modò conclusionis. Hoc objectum incomplexum alii etiam vocant *Subjectum considerationis* sive *de quo.* Alii appellant hoc objectum *materiam*, non *in qua* vel *ex qua*, sed circa *quam.* II. Objectum incomplexum dividitur in *Adæquatum* sive *Totale*; quod est collectio eorum omnium, circa quæ aliqua ars, vel

vel scientia, vel potentia versatur; & in *partiale* sive *inadæquatum*, quod est pars objecti totalis. III. Objectum inadæquatum dividitur in magis principale, & minùs principale. Ultimum est pars objecti ignobilior; priùs est pars objecti totalis nobilior. IV. Aliud est Objectum *per se*, aliud *per accidens*. Sic sitiens per se intendit potum; si dein ei vinum afferas, vel frigidam: Hoc erit objectum per accidens. V. Aliud est Directum; quod ex intentione scientiæ vel artis, & directè attingitur. Aliud est *Indirectum*; quod non ex intentione, sed tantùm propter connexionem, quam cum objecto directo habet, attingitur. Sic peccans *directè* intendit vel voluptatem vel utilitatem, *indirectè* malitiam. VI. Aliud est mediatum, aliud immediatum. *Mediatum* est, quod aliquo mediante attingitur. *Immediatum*; quod attingitur nullo mediante. VII. Aliud est *objectum atsributionis*, ad quod reliqua omnia, circa quæ scientia vel potentia versatur, referuntur. Aliud est *Objectum attributum*, quod refertur ad objectum attributionis. VIII. Denique celeberrima est divisio objecti ùt sic in materiale & formale. *Materiale* est, quod attingitur *per se*, non tamen *propter se*. *Formale* est, *propter quod* attingitur materiale. Ut objectum materiale à formali in quavis scientia, vel arte facilè dignoscas, pete conclusionem scientiæ vel artis. Nam *subjectum* talis conclusionis sive id, de quo prædicatur, aut de quo dirigendo præcipitur, erit objectum materiale. *Prædicatum*

autem, sive quod prædicatur, aut forma operis, quæ intenditur, erit formale, v. g. conclusio Logicæ est: *Definitio debet constare genere proximo & differentiâ ultimâ. Subjectum* est definitio, sive operatio definiens; *ecce objectum materiale! Prædicatum* est genus proximum & differentia ultima; *ecce formale objectum, sive formam*, quam hæc operatio habere debet. Formale subdividitur in formale *quod*, & formale *quo*. Formale *quod* est illa ratio formalis propter quam potentia aliqua tendit in objectum materiale. Formale *quo* est illa ratio formalis, sub qua potentia attingit objectnm materiale. v. g. Ratio formalis propter quam diligimus Deum tanquam objectum materiale, est ejus bonitas. Ratio formalis *sub qua* est Amabilitas; nisi enim bonitas esset amabilis, eam non diligeremus. De objecto materiali per distinctos §§. agemus hoc articnlo. Quodnam sit objectum formale; & an detur Objectum attributionis in Logica, posteà examinabimus.

§. I.

An Intellectus sit Objectum materiale Logicæ?

Status quæstionis est: An intellellectus, qui est causa efficiens, & subjectum physicum receptionis vel inhæsionis Logicæ, etiam sit ejus Objectnm materiale, h. e. per se operabile à Logica?

42. *Dico.* Intellectus non est objectum materiale Logicæ. *Ratio.* Objectum materiale scientiæ practicæ est, de quo tanquam opere

ope-

operabili ea tradit regulas; sed Logica nullas tradit regulas de intellectu tanquam opere operabili: nulla enim est assignabilis; Cùm omnes regulæ Logicæ tendant ad directionem trium mentis operationum. Ergo intellectus non est objectum materiale Logicæ. *Confir.* Nulla regula Logicæ dicit: Intellectus definiens debet cognoscere genus proximum & differentiam ultimam. Vel Intellectus syllogizans debet tres solùm terminos adhibere &c. Sed dirigit opus intellectûs, & dicit: *Definitio debet constare genere proximo & differentiâ ultimâ. Syllogismus tres tantùm terminos habere debet.*

43. *Obj.* Intellectus ab actibus Logicæ habet, quod dicatur rectè intelligens; ergo sic denominatur à Logica; ergo erit illius objectum materiale. R. D. *ant.* & hoc habet se per se ad finem intrinsecum Logicæ. N. habet se per accidens ad finem intrinsecum C. Nimirum Logica adhuc obtineret finem suum, etiamsi operatio intellectûs existeret v. g. in lapide, & non in intellectu: quia illa Operationis Logicæ receptio in intellectu fit merè naturaliter, citra ullum speciale artificium, aut regulæ directionem & tendentiam.

Inst. 1. Ipse intellectus dicitur rectus, sicut operatio ejus dicitur recta; ergo si operatio intellectûs est objectum materiale Logicæ, etiam intellectus tale erit. R. N. τὸ *sicut. Dispar.* est: quia intellectus dicitur rectus rectitudine activa, & ùt causa: Operatio autem dicitur recta rectitudine passiva & ùt opus operabile; id

quod necessariò requiritur ad objectum materiale.

Inst. 2. Illud dicitur rectum rectitudine passivâ, in quod introducitur objectum formale; sed in intellectum introducitur objectum formale; Ergo. R. D. *maj.* in quod ùt objectum, & ùt opus operabile à Logica, & immediatè introducitur objectum formale C. in quod ùt subjectum, vel causam, & mediatè tantùm introducitur N.

Inst 3. Intellectus dirigitur immediatè à Logica; ergo erit illius objectum immediatum. R. D. *Ant.* dirigitur *ùt quò*, & *ùt causa* C. *ùt quod*, & *ùt opus operabile* N. sic nequidem mediatè dirigitur à Logica; Cùm finis Logicæ non sit, intellectum dirigere, sed tres mentis operationes; ùt ex definitione Logicæ eruitur: Aliàs etiam manus, brachium artificis erit objectum artis; quod præter Giattinum nullus asserit.

Inst. 4. Corpus dicitur objectum artis medicæ, quia est sanabile. Ergo intellectus quoque erit objectum Logicæ, quia est ab ea dirigibilis. R. N. C. *Disp.* est: Corpus est sanabile *ùt quod*, & sanitate passivâ. Intellectus autem est dirigibilis *ùt quo* & rectitudine activâ.

Inst. 5. Logica præscribit intellectui regulas; Ergo est illius objectum. R. 1. *Retorqueo argumentum:* Ars statuaria præscribit statuario regulas; Ergo hic erit ejus materiale objectum. R. 2. D. *ant.* præscribit intellectui regulas, tanquàm causæ efficienti. C. tanquàm operi operabili. N.

§. II.

§. II.

An res sint Objectum materiale Logicæ?

44. *Nota* 1. Res considerari potest vel primò intentionaliter, vel secundò intentionaliter. Res *primò intentionaliter* sumpta (quæ etiam *Conceptus objectivus* dicitur) est res non affecta denominatione logicâ; sive prout est à parte rei independenter ab intellectu. v. g. Homo consideratus ùt animal rationale. Res *secundò intentionaliter* sumpta est res affecta denominatione Logicâ, v. g. Homo consideratus ùt species, ùt universale, ùt subjectum vel prædicatum &c.

45. *Nota* 2. Res secundò intentionaliter sumpta dicit tria. 1. suum significatum reale, quod habet ex institutione. 2. Denominationem Logicæ v. g. Universalitatem. 3. Secundariò extrinsecè & in obliquo cognitionem intellectûs tribuentem talem denominationem.

Status quæstionis est: An res primò aut saltem secundò intentionaliter sumptæ sint objectum materiale Logicæ, idque *proximum, immediatum & per se?*

46. *Dico.* Nec res primò, nec secundò intentionaliter sumptæ sunt objectum materiale Logicæ proximum, immediatum & per se. *Ratio* 1. *partis* est: Objectum materiale proximum Logicæ & immediatum est, in quod illa immediatè introducit suum objectum formale, sive rectitudinem logicam: sed in res primò intentionaliter sumptas, vel in Conceptus objectivos Logica non introducit suam rectitu-

ctitudinem; ergo. *Major* patet ex definitione objecti materialis immediati. *Minor* etiam negari nequit; quia aliàs Logica introduceret ſuam rectitudinem in hominem, Leonem &c. quod manifeſtè falſum eſt. *Ratio 2. partis* eſt: quia res ſecundò intentionaliter ſumptæ nullo modo ſunt immediatè dirigibiles à Logica. *Prob.* 1. non ſunt dirigibiles à Logica ſecundùm ſuum ſignificatum reale; hoc enim habent independenter ab omni Logica. 2. Non ſunt dirigibiles à Logica ſecundùm denominationem logicam, v. g. Univerſalitatem; *Univerſalitas* enim non eſt dirigibilis, ſed cognitio intellectûs Univerſalizans, ſive tribuens talem denominationem. Ad hæc Logica non intendit per ſe, & ex fine ſuo intrinſeco, ut res denominentur rectè cognitæ, v. g. *prædicatum*, *ſubjectum*, *definitum*, & quæ ſunt alia hujusmodi concreta ſecundò intentionalia, ex rebus & cognitione recta coaleſcentia; ſed habitâ præcisè cognitione logicè rectâ acquieſcit. *Confir.* hæc theſis ex Ariſtotele, qui definiens definitionem, argumentationem &c. utitur nomine *Oratio*, qualis certè non eſt definitio vel argumentatio objectiva, ſive res & objectum definitionis vel argumentationis; ſed definitio formalis, id eſt, operatio mentis definiens.

47. *Obj.* 1. Hæc regula: *Definitio debet eſſe convertibilis cum definitio*, habet pro objecto res; ergo res ſunt objectum Logicæ. *Prob. Ant.* Hæc regula habet pro objecto id, quod eſt convertibile cum definito; ſed ſolæ

res

res sunt convertibiles cum definito, non autem cognitio ; dicere enim non possum : Cognitio est homo , & homo est Cognitio ; Sed sic dicere debeo : Animal rationale est homo, & homo est animal rationale. Ergo hæc regula habet pro objecto res. Bx. D. *probat. min.* Cognitio entitativè sumpta nequit. esse convertibilis cum definito C. repræsentativè sumpta. N. Vult nimirum hæc regula , ut faciens definitionem per suam cognitionem tale apprehendat genus , & talem differentiam , quæ sint convertibilia cum definito. Ubi vides Cognitionem apprehensivam dirigi ab hac regula , ne erret in apprehendendo genere & differentia. Idem dic ad regulas similes: v. g. *Definitio debet constare genere & differentiâ. Prædicatum propositionis affirmativæ veræ debet esse idem cum subjecto.* Faciunt enim hos sensus : *Definitio , scilicet formalis , sive conceptus definiens debet repræsentare genus & differentiam. Prædicatum formale vel conceptus prædicans , debet esse idem repræsentativè cum subjecto formali.*

Inst. 1. Cognitiones sunt objectum Logicæ; sed cognitiones sunt res; ergo. Bx. D. *min* cognitiones sunt res, h. e. non sunt quid fictum. C. sunt res proùt res distinguuntur à cognitionibus N. *si ais*: Res sunt objectum cognitionum; ergo si cognitiones sunt objectum Logicæ, etiam res erunt ejus objectum. Bx. D. C. etiam res erunt objectum Logicæ immediatum N. mediatum, mediantibus nimirum cognitionibus. C.

Inst. 2. Saltem res cognitæ erunt objectum

im-

immediatum Logicæ? R. *cum dist.* Res cognitæ secundùm id, quod dicunt in obliquo & reduplicativè erunt objectum Logicæ. C. Secundùm id, quod dicunt in recto & exercitè. N. Res Cognitæ *reduplicativè*, i. e. ùt cognitæ, significant ipsas cognitiones, quæ denominant res rectè cognitas. *Dices*: Qui facit solam formam concreti, facit totum concretum, v. g. statuarius faciens formam statuæ, dicitur facere totam statuam. Ergo etiam Logica dirigendo & intendendo cognitionem rectam, dirigit & intendit simul rem rectè cognitam, sive totum concretum secundò intentionale. R. D. *Ant.* Qui facit solam formam Concreti illam per se introducendo in subjectum, aut ordinando illam ad totum concretum, is facit totum concretum. C. qui facit solam formam præcisè, & in abstracto, non ordinando illam ad totum concretum constituendum, is facit totum concretum N. Logica nil intendit, nisi cognitionem rectam; quod autem hæc denominet res rectè cognitas, hoc Logicæ per accidens est.

Inst. 3. Logica agit de distinctione syllogismi in Topicum & Analythicum, qui tantùm ratione materiæ differunt: ergo de materia sive re agit; ergo & hæc erit ejus objectum. R. D. *Ant.* Logica agit de distinctione *fundamentali* inter syllogismum Topicum & Analyticum N. de distinctione *formali*. C. Fundamentum & radix distinctionis inter hos syllogismos est materia, quæ in Topico est probabilis, in Analytico evidens. Hanc autem Logica certè non nisi

nisi *per accidens* solùm attingit, cùm totum finem suum obtineat in operatione mentis.

Inst. 4. Logica *proximè* & *per se* agit de prædicamentis; Sed hæc sunt res; ergo. R. D. *maj.* agit de prædicamentis *formalibus*, i. e. de conceptibus, quibus ordinantur prædicamenta. C. agit de prædicamentis *objectivis*. id est, de rebus, quæ ordinantur. N.

48. *Obj.* 2. *contra* 2. *partem.* Logica agit de genere, specie, universali &c. Sed hæc sunt res secundò intentionaliter sumptæ; ergo. R. D. *maj.* agit de iis secundùm id, quod dicunt *in recto.* N. Secundùm id, quod dicunt *in obliquo* & *extrinsecè*, i. e. agit de Cognitionibus Universalizantibus &c. C.

49. *Observa* 1. Dùm negatur, actus Logicæ habere pro objecto res, intelligendum id tantùm est de actibus *dirigentibus*, non autem de *directis*, qualis est v. g. definitio hæc: *Animal rationale.* Dubium enim non est, actus ejusmodi habere pro objecto res, ùt in allata definitione patet, quæ pro objecto habet hominem. Sed de ejusmodi actibus hìc non quæritur, cùm non sint ipsa Logica. 2. Antecedenter ad conceptus nostros non datur objectum formale & materiale in Logica *quoad modum significandi*: datur tamen *quoad rem significatam.* Est autem objectum materiale quoad modum significandi, *Operatio intellectûs præcisivè accepta*, sive *prout præscindit, an sit recta vel non.* Objectum formale Logicæ quoad modum significandi est *Rectitudo operationis, eidem*

dem Logicè superveniens. Objectum materiale & formale Logicæ, quoad rem significatam, est *Operatio intellectûs, producta conformiter suæ regulæ, à qua dirigitur.* Ex his jam patet, cur paulò ante dictum sit, objectum materiale & formale quoad modum significandi non dari *antecedenter ad conceptus nostros*: nam non datur reverà operatio intellectûs in communi præscindens à recta vel irrecta; à recta quidem *positivè*, ab irrecta autem *negativè*; sed objectum materiale tantùm ita concipitur; nec rectitudo operationi verè physicè supervenit, sed concipitur ei supervenire, & in ea tanquam in objecto materiali recipi non quidem *physicè*, ùt forma statuæ in ligno, sed *metaphysicè*, sicut humanitas in homine.

§. III.

An voces sint objectum materiale Logicæ?

50. *Nota.* Vox est signum ad placitum, ad conceptus cogitationesque nostras exprimendas institutum. Potest sumi vel primò- vel secundò intentionaliter. *Primò intentionaliter* sumpta, significat id, ad quod significandum est instituta, neque est affecta aliquâ denominatione Logicâ. *Secundò intentionaliter* sumpta, est vox affecta denominatione Logicâ, & præter id, ad quod significandum instituta est, aliam adhuc habet significationem dependentem ab intellectu, ùt si dicam: *Homo est universale.* In qua propositione vox *Homo* sumitur secundo intentionaliter, quia præter naturam humanam,

manam, ad quam significandam est instituta, significat abstractionem à singularitate, quam habet ab intellectu. *Status quæstionis* est de vocibus tàm primò- quàm secundò intentionaliter, sumptis; An nimirùm sint objectum materiale Logicæ *proximum* & *per se*.

51. *Dico.* Nec primò- nec secundò intentionaliter acceptæ voces sunt objectum materiale Logicæ *proximum* & *per se*. *Ratio utriusque* est: quia actus intellectûs & cognitiones jam priùs sunt logicè rectæ, quàm vocibus exprimantur; adeóque pro priori finem suum jam obtinet Logica in Conceptibus: Igitur voces semper seroveniunt. Justissimam proinde causam habemus eas à materiali Logicæ nostræ objecto excludendi. *Confir.* 1. Logica nullibi præscribit regulas pro vocibus, id quod ex solutione objectionum clarè intelliges: ergo voces ejus objectum esse nequeunt. *Confir. 2.* Authoritate *Aristotelis*, qui Logicam vocat artem & scientiam rationalem, nusquàm verò vocalem. Item Authoritate *D. Thomæ* qui l. *Perihermenias* lect. 1. sic habet: *Cùm autem Logica dicatur scientia rationalis, necesse est, quod ejus consideratio versetur circa ea, quæ pertinent ad prædictas operationes rationis.* & *initio Poster.* Logicam dicit *mentalem.* *Alibi* asserit, Logicam totam esse in opere rationis dirigendo; nusquàm verò dicit, Logicam dirigere voces. Quando autem l. 1. *Periher.* lect. 2. inquit, *significationem vocum pertinere ad principalem considerationem Logicæ*, Logicam sumpsit

latè

latè tantùm & impropriè pro arte politica conceptus suos aliis manifestandi, cúmque iis discursivè loquendi, prout Grammaticam includit.

52. *Obj.* Logica tradit regulas de vocibus rectè disponendis, & ipse *Aristot.* agit de univocis, æquivocis &c. ergo voces sunt objectum Logicæ. R. *N. Ant.* non Logica, sed manuductio ad Logicam tradit regulas de vocibus disponendis. Nec *Aristoteles* ex fine intrinseco Logicæ, sed potius ùt manuductor agit de terminis in ordine ad docendos alios. Hoc dicendi fundamentum sufficiens habemus in Authoritate *Arist.* & *D. Thomæ* supra cit.

Inst. 1. In vocibus v. g. in Syllogismo vocali reperitur ejusmodi artificium, quod nequit ad aliam scientiam reduci, quàm ad Logicam: ergo. R. *D. Ant.* in vocibus *repræsentativè* sumptis, i. e., in quantùm repræsentant conceptus mentis, reperitur ejusmodi artificium &c. C. in vocibus *entitativè* spectatis reperitur ejusmodi artificium &c. N. Totum artificium in vocibus entitativè sumptis, & certâ ratione in syllogismo v. g. dispositis, pertinet ad Grammaticam; quia Grammaticæ officium est, ita per voces reddere & manifestare conceptus, sicut sunt in mente.

53. *Inst.* 2. & *quæris*: An ergo planè nulla alia ars concurrat cum Grammatica ad certam hanc dispositionem vocum *entitativè* sumptarum v. g. in syllogismo? R. planè nulla: sed concurrit tantùm alia causa determinans ad talem & ta-

talem vocum disposition em. Hæc autem causa est *idealis*, nimirùm ipse conceptus mentis *idealiter* dirigens grammaticum Accipe similitudinem. Si quis statuam artificiosè à statuario elaboratam velit alteri coloribus depictam exhibere; is dirigitur partim ab arte pictoria, ne contra illam erret; partim ab illa statua *exemplariter* sive *idealiter* concurrente. Jam ad propositum: sicut statua depicta propter concursum *idealem* statuæ à statuario factæ non fit objectum artis statuariæ, & sicut ad illam imaginem ars statuaria nullatenus immediatè & directè concurrit; ita etiam voces per hoc, quòd sint imagines conceptuum à Logica directorum, non fiunt objectum ipsius Logicæ, nec ipsa Logica ad illas immediatè & directè concurrit.

Inst. 3. Eodem modo dici posset, quòd Rhetorica in opere Rhetorico dirigat tantùm conceptus, Grammatica verò voces. R. *N. paritatem. disparit.* est: Rhetorica juxta omnes est *Ars benedicendi*, ejusque finis est *persuadere dictione*, & insuper varias tradit regulas de ipsa elocutione. Nihil tale reperitur in Logica, quæ est scientia directiva ipsius actûs rationis, non autem vocis.

Inst. 4. Logica dicitur scientia sermocinalis; ergo ejus objectum est sermo, & consequenter voces. R. *D. Ant.* Dicitur scientia sermocinalis ratione sermonis interni C. ratione sermonis externi. N. *Si reponas*: etiam in sermone externo reperitur rectitudo Logicæ; ergo etiam ratione sermonis externi dicitur scientia sermo-

cinalis. R. *D. Ant.* Reperitur *per se* N. *per accidens.* C.

Inst. 5. Voces externæ sunt modi sciendi tum ipsam Logicam, tum alias scientias: Sed modi sciendi sunt objectum Logicæ; ergo etiam voces externæ sunt objectum Logicæ. R. *D. maj.* Sunt modi sciendi *grammaticales* C. *formales, immediati* & *Logici.* N. Cognitiones, sive conceptus mentis faciunt intellectum *immediatè* scire; voces autem externæ *mediatè* tantùm.

54. *Observa* 1. Quidam dicunt, voces externas esse objectum materiale Logicæ vocalis: verùm cùm Logicam vocalem dari solidè non probetur, sicut non probatur physica, vel Theologia, aut jurisprudentia vocalis; hinc hæc responsio aliàs facilis, meliùs à nobis rejicitur. 2. Dum terminus dividitur in *vocalem* & *mentalem*, hæc divisio non fit à Logica dirigente actum rationis; sed à Logico vel docente vel discente, aut certè à manuductione ad Logicam. 3. Logica non agit de *suppositionibus, universalibus* &c. ùt sunt voces externæ, sed ùt sunt voces internæ.

§. IV.

An tres mentis Operationes sint objectum materiale Logicæ?

55. *Nota.* Operatio mentis in genere significat cognitionem sive actum, quo potentia cognoscitiva, qualis est intellectus, objectum suum

ſuum ſibi repræſentat. Eſt triplex, *Apprehenſio*, *judicium*, *diſcurſus*. *Apprehenſio* eſt cognitio rei ſine affirmatione & negatione. Dividitur in *ſimplicem* & *complexam*. *Apprehenſio ſimplex* ſive *incomplexa* eſt, quâ intellectus apprehendit objectum ſimplex v. g. τὸ *Homo*. *Complexa* eſt, quâ apprehendit objectum per modum plurium v. g. τὸ *Homo albus*. *Judicium* eſt actus intellectûs ſive cognitio rei cum affirmatione vel negatione. V. g. *Homo eſt*, vel *non eſt albus*. *Diſcurſus* eſt actus intellectûs ſive cognitio unum inferens ex alio. V. g. *Omnis homo eſt rationalis*; *Petrus eſt homo*; *ergo eſt rationalis*. *Status quæſtionis* eſt: An omnes operationes mentis (τὸ *omnes* ſumendo pro generibus ſingulorum, non pro ſingulis generum, quia actus Logicæ dirigentes, item apprehenſiones, judicia, diſcurſus caſu vel neceſſariò facti, ſunt quidem operationes mentis, ſed non pertinent ad objectum Logicæ, cùm non ſint ab ea dirigibiles) ſint objectum materiale proximum Logicæ, directum & per ſe?

56. *Dico.* Sunt. *Ratio eſt:* Illud eſt objectum materiale Logicæ, de quo tradit regulas, & in quod objectum ſuum formale introducit: ſed Logica tradit regulas de operationibus mentis, atque in eas objectum ſuum formale introducit: ergo. *Major* eſt certa. *Minor*, *quoad primam partem* conſtat ex Dialectica, in qua reperiuntur regulæ de *univerſalibus*, *definitione*, *diviſione*, quæ dirigunt *apprehenſionem* tam ſimplicem, quàm complexam.

Prætereà habentur in Dialectica regulæ de *propositionibus*, quæ ritè ordinant judicium. Denique varias regulas de *syllogismis* complectitur, quæ discursum moderantur. *Quoad alteram partem* probatur ex fine Logicæ, qui est dirigere opus mentis; sed certè non dirigit aliter, quàm suum introducendo objectum formale, sive rectitudinem, à qua etiam denominationem operis Logicè recti accipit. *Confirmatur* ex *D. Thoma*, qui 1. *Poster. lect.* 1. hæc habet: *Ars quædam necessaria est, quæ sit directiva ipsius actus rationis, per quam scilicet homo in ipso actu rationis ordinatè & faciliter procedat. Et hæc est Ars Logica, i.e. rationalis scientia; quæ non solùm rationalis est ex hoc, quòd est secundùm rationem, quod est omnibus artibus commune; sed etiam ex hoc, quod est circa ipsum actum rationis, sicut circa propriam materiam. D. Thomam* sequuntur *Cajetanus, Suarez, Aversa*, & RR. turmatim.

57. *Obj.* 1. Operationes mentis sunt Objectum Ethicæ; ergo non sunt objectum Logicæ. R. *N. Conf. vel D.* Ergo non sunt objectum Logicæ sub eodem respectu, sub quo sunt objectum Ethicæ. C. Sub alio respectu. N. Adverte 1mò. Idem diverso sub respectu materiale diversarum scientiarum objectum esse potest. Sic operationes mentis, quatenus capaces sunt rectitudinis moralis, Ethicæ pro objecto serviunt. Ut sunt vitales, objiciuntur Physicæ vel potiùs Animasticæ. Quatenus ens sunt, spectant ad Metaphysicam. Denique quatenus dirigibiles, vel rectitudinis aut formæ

Logicæ

Logicæ capaces sunt, Logica eas ùt objectum suum amplectitur. 2dò. Idem & materiale & formale objectum diverso respectu esse nil implicat. E. G. Si ambulo propter sanitatem, sanitas erit objectum formale: Si propter servitium divinum sanitatem intendo, sanitas materiale objectum erit.

58. *Obj.* 2. Objectum materiale debet esse indifferens ad formale; sed tres mentis operationes non sunt indifferentes ad formale Logicæ; ergo nec sunt ejus objectum materiale. R. *D. Maj.* debet esse indifferens saltem *indifferentiâ logicâ*, & ùt *subjectum productionis* C. debet necessariò esse indifferens *indifferentiâ physicâ*, & ùt *subjectum alterationis* N. Explico: *Indifferentia physica* est in *subjecto alterationis*, i. e., in tali subjecto, quod vel benè vel malè fieri potest, vel etiam ex malo bonum. Tale subjectum est v. g. statua, quæ suo prototypo vel con- vel difformis fieri potest, vel etiam ex difformi conformis, & viciſſim. Hæc indifferentia operationibus mentis non convenit; cùm enim sint actus transeuntes, ex malis bonæ fieri nequeunt, aut si fiant etiam bonæ, erunt alii omnino actus à prioribus. *Indifferentia logica* est in *subjecto productionis*, i. e., in tali subjecto, quod fieri quidem potest, vel non fieri; si tamen fiat, necessariò fit conforme regulis. Hæc competit operationibus mentis.

Inst. 1. Si operationes mentis necesseriò fiant conformes regulis Logicæ, ergo frustrà ab ea diriguntur: consequens admitti nequit;

ergo nec antecedens. R. *D. maj.* si fiant necessariò conformes regulis independenter à directione regularum, frustra diriguntur C. si necessariò fiant conformes regulis dependenter à regularum directione, frustra diriguntur. N. *maj.* & concessâ *min.* eodem modo D. Conf. Poteris etiam *majorem* distinguere sic: Ergo frustra diriguntur ùt subjectum alterationis C. ùt subjectum productionis. N.

59. *Inst.* 2. Forma logica sive rectitudo nequit in operationes mentis introduci; ergo nec possunt à Logica dirigi. *Prob. ant.* Forma logica non est distincta ab operationibus; ergo nequit in eas introduci, aliàs idem introduceretur in se ipsum. R. *D. Ant.* Non distinguitur ab operationibus *realiter*, *physicè* C. non distinguitur *metaphysicè*, i. e. per intellectum. N. D. etiam *Conf.* ergo nequit in eas introduci forma logica, si nec physicè nec Metaphysicè ab operationibus distingueretur C. Cùm autem Metaphysicè saltem distinguatur ab iis. *Subd.* nequit introduci *transitivè*, & tanquam in subjectum alterationis C. nequit introduci *intransitivè*, & tanquam in subjectum productionis N. *si quæras*, quid sit transitivè, & quid intransitivè introduci formam? R. *Transitivè introducitur forma*, si subjectum realiter præexistat, & à forma introducenda realiter distinguatur; sicut v. g. lignum realiter præexistit, antequam forma ignis realiter à ligno distincta in illud introducatur. *Intransitivè introducitur forma*, si nec forma realiter sit distincta à subjecto, nec subjectum

ctum ante introductionem formæ realiter præexistat; sed sit tantùm cognitione prius formâ. Exemplum habes in Musica, quæ pro objecto habet sonum artificiosum, quem non præsupponit; sed eo ipso tempore, quo sonus physicè producitur, eum Musica dirigit, & suam inducendo formam, artificiosum reddit. Eodem modo introducunt formas suas artes omnes, quæ non præsupponunt materiam, sive objectum materiale; sed illud artificiosum faciendo dirigunt, & dirigendo faciunt, sicut & Logica. Explicatio hæc clarior adhuc evadet ex solutione objectionis sequentis.

60. *Obj.* 3. Si Operationes mentis sunt objectum Logicæ, ergo vel dirigibiles, vel directæ: Neutrum dici potest; ergo. *Prob. min. per partes.* Inprimis dirigibiles non sunt Objectum Logicæ. *Prob. hæc pars* Dirigibiles dirigi nequeunt à Logica, cùm nondum sint; ergo nec possunt esse ejus objectum. R. *D. Ant.* dirigi nequeunt actu. C. dirigi nequeunt potentiâ. N. Nempe prout sunt potentiâ, diriguntur quoque potentiâ: hoc ipso autem quod fiant actu cum reflexione ad regulas, diriguntur actu à regulis. *Inferes*: Ergo Operationes dirigibiles saltem non sunt Objectum Logicæ actu. R. *D. Illat.* Operationes dirigibiles *per statum & participialiter* spectatæ non sunt objectum Logicæ actu. C. Dirigibiles *nominaliter* sumptæ non sunt objectum Logicæ actu N *Altera pars* (quòd nempe operationes directæ non sint objectum Logicæ) *probatur sic*: Directæ

jam sunt factæ; ergo dirigi ampliùs non possunt; ergo nec sunt Logicæ objectum. R. *D. Ant. probationis* ùt superiùs illatum. *Si postules*, quid sit terminus participialiter & per statum, quid nominaliter spectatus? R. Terminus *participialiter & per statum* sumitur, si ejus significatum accipitur pro tempore per verbum importato; ùt si dicam: *Homo est albus.* Nam ad veritatem hujus propositionis requiritur, ut homini in tempore præsenti conveniat albedo. Terminus spectatus Nominaliter idem est, ac terminus abstrahens à tribus temporis differentiis, *præsenti*, *præterito*, *futuro.* Quando igitur nego, Operationes dirigibiles nominaliter spectatas non esse objectum Logicæ actu; sensus est hic: *Operationes*, *quæ sunt*, *fuerunt & erunt rectæ non sunt objectum Logicæ actu*; *sed illæ*, *quæ sunt in fieri juxta regulas.* *Si dicas:* Ergo Logica de facto nullam operationem dirigens, *nunc* non habet objectum. R. nec hoc sequitur: nam etiam illæ operationes, quæ *nunc* non diriguntur, *nunc* sunt in virtute directiva Logicæ, non quidem *pro nunc*, sed *pro tunc*, quando erunt in fieri.

61. *Obj.* 4. & *quæres:* An etiam Apprehensio tam simplex, quam complexa ad objectum Logicæ pertineat? R. affirmativè. *Ratio est*: quia Logica tam pro apprehensione complexa, quàm pro simplici præscribit regulas. *Prob.* Regulæ versantes circa apprehensionem complexam sunt regulæ definiendi, dividendi: cùm definitionem facere nequeam aut divisionem,

nem,

nem, quin apprehendam objectum per modum plurium. Circa apprehensionem verò simplicem versantur regulæ de *Universalibus*, de *genere*, de *specie*; quia universale facere aut genus nequeo, quin apprehendam objectum simplex.

Inst. 1. Apprehensio non est capax veritatis aut falsitatis; ergo nequit dirigi à Logica: *Prob. Ant.* Apprehensio nihil affirmat, nihil negat; ergo non est capax veritatis aut falsitatis. R. *D. Cons.* Ergo non est capax veritatis aut falsitatis complexæ, quæ conjuncta est cum affirmatione vel negatione C. Ergo non est capax veritatis aut falsitatis incomplexæ, quæ est absque affirmatione vel negatione N.

Inst. 2. Apprehensio simplex semper est vera etiam independenter à regulis Logicæ; ergo non indiget directione Logicæ. R. *D. Ant.* Semper est vera veritate physicâ, eâque incomplexâ, quæ est simplex repræsentatio objecti, ùt est in se, sine affirmatione & negatione C. veritate logicâ, quæ est conformitas actûs cum regulis N..

62. *Inst.* 3. Apprehensio simplex omnem Logicæ directionem antecedit; quia prævertit omnem actum voluntatis imperantem; ergo nequit ab ea dirigi. *Prob. Ant.* Voluntas imperare nequit, ut aliqua apprehensio dirigatur, nisi illa priùs sit in intellectu; nihil enim volitum nisi præcognitum; ergo apprehensio prævertit omnem actum imperantem voluntatis. R. *D. Ant. probationis.* Nisi illa sit priùs in intellectu *objectivè* C. nisi priùs sit in intellectu

subjectivè & *effectivè* N. Explico: antequam apprehensio ex actuali Logicæ directione fiat, per aliam apprehensionem antecedentem proponi voluntati debet, ùt *ponenda*, vel *ponibilis*; non autem ùt *actu posita*. Hinc apprehensio ponenda, quæ ante directionem Logicæ *objectivè* tantùm erat in intellectu (h. e. quæ cognoscebatur) posteà in intellectu existit quoque *subjectivè* & *effectivè*, ex Logicæ directione.

63. *Inst.* 4. Priusquam intellectus voluntati proponat congruitatem faciendi v. g. *Genus*, apprehendere jam debet non tantùm apprehensionem faciendam; sed etiam ipsum obiectum v. g. *animal*,, circa quod apprehensio facienda debet versari; Sed hâc ratione apprehensio verè physicè, subjectivè & effectivè præexistit in intellectu; ergo apprehensio ponenda non *objectivè* solùm, sed *subjectivè* etiam & *effectivè* præexistit in intellectu. R. *D. maj.* Priusquam intellectus voluntati proponat congruitatem faciendi genus, apprehendere jam debet apprehensione factivâ generis, quæ sit ipsum objectum Logicæ, ipsam apprehensionem faciendam & animal N. hæc apprehendere jam debet apprehensione præviâ, quæ non sit objectum Logicæ C. *& sic dist. min. N. Cons.* Ut autem distinctionem hanc meliùs intelligas, sequentem actuum in hoc casu intervenientium seriem benè observa. 1. Est in intellectu cognitio regulæ docentis v. g. modum formandi genus, 2. Huic cognitioni succedit confusa quædam apprehensio apprehensionis faciendæ, cir-

circa inferiora ſpecie differentia, de quibus univocè prædicari poſſit genus. 3. Hanc ſequitur actus voluntatis imperans intellectui apprehenſionem factivam generis. 4. Ex hoc voluntatis imperio applicatur regula, ut ea actu intellectum dirigat in tali apprehenſione elicienda. 5. Denique ex hac directione fit ipſa apprehenſio factiva generis. Hæc apprehenſio ultima, directionem regulæ noſtro concipiendi modo ſubſequens, eſt objectum Logicæ. Pariformiter diſſerendum eſt de apprehenſione complexa.

Inſt. 5. Non apparet, quid Logica circa apprehenſiones directione ſuâ operetur; ergo hæ non ſunt ejus objectum. R. *N. Ant.* Licèt enim apprehenſio defectibilis non ſit quoad falſitatem complexam; cùm non ſit judicium; defectibilis tamen eſt vel *quoad ignorantiam*, quam tollit *definitio*; vel *quoad confuſionem*, quam tollit *diviſio*; vel quoad claritatem aut obſcuritatem, quando faciendum eſt univerſale, & hanc *regulæ univerſalium* eliminant.

Inſt. 6. Eâdem ex ratione Phantaſia ſenſúsque externi dici poſſent objectum Logicæ; nam etiam in his defectus ſimiles committi poſſunt. R. *N. Aſſert.* Diſparitas eſt: quia apprehenſio ponitur in Concluſionibus Logicæ, quod non convenit Phantaſiæ, nec ſenſibus externis. Deinde ratio addita nil probat contra nos; non enim ſic argumentamur: *Apprehenſio eſt dirigibilis*; ergo *eſt objectum Logicæ.* Sed ſic: *Regulæ Logicæ attingunt immediatè apprehenſionem, quæ*

eſt

est dirigibilis à Logica; ergo *illa est obiectum immediatum Logicæ.*

64. *Obj.* 5. Apprehensio simplex non est modus sciendi; ergo nec est Objectum Logicæ. R. *D. Ant.* Non est modus sciendi perfectus C. non est imperfectus, i. e., inchoatus N. Apprehensio simplex disponit ad *Definitiones*, *Divisiones*, *Argumentationes*, quæ sunt apprehensiones complexæ. Hæ autem ab omnibus sciendi modis annumerantur.

Quæres. Quid & quotuplex sit modus sciendi? R. ad 1mum. Est Oratio manifestativa ignoti. R. ad 2dum. Est triplex, à triplici quæstione, quæ institui de aliquo objecto potest. 1mò. Quæri solet, *quid sit res?* & hoc manifestat *Definitio*, quæ est oratio explicans naturam rei. 2dò. *Quotuplex* sit? & hoc declarat *Divisio*, quæ totum in suas partes distinguit. 3tiò. Qualis sit, & quas proprietates habeat? hoc *Discursus* manifestum facit. Duo primi sciendi modi ad Apprehensionem pertinent; tertius ad Discursum. Hinc animadvertes, tres sciendi modos non esse adæquatum Logicæ objectum: si tamen primus modus, nempe *Definitio*, benè applicetur, requiritur secunda mentis operatio, scilicet *Judicium*; hoc enim per Copulam *est*, definitionem definito suo applicat.

ARTICULUS IV.

De Objecto Formali Logicæ.

QUænam materia sit, circa quam Logica versatur, ex præcedentibus §§. Colligere licet

licet. Quoniam verò assignata materia, sive operationes mentis ad alias quoque scientias spectare possunt, inquirere hìc necesse est formam, quæ operationes prædictas ita determinet, ut propria Logicæ materia sint, & quæ sit ratio formalis, propter quam Logica objectum suum materiale attingit. Advertes proinde, hoc in articulo non agi de objecto formali *quo*, sive de ratione, *sub qua* potentia aliqua objectum suum attingit, sed de objecto formali *quod*. De quibus n. 41. Præterea prænosse te velim, ex hoc objecto formali & materiali in Logica consurgere hoc concretum metaphysicum: *Operatio logicè recta*. Quod metaphysicum dicitur à sua forma non physicè, sed metaphysicè tantùm à subjecto suo Distinctâ. Est autem *Subjectum* hujus concreti ipsa operatio; *Forma* est rectitudo logica, quæ quidem communiter pro objecto formali admittitur; sed in ea explicanda diversi vias diversas ineunt. Alii rectitudinem hanc statuunt in ente rationis. Alii eam appellant Dirigibilitatem. Alii eam esse volunt Directivitatem exemplarem. Alii rectitudinem activam, alii passivam pro objecto formali defendunt. De his quid sentiam in sequentibus §§. manifestabo.

§. I.

An Ens Rationis sit Objectum formale Logicæ?

65. *Nota.* Ens rationis variè accipitur. 1. pro eo, quod efficitur ab intellectu. Hoc sensu

ſu actus intellectûs omnes dicuntur entia rationis. 2. pro eo, quod in intellectu ſubjicitur. Hâc ratione habitus ſcientiarum, ſpeciésque impreſſæ entia ſunt rationis. 3. pro eo, quod intellectui objicitur. Hoc ens rationis objectivum appellatur, quod rurſus duplex eſt. Aliud eſt *Ens rationis objectivum purè*, ſive *Ens rationis ratiocinantis*, quod nec eſſe ſubjectivum in intellectu, nec ullum aliud eſſe vel fundamentale vel actuale extra intellectum habet, tale eſt *Hircocervus*. Aliud dicitur *Ens rationis rationatæ*, quod quidem eſſe fundamentale extra intellectum habet; cùm fundatum ſit in re ùt cognitâ: non tamen habet eſſe reale. Hoc ens juxta *Thomiſtas* eſt illa relatio, quam genus dicit ad ſpecies, ſpecies ad individua, prædicatum ad ſubjectum, & viciſſim. &c. Ab hac relatione in objecto cognito ùt cognito reſultante intrinſecè denominari volunt vel ipſam rem, ùt fit in denominatione *Univerſalis*, *Generis* &c. Vel ſimul etiam operationem intellectûs, ùt in denominatione *prædicati*, *definitionis* &c. contingit. Ut autem hæc omnia meliùs intelligas, Exemplum accipe: Intellectus cognoſcit v. g. arborem; deinde aliâ Cognitione cognoſcit arborem à ſe eſſe cognitam. Per ſecundam hanc cognitionem intellectûs juxta Thomiſtas fingit circa arborem relationem, per quam arbor comparata cum intellectu habet relationem arboris cognitæ ad cognoſcentem. Applica hoc exemplum ad noſtram materiam logicam, & intelliges, quid Thomiſtæ

per

per ens rationis hìc intelligant. *Status quæstionis* jam est de hoc ultimo ente rationis Thomistico; An sit objectum formale *quod*, denominans ac determinans objectum materiale Logicæ?

65. *Dico.* Ens rationis Thomisticum non est objectum formale *quod* Logicæ. *Prob.* Objectum formale *quod* est, propter quod attingitur materiale; sed materiale in Logica non attingitur propter ens rationis Thomisticum; ergo non est objectum formale. *Prob. min.* Logica non intendit illud ens rationis, sed conformitatem objecti materialis cum regulis; est enim scientia operationum mentis directiva juxta regulas suas: ergo Logica propter illud non attingit objectum materiale. *Confir. I.* Hoc ens rationis ad ipsas cognitiones à Logica jam directas resultat; ergo Logica jam pro priori finem suum, nempe cognitionem logicè rectam, est assecuta; ergo ens rationis serovenit. Ad hæc permisso hoc, non concesso, quod detur ens rationis Thomistarum (quod omnes negant, qui inficiantur, objici intellectui posse ens rationis distinctum ab omni ente possibili, quorum multos citat *P. Aler. Cap.* 2 *Sect.* 2· *n.* 50. Nec ipsi Thomistæ satis probant) permisso, inquam, hoc ente, illud resultaret omninò naturaliter, & absque speciali artificio, totúsque labor artificalis versaretur in eo, ut ex regulæ præscripto recta fieret Cognitio; ergo hoc ens nequit esse illa ratio formalis, quæ intenditur à Logica, & propter quam objectum suum formale.

attin-

attingit. *Confir. II.* Habitus directivus actûs voluntatis non habet pro objecto formali ens rationis, sive relationem rationis resultantem in objecto volito: ergo nec habitus directivus actûs rationis habet pro objecto formali ens rationis resultans in objecto cognito. Antecedens admittitur ab ipsis Thomistis, ùt videre est apud *Phil. à Ss. Trinitate hìc a. 2. ad 1.* exspectanda proinde est Disparitas solida.

67. *Obj. 1.* Ens rationis Thomisticum est in objecto materiali Logicæ; ergo est objectum ejus formale. R. 1. Retorq. Vitalitas est in objecto materiali Logicæ; ergo hæc erit objectum ejus formale. R. 2. *T. Ant.* quia ens rationis Thomisticum dari, non satis probatur. *N. Conf.* non omne id, quod est in objecto materiali, est objectum formale; sed id, propter quod attingitur materiale.

Inst. Ipsa Conformitas actûs cum regulis est ens rationis, sed hæc est objectum formale; ergo. R. *D. maj.* est ens rationis Thomisticum, de quo hìc disputatur. N. est ens rationis, id est, efficienter procedit ab intellectu, & mediante actu, cui ineſt, in eo recipitur C. & concessâ min. eodem modo D. Conf.

68. *Obj. 2.* Ipse Aristoteles & D. Thomas Objectum Logicæ quandoque vocant ens rationis. Ergo. R. *D. Ant.* Vocant ens rationis sensu modò in instantia explicato. C. Vocant ens rationis Thomisticum N. *D. Th.* (cujus verba, fideliter recitat & explicat P. Aler. *cap. 2. subsect. 3. à n. 68. usque ad n. 70.*) *Opusc. 55.*

Uni-

Universalitatem vocat *qualitatem existentem in anima, accidens immateriale, Cognitionem intellectûs, singulare, receptum in intellectu ad modum recipientis, ita ut solùm sit in anima, & nullo modo in rebus.* Sed hæc non conveniunt relationi rationis Thomisticæ in natura cognita resultanti; ergo Universalitas ex mente D. Thomæ non est ens rationis Thomisticum; & consequenter Doctor Angelicus pro objecto formali Logicæ non admittit Ens rationis Thomistarum. Aristoteles autem *L. 2. magn. moral. cap. ult.* sic habet: *In iis artibus, quæ ad res agendas pertinent; præter actionem nullus alius est finis: ùt præter Citharæ modulatum finis non est alius; sed ipsum pro fine est operatio atque actio.* Ex quibus verbis ita concludere licet: etsi ad Citharæ modulatum resultaret ens aliquod rationis, directivum ipsius modulationis, illud juxta Aristotelem non foret objectum formale artis Citharizandi; aliàs præter actionem, finem alium, nempe ens rationis, haberet. Ergo nec in Logica, quæ etiam est ars ad res agendas pertinens, præter actionem seu operationem admittendus est finis alius; nempe ens rationis.

69. *Obj.* 3. Ordo sive respectus inter hominem, ùt sic, & individua est ordo rationis; cum sit inter extrema realiter indistincta; sed talis ordo est ens rationis Thomisticum; ergo datur saltem ens rationis Thomisticum. R. *D. maj.* est ordo rationis, hoc sensu, quod iste ordo entitativè non sit realis, sed distinctus ab omni ente reali. N. est ordo rationis hoc sensu, quod sit entitativè realis, existat tamen in-

ter duo extremâ solâ ratione distincta, ex qua causa etiam ordo rationis dicitur; C. D. *etiam min.* talis ordo est ens rationis Thomisticum, si entitativè non esset realis, & distingueretur ab omni ente reali. *Concederem.* Cùm autem sit entitativè realis. *N. min.* & *Conf.*

Hæc de ente rationis in Logicæ prolegomenis satis dicta sunto; ne Tyro Philosophus pluribus ejusmodi speculationibus metaphysicis in ipso statim Philosophiæ limine terreatur. Judicabam autem pauca hæc inferenda hìc esse, ut consulerem tyronibus, qui aliàs facilè perturbarentur, si iis de objecto Logicæ legentibus aut disputantibus hoc ens ne à nomine quidem notum occurreret. Præter ens Thomisticum datur adhuc aliud, quod Scotistæ *ens diminutum* appellant, & ita describunt: est entitatula quædam resultans ex actibus, quibus in objecta tendimus, per quam res cognitæ in esse cogniti formaliter constituuntur. Ejusmodi entitatula est purè ens rationis, pendens à sola ratione in esse & conservari, nec requirit ullum subjectum in quo sit. Hoc ex iisdem rationibus n. 66. contra ens Thomisticum allatis ab objecto formali Logicæ eliminare oportet.

§. II.

An Dirigibilitas aut Directivitas sit objectum formale Logicæ?

70. *Nota* 1. Dirigibilitas operationum mentis alia est ex- alia intrinseca. *Extrinseca* est in ipsa regula dirigente, alióque nomine activa dicitur. *Intrinseca* est aptitudo ipsius operationis

nis recipiendi regulæ directionem: hæc etiam passiva nuncupatur. De hac ultima dirigibilitate hìc quæritur.

71. *Nota* 2. Directivitas exemplaris sive idealis est aptitudo operationis logicè rectæ, vi cujus aliarum operationum similium directiva esse possit. Hanc operationibus logicè rectis non negamus; nam eam realiter loquendo à Logica accipiunt. Utrùm verò illa objectum formale logicè sit, in quæstione est.

72. *Dico.* Nec dirigibilitas, nec directivitas exemplaris formale Logicæ objectum est. *Ratio primæ partis est*: quia habito objecto formali scientia acquiescit; sed Logica habitâ dirigibilitate non acquiescit; ergo hæc non est objectum ejus formale. *Prob. min.* Habitâ dirigibilitate Logica nondum assecuta est finem suum; qui est operatio recta; ergo eâ habitâ nondum quiescit. Supponitur proinde dirigibilitas tanquam conditio *sub qua*, sicut ab arte pictoria supponitur pingibilitas. *Ratio secundæ partis est*: quia licèt hanc directivitatem operatio à Logica accipiat, illam tamen inducere Logica non intendit; cùm finem suum in operatione unica assequatur, licèt hæc directiva alterius non esset, nec alia fieri posset ad ejus imitationem.

73. *Objic. contra* 1. *partem.* Logica versatur circa operationes mentis ùt sunt, & quia sunt dirigibiles; ergo dirigibilitas erit formale objectum Logicæ. R. *D. Ant.* ùt, & quia sunt dirigibiles; ita ut τὸ *ùt* & *quia* denotent rationem formalem *quæ* N. ita ut istæ particulæ significent

cent tantùm rationem formalem *sub qua* C. tò *ùt* & *quia* subinde rationem *sub qua* tantùm, vel conditionem denotant; ùt si dicam: *Ignis ùt approximatus urit*; *Bonum ùt Cognitum amatur*. Nam approximatio non urit, nec Cognitio movet ad amorem; sed ignis urit, & bonitas movet. subinde autem particulæ reduplicantes significant rationem formalem *quæ*, id quod ex Circumstantiis & intentione loquentis sæpè Colligendum est. V. g. si dicam: *Deus ùt bonus amatur*. Ubi denotatur formalis ratio *quæ*; quia bonitas Dei verè movet ad amandum.

Inst. Per dirigibilitatem operationes mentis, secundùm se indifferentes ad aliarum quoque scientiarum objecta, determinantur ad esse objectum proprium Logicæ; ergo erit objectum formale in Logica. R. *D. ant.* Determinantur per eam tanquam per Conditionem, & rationem *sub qua* C. velut per rationem formalem *quæ*, & objectum formale *quod* N.

74. *Obj. Contra 2. partem.* Logica intendit operationes intellectûs ùt modos sciendi; cùm & ipsa sit modus sciendi & instrumentum scientiarum omnium: sed nequit intendere operationes ùt modos sciendi; nisi eas ùt directivas intendat; ergo sic eas intendit. R. *N. maj.* Logica non intendit operationes ùt sunt directivæ, & quâ tales; sed quæ sunt directivæ; Logica enim per se ipsam sat nobilis est, & in se consistens non est modus sciendi alias scientias ex fine suo intrinseco, sed extrinseco tantùm & secundario.

§. III.

§. III.

An & quæ Rectitudo sit Objectum formale quod *Logicæ?*

75. *Nota.* Rectitudo in activam & passivam dividitur. *Activa* inest actibus dirigentibus, estque capacitas rectè dirigendi actum. *Passiva*, inest actibus directis. Hæc si est naturalis sive physica, est conformitas actûs cum objecto. Si est artificialis sive logica, est Conformitas actûs cum regulis. *Status quæstionis* est: An rectitudo activa, an passiva; & an passiva physica, an passiva logica sit objectum formale quod Logicæ?

76. *Dico* 1. Rectitudo activa non est objectum formale Logicæ. *Ratio est* 1. Rectitudo activa est in regulis, & non in ipso objecto materiali; ergo nequit esse objectum formale. *Ratio est* 2. Rectitudo activa sunt ipsæ regulæ rectæ; ergo nequit esse objectum regularum.

77. *Dico* 2. Nec rectitudo passiva naturalis, sive veritas physica est objectum formale. *Ratio est* 1. Logica finem suum obtinere potest in operatione physicè falsa, ùt constat ex propositionibus & syllogismis probabilibus; ergo hæc rectitudo non est objectum ejus formale. *Ratio est* 2. Logica illam introducere nequit rectitudinem, quam nullo modo continet; sed nullo modo continet veritatem physicam actuum directorum; ergo. Ad Physicam proinde aut Metaphysicam pertinet, veritatem hanc curare in actibus, qui fiunt circa objectum in earum materia.

78. *Dico* 3. Rectitudo passiva artificialis sive Logica est objectum Logicæ formale *quod. Prob.* Objectum formale scientiæ practicæ, qualis est Logica, est illud, quod habet conditiones quatuor ad objectum talis scientiæ requisitas; sed rectitudo artificialis passiva logica illas habet; ergo. *Prob. min.* Conditiones ad objectum formale requisitæ sunt sequentes: 1. ut conveniat omni objecto materiali illius scientiæ, cujus est objectum. 2. Ut scientiam hanc ab omni alia discernat. 3. Ut propter illud attingatur materiale. 4. Ut sit operabile ab illa scientia, cujus est objectum. Sed hæ omnes conveniunt rectitudini artificiali passivæ logicæ, ùt Consideranti patebit; ergo. *Confir.* Ideò operationes mentis attinguntur à Logica, ut fiant rectæ, & Conformes ejus regulis; ergo hæc rectitudo est ratio formalis, *quæ* à Logica intenditur, sive objectum formale *quod.*

79. *Obj.* 1. *contra Imam Conclus.* Regulæ Logicæ illam tantùm rectitudinem inducere possunt in objectum materiale, quam habent; sed habent tantùm rectitudinem activam; ergo hanc tantùm inducere possunt; consequenter hæc erit objectum formale Logicæ. R. *D. min.* Habent tantùm rectitudinem activam formaliter C. hanc tantùm habent effectivè sive causaliter N. D. *etiam Conf.* ergo hanc tantùm inducere possunt, si nec formaliter nec causaliter vel effectivè aliam continerent. C. Cùm autem aliam scilicet rectitudinem passivam causaliter saltem contineant. N.

80. *Obj.*

80. *Obj.* 2. *Contra* 2*dam Concluſ.* Operationes quædam eſſe logicè rectæ non poſſunt, niſi ſimul habeant veritatem phyſicam, ùt fit in definitione, ſyllogismo demonſtrativo; ergo ſaltem in his operationibus Logica intendet veritatem phyſicam, ùt objectum formale partiale. R. *D. ant.* Et veritas phyſica in ejusmodi operationibus habet ſe Concomitanter ſolùm ad finem Logicæ intrinſecum C. & eam Logica ex fine ſuo intrinſeco & directè intendit. N. Nimirùm Logica operationem, quæ habet veritatem phyſicam, non intendit formaliter, ùt habet veritatem phyſicam, ſed ut conformetur præceptis ſuis; id quod meritò ex aliis Logicæ regulis colligimus, quæ parùm curant materiam, uti regulæ Logicæ Topicæ. Sicut igitur regulæ non curant vitalitatem & ſpiritualitatem ſuarum operationum, licèt neceſſariò vitales ſint & ſpirituales; ſic etiam non intendunt veritatem phyſicam, licet illa operationes mentis neceſſariò comitetur.

Inſt. Logica eſt inſtrumentum ad alias ſcientias; ergo ſicut aliæ ſcientiæ intendunt materiam, ſic etiam Logica. R. *D. ant.* Eſt inſtrumentum ad alias ſcientias ex fine ſuo intrinſeco. N. extrinſeco tantùm. C.

81. *Obj.* 3. *Contra* 3*tiam Concluſ.* Objectum formale quod debet eſſe prius ſcientiâ; quia hæc in objectum formale fertur: ſed rectitudo paſſiva non eſt prior Logicâ; ergo hæc nequit eſſe objectum ejus formale. R. *D. maj.* Objectum formale debet eſſe prius ſcientiâ ſpe-

culativâ C. scientiâ practicâ N. hæc enim facit objectum suum formale tanquam opus, quod in ratione *finis* prius est, non autem in ratione *objecti*.

82. *Inst.* 1. Rectitudo passiva est realiter indistincta ab objecto materiali; ergo nequit in illud introduci. R. *D. Conf.* nequit introduci transitivè & physicè C. intransitivè & metaphysicè N. vide n. 59. Ex hoc *Collige*: Introductionem rectitudinis passivæ *realiter* & *physicè* spectatam, nil aliud esse, quàm veram & realem productionem operationis mentis, dependenter tamen à regula Logicæ dirigente. Si verò introductionem illam consideras quoad nos, duplex intervenit conceptus; 1mò enim concipitur, ùt præcisè operatio intellectûs est, præscindens à rectitudine *positivè*, ab irrectitudine autem *negativè*: & sic operatio est objectum materiale. 2dò consideratur ùt recta est *nominaliter*, vide n. 60. & sic est objectum formale. Sic enim accepta operatio significat rectitudinem, quæ nostro concipiendi modo supervenit operationi primo modo acceptæ, & hanc velut forma determinat ad esse objectum proprium Logicæ.

83. *Inst.* 2. Si introductio physicè non sit aliud, quàm realis productio operationis; ergo ea intellectui potiùs adscribenda est, quàm Logicæ; quia operatio recta *effectivè* pender ab intellectu. Consequens non admittitur, ergo nec antecedens. R. *N. Sequel.* vel *D.* Ergo productio operationis, ùt præcisè operatio est,

&

& secundùm esse physicum spectatur, potiùs adscribenda est intellectui C. ùt est productio operationis rectæ, & secundùm esse artificiale N. Intellectus enim quantùm est de se, æquè produceret operationem irrectam, quàm rectam: quòd verò producat rectam, hoc ex Logicæ directione provenit. Igitur rectitudo operationis potiùs Logicæ tanquam causæ directivæ tribuenda est, quàm intellectui.

84. *Inst.* 3. Quòd operatio dicatur recta, hoc habet à se, & non à Logica, quandoquidem rectitudo illi est intrinseca; ergo nec operatio recta tribui Logicæ potest. ℟. *D. ant.* Hoc habet à se, tanquam à causa formali & intrinseca C. tanquam à causa extrinseca & dirigente N. Etiam anima est intrinseca homini, sed tamen dependenter à Deo creante.

85. *Inst.* 4. Rectitudo est conformitas cum regulis; sed conformitas cum regulis nequit introduci in operationes; ergo. *Prob. min.* Hæc conformitas dicit *in recto* ipsas operationes, *in obliquo* autem regulas; sed nec operationes possunt introduci in se ipsas, nec regulæ in operationes; ergo. ℟. *D. Maj. probat.* Conformitas adæquata, tum quoad sua extrinseca, tum quoad sua intrinseca, dicit *in recto* operationes, *in obliquo* regulas C. conformitas inadæquata tantùm, & quoad suum intrinsecum spectata dicit hæc duo N. & *concessâ min. D. Cons.* Ergo conformitas adæquata nequit introduci in operationes C. inadæquata N. Rectitudo, prout hìc accipitur, est conformitas inadæquata; i. e.

est illa forma *intrinseca metaphysica & logica*, à qua operatio dicitur intrinsecè recta. Taliter autem accepta nec regulas nec operationes signatè dicit, sed ab utrisque præscindit. Rectitudo autem *adæquatè*, *physicè*, & *concretim* spectata dicit præter hanc formam *in recto* operationes, *in obliquo* regulas. *Si ais:* Rectitudo ùt est talis forma metaphysica non est producibilis; ergo nec introducibilis. R. *D. ant.* non est producibilis physicè effectivè C. artificialiter & directivè *Subdist.* transitivè C. intransitivè N. vel dic: eam non esse producibilem in suppositione simplici; sed in suppositione personali. *Si postules*: An ergo in operationes rectas vel irrectas introducibilis sit? R. est introducibilis in operationes, quæ fiunt dependenter à regulis. Vide n. 60.

86. *Inst.* 5. Hæc rectitudo nihil est aliud, quàm rectitudo naturalis operationum; ergo non dependet à regulis Logicæ. R. *D. ant.* est naturalis entitativè C. denominativè *Subdist.* est naturalis, prout naturale opponitur supernaturali C. prout opponitur artificiali N. Rectitudo illa denominativè accepta artem & scientiam directivam respicit, & est artificium. *Si reponas*: Operatio regulis conformis esse potest, quin ab iis dirigatur; ergo nequidem artificialis rectitudo à regulis dependet. R. *N. Cons.* nam rectitudo independens à directione regularum est naturalis tantùm, & operatio sic recta non est objectum Logicæ. Requiritur proinde ad rectitudinem artificialem, ut ex speciali regulæ

in

in objectum tendentiâ ponatur. *Si dicas*, talem rectitudinem naturalem sufficere ad scientiam; ergo artificialis erit superflua. R. *T. ant. N. Conf.* Rectitudo enim naturalis ubique haberi non potest, v. g. in materia difficiliori & obscuriori; nec ponit intellectum extra periculum erroris & perturbationis, quod tamen præstat rectitudo artificialis: hinc nondum superflua est. Dixi *Transeat:* quia etsi rectitudo naturalis sufficeret ad scientiam naturalem; ad artificialem tamen non sufficit ex ratione hìc paulò antè data.

87. *Quæres.* Quodnam objectum formale habeant regulæ negativæ, v. g. hæc: Medium non debet ingredi conclusionem? R. Sicut habent duplex objectum materiale, ita etiam duplex habent objectum formale. Primum objectum materiale est *objectum fugæ*, v. g. syllogismus, in quo medium ingreditur conclusionem. Secundum est *objectum prosecutionis*, nempe syllogismus, cujus medium non ingreditur conclusionem. Primum objectum formale est *objectum fugæ*, nempe irrectitudo, sive difformitas cum regulis. Alterum est *objectum prosecutionis*, scilicet rectitudo artificialis passiva. *Si quæras porrò:* Quomodo rectitudo hæc artificialis objectum formale esse possit, cùm illa, utpote conformitas cum regulis, constituatur partialiter per ipsas regulas; adeóque Logica sic foret objectum sui ipsius? R. Nego, quòd rectitudo artificialis constituatur per ipsas regulas: non enim est conformitas prædicamentalis, sicut veritas formalis physica; sed est conformitas

mitas transcendentalis, quæ tota essentialis est, & intrinseca actui, regulamque veluti terminum & principium directivum extrinsecè tantùm respicit.

ARTICULUS V.

De Objecto Attributionis.

§. unicus.

An & quale in Logica detur?

88. *Nota.* Tanta est Authorum circa hanc quæstionem dissensio, ùt *Compt. hìc Disp.* 7. septendecim diversas circa hanc materiam opiniones sese vidisse fateatur. Tanta autem opinionum hìc diversitas oritur ex diversis Objecti hujus definitionibus. Præcipuæ circa hanc quæstionem sententiæ sunt ferè sequentes. *Prima & Communior* objectum hoc ita definit: Est objectum partiale complexum, ad quod reliqua, quæ in scientia vel arte tractantur, ultimatò referuntur; ipsum verò ad aliud partiale non refertur. Hæc definitio præscindit ab in- & extrinseco objecto attributionis. *Secunda est*, eorum, qui objectum attributionis intrinsecum admittunt, volúntque, ut reliqua ex fine intrinseco vel ipsius scientiæ, vel objectorum attributorum referantur. *Tertia* est eorum, qui hoc objectum cum objecto principali confundunt; pro qua opinione stare videntur *Hurtad.* & *Compt.* quorum prior pro objecto attributionis in Logica assignat demonstrationem; posterior autem definitionem. *Quarta* est

eorum

eorum, qui P. Rhodes, Semery & Wietrowsky sequentes per objectum attributionis Logicæ intelligunt objectum adæquatum complexum, ad quod omnia revocantur, quæ per se, & propter se à Logica attinguntur. Tale juxta hos authores est operatio recta in Communi; cujus attributa sunt illa, quæ per accidens & secundariò propter operationem rectam à Logica attinguntur; ùt sunt voces, Res, & Proprietates logicales. *Quinta* sententia definitionem primæ admittit, cui sequentia addit: *ad quod reliqua referuntur ex fine extrinseco Authoris, aliorúmve communiter talem scientiam, vel artem profitentium, quique sit ipsi scientiæ vel arti aliquo modo congruus.* Et hoc appellant objectum attributionis extrinsecum. Ex his duplex oritur *status quæstionis.* 1. An detur in Logica tale objectum intrinsecum? 2. An saltem extrinsecum?

89. *Dico* 1. Non datur in Logica objectum attributionis intrinsecum. *Ratio est:* quia in ea non datur objectum partiale, ad quod reliqua objecta omnia referantur ex fine intrinseco vel ipsius Logicæ, vel objectorum attributorum. *Probatur hoc.* Imprimis non referuntur ad aliquod objectum partiale ex fine intrinseco ipsius Logicæ. Nam *Logica Apprehensiva* pro fine suo intrinseco habet apprehensionem rectam; *Judicativa* habet judicium rectum; in quibus hæ Logicæ partiales quiescunt, nec objecta sua intrinsecè referunt ad Discursum; quod patet ex earum regulis, quarum nulla dicit: sic formandam esse definitionem, aut propo-

posi-

positionem, ut rectus inde fiat discursus, vel ut serviat discursui; sed simpliciter dirigunt ipsam definitionem ac propositionem, quæ, si rectæ sint, quiescunt. Ergo reliqua objecta non referuntur ad aliquod partiale ex fine intrinseco ipsius Logicæ. Ad hæc ponamus impossibilitari Logicam discursivam: An propterea Logica apprehensiva vel judicativa non haberet finem suum in apprehensione vel judicio, quin hæc objecta referri possent ad discursum? Cur ergo modò intrinsecè illuc referantur? Deinde reliqua objecta non referuntur ad Discursum ex fine intrinseco ipsorum attributorum: Nam apprehensiones & judicia per se completa sunt, & expetibilia à Logica, absque ullo ordine essentiali ad discursum. Ergo.

90. *Dico* 2. Datur in Logica objectum attributionis extrinsecum, nempe Syllogismus perfectus probabilem & demonstrativum complectens. *Ratio est:* quia huic convenit definitio objecti attributionis extrinseci n. 88. sub finem allata. Nam 1. est objectum partiale complexum, ùt per se patet. 2. Ad illum reliqua omnia referuntur ex fine Authoris, & communi ferè Logicam profitentium intentione; quia Apprehensiones, judicia & reliquæ argumentationis species ad syllogismum deservire possunt, vel ùt partes, vel ùt præsuppositа, vel ùt concomitantia ad meliorem ipsius intelligentiam & effectionem. Hinc ipse *Arist.* Logicam suam ita ordinavit, ut primò ageret de apprehensione, tum de judicio, ac denique de discur-

discursu in ordine ad syllogismum ceu speciem discursûs nobilissimam, cujus vestigia hodie adhuc Philosophi premunt, non ex necessitate, cùm sistere in singulis potuissent; sed ex congruentia quadam; quòd hæc ante syllogismum præsupponantur. 3. Ipse syllogismus non refertur ad aliud objectum partiale in Logica. Dic enim, quæ sit necessitas, aut quæ specialis congruentia, quod ante reliqua objecta partialia syllogismus perfectus præsupponatur, eisque deserviat?

91. *Obj* 1. *contra* 1. *Concluſ.* Discursus perfectus haberi nequit absque apprehensionibus & judiciis; ergo hæc ex fine intrinseco referuntur ad discursum. R. *N. Conſ.* hoc tantùm sequitur; quòd ante discursum apprehensiones & judicia requirantur tanquam præsupposita, & hæc apta sint ad eum referri. Minimè autem infertur, hæc necessariò & exigitivè ad illum referri, adeò, ut sine illo hæc non subsistere, nec in his sistere Logica apprehensiva aut judicativa possit; quod tamen necessariò sequeretur si ex fine intrinseco ad discursum referrentur. *Si ais*: Partes per se & ex fine intrinseco referuntur ad suum totum; sed Apprehensio & judicium sunt partes syllogismi perfecti; ergo per se, & ex fine intrinseco referuntur ad illum. R. *D. maj.* Partes per se referuntur ad suum totum, si sint partes per se C. si sint partes per accidens N. *D. etiam min.* sed apprehensio & judicium sunt partes syllogismi perfecti per se N. per accidens T.

si re-

si reponas: Apprehensio & judicium sunt partes essentiales discursûs; ergo sunt partes illius per se. R. *D. ant.* Sunt partes essentiales discursûs ex parte sui N. ex parte ipsius syllogismi. T. Pars per se & ex parte sui essentialis est, quæ tanquam aliquid incompletum cum alio incompleto ordinatur ad constituendum totum: ejusmodi sunt materia & forma. Apprehensio autem & judicium per se sunt quid completum. Dixi bis *Transeat.* quia nec apprehensio est pars judicii, nec judicium pars discursûs, ùt suo loco tradetur. *Si rursus instes:* Apprehensio & judicium sunt objecta inadæquata; ergo intrinsecè referuntur ad adæquatum. R. 1. etiam Discursus est objectum inadæquatum; ergo & hic exigit referri ad adæquatum. R. 2. *D. Cons.* ergo intrinsecè referuntur ad adæquatum tanquam ad objectum attributionis. N. tanquam objecta partialia ad totale C. *Si dicas denique:* Discursus perfectus est finis ultimus Logicæ; sed ad finem ultimum omnia referuntur per se & intrinsecè; ergo. R. *D. maj.* est finis ultimus Logicæ partialis, scilicet discursivæ C. Logicæ totalis. N.

92. *Obj.* 2. *contra* 2. *concluſ.* Syllogismus probabilis, tanquam aliquid minùs perfectum, refertur ad demonstrationem tanquam aliquid perfectius; ergo sola demonstratio videtur esse objectum attributionis. R. *N. ant.* Syllogismus perfectus dividitur in probabilem & demonstrativum; quomodo igitur hìc ad illum ordinetur? Adhæc syllogismi probabiles non defer-

ſerviunt ad demonſtrativum, niſi valde remotè, in quantum per eos intellectus diſponitur paulatim ad eliciendum diſcurſum evidentem. Statuendum igitur eſt aliquid magis commune pro objecto attributionis, ad quod reliqua propiùs deſervire poſſint, quale N. 90. aſſignavimus. *Si dicas*, non omnia referri poſſe ad ſyllogiſmum perfectum, v. g. Argumentationes fundatas in regulis Converſionis & Æquipollentiæ, R. N. Nam argumentationes ejusmodi deſerviunt ad ſyllogiſmum hypotheticum, qui ex iis fieri poteſt; deſerviunt etiam ad ſyllogiſmi categorici meliorem notitiam, & quidem non ita remotè.

ARTICULUS VI.

De Proprietatibus & Cauſalitate Logicæ.

§. I.

An & quomodo Logica ſit Una?

93. *Nota.* Triplex datur unitas, quam hìc vel obiter prænotare juvat. 1. Eſt ***Unitas identitatis***, ſive *indiviſibilitatis.* Hàc unitate dicitur unum, quod nullas partes phyſicas habet, nec homogeneas, nec heterogeneas; ùt *Deus*, *Angelus.* 2. Eſt ***unitas compoſitionis.*** Sic unum eſt, quod conſtat materiâ & formâ phyſicâ, ùt *homo:* 3. Eſt *Unitas aggregationis*, quâ multa & diverſa entia completa congregantur. Sic unus dicitur *populus*, *exercitus.* His poſitis, quæritur, quâ unitate Logica totalis, prout apprehenſivam, Judicativam & Diſcurſivam complectitur, ſit una? *Sta-*

tus quæstionis autem non est de Logica actuali: cùm enim hæc aliud non sit, quàm ipsæ regulæ, quæ sunt actus realiter distincti, nullàque physicà unione cohærentes, hinc Logicam actualem totalem unam esse unitate aggregationis, extra controversiam est. Sed quæstio tantùm est de Logica habituali totali; an sit una unitate compositionis, aut identitatis, an verò unitate aggregationis? sive an sit ex multis habitibus diversis & completis conflata?

94. *Dico.* Logica habitualis est una unitate aggregationis tantùm. *Ratio est:* quia aggregatur ex multis habitibus partialibus & numero & specie inter se differentibus, quales sunt habitus Logicæ apprehensivæ, judicativæ & discursivæ. *Confir.* Potest quis habere habitum Logicæ discursivæ, quin habeat habitum Logicæ definitivæ. Item potest quis amittere habitum Logicæ definitivæ, quin amittat habitum Logicæ discursivæ. Ergo Logica habitualis nequit esse unus idémque simplex habitus; sed debet esse una per aggregationem.

95. *Obj.* Omnes Actus Logicæ sibi subordinantur; ergo necesse non est, ut habitus ex his natus, sit multiplex & distinctus. *Prob. ant.* Omnes actus Logicæ respiciunt unum finem rectitudinis artificialis; ergo sibi subordinantur. R. *D. ant. probat.* Respiciunt unum finem generícum rectitudinis C. unum finem specificum rectitudinis. N. Rectitudo enim specifica v. g. Logicæ definitivæ alia omninò est, quàm rectitudo specifica Logicæ discursivæ; cùm actus definitionis sit specie diversus á discursu. *Inst.*

Inst. 1. Nulla est necessitas ita multiplicandi habitus. R. N. Ratio urgens est specie distincta diversitas regularum, quibus habitus acquisiti respondent, præcipuè cùm in diversis regulis practicandis specialis sit & nova difficultas, quæ per habitum vincenda est. His adde rationes conclusionis.

Inst. 2. Idem intellectus producere potest actus specie diversissimos. Item idem habitus fidei divinæ infusus extendit se ad omnia objecta revelata, quantumvis diversa; ergo etiam habitus unicus Logicæ sese extendere poterit ad objecta omnia Logicæ, etsi diversissima. R. *N. Cons. Disp. quoad primum est:* quia experientiâ constat, quod potentiæ naturales, qualis est intellectus, universaliores sint in agendo, minúsque limitatæ, quàm habitus acquisiti. Ratio autem hujus est, quod habitus acquisiti non facilitent, nisi ad actus similes iis, à quibus sunt geniti, ùt iterùm experientia probat. *Disp. quoad 2dum est:* quòd habitus infusus fidei divinæ non acquiratur per frequentatos actus; sed simpliciter à Deo infundatur: hinc non ita limitatur ex parte principii, sicut habitus acquisitus Logicæ. Deinde licèt habitus fidei, circa quæcunque objecta materialia etiam diversissima versetur, semper tamen idem objectum formale specificum habet, nempe authoritatem Dei loquentis, propter quam assentitur objectis omnibus. Econtra habitus Logicæ non semper habet idem objectum formale specificum; alia enim est rectitudo definitionis, alia dis-

cursûs &c. Postremò si vel unicum articulum fidei neges, perdis totum habitum fidei; sed si erres v. g. in definiendo, poteris adhuc retinere habitum Logicæ discursivæ.

§. II.

An Logica Docens & Utens distinguantur realiter?

96. *Nota.* Quod Logica docens v. g. *Definitiva* distinguatur ab utente discursiva aut judicativa, & viciſſim, certum est. Nec disceptatur, an *Docens actualis* realiter distinguatur ab *Utente habituali*? quis enim negat actum inter & habitum, inter causam & effectum distinctionem intercedere? *Status proinde quæstionis* est iste: *Primò.* An *Docens actualis*, sive regula Logicæ potens dirigere v. g. definitionem hominis, distinguatur realiter *quoad rectum*; ab *Utente actuali*, sive ab eadem regula actu dirigente definitionem? *Secundò.* An *Docens habitualis* distinguatur realiter *quoad rectum* ab *Utente habituali*, sive quod idem est; An is, qui per frequentatos actus acquisivit habitum regularum dirigentium v. g. syllogismos, possit sine alio habitu distincto facile syllogismos v. g. in *Barbara* conficere?

97. *Dico.* Nec Docens actualis ab Utente actuali, nec Docens habituals ab utente habituali realiter distinguitur *quoad rectum.* *Ratio* 1, *partis* est: Causa potens causare, & eadem causa actu causans non distinguuntur realiter, nisi *quoad obliquum*, h. e. quoad id, quod in ob-

obliquo connotant; sed Logica Docens actualis est causa potens causare, & utens actualis est eadem causa actu causans; ergo non distinguuntur realiter, nisi *quoad obliquum: Ratio 2. partis* est eadem, cui hanc confirmationem adjungo: Ibi admittendi sunt habitus novi & diversi, ubi novæ difficultates sunt superandæ; sed ad exercendos actus Logicæ Docentis habitualis & utentis habitualis non sunt novæ difficultates superandæ; ergo pro iis admittendi non sunt habitus novi & diversi. *Prob. min.* Actus Logicæ docentis habitualis sunt ipsæ regulæ v. g. Definitionum; & actus Logicæ utentis habitualis sunt eædem regulæ, sed applicatæ ad usum, quam applicationem in obliquo tantùm important; sed ad eliciendas regulas definitionum, & ad easdem regulas applicandas, sive ad faciendas definitiones non sunt superandæ novæ difficultates; ergo. *Minor* est certa, quia difficultates, quæ in actuali applicatione regularum occurrunt, se tenent tantùm ex parte materiæ ignoratæ; hæc autem ignorantia, & annexa eidem difficultas non à Logica, sed à Physica aut alia scientia, in cujus materia exercentur regulæ, tollenda est. *Si ais*: Difficultatem in opere Logicæ exequendo oriri ex ipsa doctrina Logicæ. R. hoc gratis asseritur. Oritur illa quandoque ex imperfecta cognitione regularum; sed hoc nihil probat contra Thesin: supponitur enim in statu quæstionis aliquem perfectam habere regularum notitiam. *Si contendas*, novam oriri

difficultatem circa applicationem regularum ad materiam ex potentia executiva. R. Et hoc falsum est in nostro casu: Nam idem intellectus hìc est potentia præceptiva, i, e. producit regulas, & simul est potentia executiva, i. e. applicat regulas. Quando verò potentia præceptiva & executiva est eadem, tunc peculiaris difficultas in applicatione regularum ad materiam tollenda non est, sicut est tollenda tunc, quando non eadem potentia est præceptiva & executiva, ùt fit in arte saltandi.

98. *Obj.* 1. *contra* 1*mam concluſ.* Actus Logicæ docentis & utentis actualis distinguuntur realiter; ergo & ipsa Logica docens & utens. *Prob. Ant.* Actus Logicæ docentis actualis est v. g. *Definitio debet constare genere & differentiâ*; & actus Logicæ utentis actualis est v. g. hic: *Animal rationale.* Sed hi actus distinguuntur realiter; ergo. R. *D.* 2. *partem majoris.* Et actus Logicæ utentis actualis directus & mediatus est hic: *Animal rationale.* C. & actus Logicæ utentis actualis dirigens est hic: *Animal rationale.* N. & *conceſsâ min. D. Conſ.* Ergo actus dirigentes Logicæ docentis actualis, & utentis actualis distinguuntur realiter N. Actus directi, vel dirigentes & directi. C. Sed de actibus directis hìc non est quæstio.

Inſt. 1. Actus dirigentes Logicæ docentis actualis non dicunt actualem directionem; Actus verò Logicæ utentis actualis dicunt actualem directionem; ergo etiam actus dirigentes Logicæ docentis & utentis distinguuntur realiter. R. 1.

Retor-

Retorqueo ratione in conclusione positâ. R. 2. *D. ant.* Et dicunt directionem, vel non dicunt in obliquo tantùm. C. in recto. N. Deinde docens actualis non negat directionem actualem; sed ab ea tantùm præscindit. *Si ais*: Logica utens actualis essentialiter dicit directionem; Docens actualis eam essentialiter non dicit; ergo non tantùm quoad obliquum ab invicem distinguuntur. R. *D. ant.* Utens ùt utens dicit essentialiter directionem, & Docens ùt Docens eam essentialiter non dicit C. utens quæ utens, & Docens quæ Docens. N. Nos verò non negamus, quod utens ùt utens distinguatur à Docente, ùt Docens est; sicut non inficiamur causam, ùt actu causans est, distingui à causa ùt non est causans actu.

99. *Obj.* 2. Logica docens & utens possunt realiter separari; ergo etiam distiguuntur realiter. R. *D. ant.* possunt realiter separari quoad prædicata intrinseca, & rectum. N. Quoad connotata & obliquum C. *si reponas.* Docens & utens habent diversa objecta; ergo etiam quoad prædicata intrinseca distinguuntur realiter. R. *N. ant. Probas.* Logica docens v. g. definitiva pro objecto habet omnes definitiones in communi; Utens autem definitiva pro objecto habet unam definitionem in particulari; sed hæc sunt diversa objecta; ergo. R. *D.* 2. *partem maj.* Utens definitiva habet pro objecto unam difinitionem in particulari tantùm N. habet etiam omnes reliquas. C.

100. *Obj.* 3. Docens & utens habent diversas

definitiones; ergo etiam essentias diversas habent. R. *D. ant.* Habent diversas definitiones diversitate se tenente ex parte recti N. ex parte obliqui & connotati. C. Adverte, hæc ipsa argumenta paululùm immutata adhiberi posse contra partem conclusionis secundam.

101. *Obj.* 4. *Contra* 2. *partem Concluſ.* Logica docens habitualis est scientia; Utens habitualis non est scientia; ergo distinguuntur realiter. R. *D.* 2. *partem ant.* Utens habitualis, *quà* utens non est scientia. C. *Quæ* utens est N. utraque enim est habitus per Demonstrationem acquisitus: Non tamen Docens *quà* Docens, nec Utens *quà* Utens est scientia; quia doctrina vel actualis usus non est ratio, quare habitus Logicæ sit scientificus; aliàs omnes artes essent scientia, quia docent.

102. *Observa I.* Dum *Aristoteles* inquit, Logicam docentem esse avulsam à rebus; Utentem verò concretam rebus, intelligendus est de Logica utente *passivè*, sive de objecto Logicæ. II. Qui amittit omninò habitum & notitiam regularum dirigentium v. g. syllogismos; & tamen habitum formandi syllogismos adhuc retinet, is faciendo syllogismos, non ponet actus Logicæ directos. Cujus ratio est, quia Logica in illos non influit. Nec talis habebit habitum Logicæ utentis, quia non est generatus à scientia actuali; sed habitus ille retentus erit partim à Logica naturali, partim ab habitu antecedenter habito, & paulatim deficiente.

§. III.

§. III.

An & quomodo Logica necessaria sit ad Comparandas scientias alias?

103. *Nota* 1. Res aliqua necessaria dicitur vel *Metaphysicè*, vel *Physicè*, vel *Moraliter*. Res necessaria *metaphysicè* est illa, sine qua finis aliquis obtineri non potest, nequidem per Dei omnipotentiam. Sic ad intelligendum necessarius est intellectus. Res necessaria *physicè* est, sine quâ finis naturaliter obtineri nequit, potest tamen supernaturaliter, vel per miraculum; sic ad vitam conservandam necessarium est alimentum. Alii ejusmodi rem cum *Rhodes* dicunt necessariam *simpliciter*. Res necessaria *moraliter* est, sine quâ finis absolutè quidem & naturaliter obtineri potest; sed non nisi rarò & magna cum difficultate obtinebitur. Sic Claudo ad magnum iter Conficiendum necessarius est equus.

104. *Nota* 2. Scientia alia est *inadæquata*, sive secundùm partem spectata; alia est *adæquata* sive sumpta secundùm se totam. Item scientia spectari potest vel *materialiter* & *quoad substantiam*; vel *formaliter* & *quoad modum*. *Scientia materialiter spectata* est scientia in statu minùs perfecto considerata, quæ quidem habet cognitiones certas & evidentes quoad se, non tamen cum cognitione reflexa, nec potest dare rationem sui sciti, sive de bonitate consequentiæ. *Scientia formaliter spectata* est scientia in statu perfecto, ad quam tria requiruntur: 1mò ut

possit demostrare suos actus. 2dò Ut reddat intellectum imperturbabilem. 3tiò Ut faciat intellectum scire se scire, & ut ipse de bonitate consequentiæ rationem dare possit. His positis & suppositis, *status quæstionis* non est de Logica naturali; hæc enim non minùs necessaria est, quàm ipse intellectus. Nec est quæstio de Logica habituali; quia sine hac potest quis (modò actualem intelligat) acquirere scientiam perfectam & totalem; cùm habitus acquisiti non dent simpliciter posse, sed tantùm facilè posse. Sed quæritur *primò*: An & quâ necessitate Logica actualis artificialis sit necessaria? *Secundò*: ad quas scientias?

105. *Dico* 1. Logica actualis non est necessaria *metaphysicè* ad alias scientias in statu etiam perfectissimo spectatas. *Ratio.* Quia Deus scientias infundere potest longè perfectiores, quàm industria & subtilitas hominis possit acquirere; ergo metaphysicè necessaria non est. Antecedens vix ullus satis rationabiliter infitiabitur; quis enim potentiam hanc negabit Deo, cùm nihil imperfectionis sonet?

106. *Dico* 2. Logica actualis ad alias scientias materialiter & quoad substantiam spectatas necessaria non est *physicè*. *Ratio.* Ante inventam Logicam multi erant Astrologi, Mathematici, Medici, qui conclusiones habebant certas & evidentes; etsi non potuerint dare rationem sui sciti; ergo physicè necessaria non est ad has scientias. *Ant. quoad* 1. *partem* constat ex historiis, quæ testantur Ægyptios & Hebræos

ante

ante inventam Logiam excelluisse Mathematicis; Hippocratem, Milesium & alios græcos in arte medica, in moralibus & naturalibus insignes extitisse. *Altera pars antecedentis* patet ex n. 108. *Confir.* Homo ingenii perspicacis absque Logica comparare sibi potest scientiam aliquam partialem non ita difficilem, & successivè etiam difficiliores; cùm intellectus semper magis magísque acuatur; imò homo non ita ingeniosus ex his præmissis: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; sed non vis tibi famam detrahendo surripi*; potest hanc deducere conclusionem: *ergo nec te detrahere alteri oportet.* Etsi dare rationem sui sciti non valeat; ergo potest quis absque Logica comparare sibi scientiam materialiter & quoad substantiam spectatam.

107. *Dico* 3. Logica actualis ad alias scientias materialiter & quoad substantiam spectatas necessaria est *moraliter*. *Ratio.* Res illa moraliter necessaria est, sine qua finis absolutè quidem & naturaliter obtineri potest; sed nonnisi rarò & magna cum difficultate; sed absque Logica actuali aliæ scientiæ quoad substantiam spectatæ absolutè quidem obtineri possunt, non tamen absque magna difficultate; ergo. *Major* continet definitionem communem necessitatis moralis. *Minor* constat experientiâ, & probatur insuper à priori: quia intellectûs nostri debilitas tanta est, ut nisi certis legibus alligetur, ferè semper verum inter & falsum fluctuet, aut certè non sciat, sed tantùm opinetur, semperque versetur in periculo errandi in materiis præ-

præcipuè difficilioribus magísque obscuris. Hinc *Tullius* in 3. *de Finibus* sic habet: *sine Dialectica quemvis arbitramur à vero abduci fallique posse.*

108. *Dico* 4. Logica actualis ad alias scientiat totales formaliter & quoad modum spectatas est necessaria *physicè*. Sententia hæc nec nova est, nec rara; sed propterea non erit minùs chara. Tenet eam P. *Quiros*. P. *Rhodes*, qui Logicam ad alias scientias ita necessariam dicit, *sicut respiratio ad vitam necessaria est homini*. P. Chanevelle, qui Logicam non minùs necessariam ad scientias totales tuetur, ac *necessarius est cibus ad conservandam vitam. Ratio thesεos est*: Ad scientiam totalem formaliter & quoad modum spectatam requiruntur hæc tria: ut possit demonstrare suos actus, ut reddat intellectum imperturbabilem, ut possit dare rationem de bonitate consequentiæ, sive ut reflexè sciat; sed hæc præstare nequit scientia sine Logica; ergo: *Major* constat ex *Aristotele*, qui eam satis clarè *lib.* 1. *Poster. cap.* 2. sub finem innuit his verbis: ἐιπερ δεῖ τὸν ἐπιστάμενον ἁπλῶς, ἀμεταπτωτον εἶναι. *Siquidem oportet scientem simpliciter, immutabilem esse*, vel ut alii vertunt: *ut labi & errare nequeat.* Vide etiam n. 113. usque ad n. 114. *Prob. min.* Ipsa bonitas consequentiæ est conformitas cum regulis Logicæ, ergo nullus potest dare rationem de bonitate consequentiæ, si nesciat regulas Logicæ, i. e. ipsam Logicam artificialem actualem. *Confir.* ab authoritate. *S. August.* vocat Logicam

Artem

Artem artium, quâ clausâ cæteræ clauduntur, quâ apertâ cæteræ aperiuntur. Alii eam vocant *Regulam & mensuram artium, scientiam scientiarum, mundi rationalis solem*, quo absente in tenebris cespitare humana ratio cogitur. Hinc etiam ipse *Aristoteles* 1. *Metaphys.* manifestè dicit: quòd multi, qui ante inventam Logicam scientiâ floruerunt, *multipliciter errârint.* Igitur citra ullius offensionem in Logicæ laudem dicere possum: *Dat Galenus opes, dat Justinianus honores; absit Aristoteles, ibit uterque pedes.* i. e. Absque Logica artificiali aliæ scientiæ humiles erunt & minùs perfectæ.

109. *Objic.* 1. *contra* 2. *concluſ.* Juxta *Arist.* nemo aliquid scit, nisi sciat se scire; sed absque Logica nemo scit se scire ex n. 108. Ergo absque Logica nemo aliquid scit. Ergo ad scientias etiam materialiter spectatas erit physicè necessaria. R. *D. maj.* Nemo aliquid scit formaliter, nisi sciat se scire C. nemo aliquid scit materialiter, nisi sciat se scire N. & *concessâ min. sic D. conſ. Si ais:* absque Logica nulla habetur evidentia; ergo etiam nulla scientia. R. *D. ant.* absque Logica vel naturali vel artificiali nulla habetur evidentia C. præcisè absque Logica artificiali, *Subdist.* nulla habetur evidentia tanta, quanta requiritur ad scientiam in statu perfecto C. quanta requiritur ad scientiam in statu minùs perfecto N.

110. *Objic.* 2. *contra* 3. *concluſ.* Multi ante inventam Logicam evaserunt in Astrologos, Mathematicos, & hodie adhuc reperiuntur Jurispru-

prudentiâ, aliisque scientiis insignes, quin studuerint Logicæ; ergo nequidem moraliter est necessaria. R. *D. ant.* Evasêre tales absque magna difficultate N. cum magna difficultate, *Subdist.* Evasêre tales in statu minùs perfecto C. in statu perfecto N. Experientia satis docet, quod Logicæ peritiâ destituti, syllogismo obscuro vel sophistico facilè turbentur, nec semper sciti sui dare rationem sciant. *Ne dicas*, quod homo perspicacis ingenii sine Logica possit absque magna difficultate acquirere primò partem faciliorem alicujus scientiæ, & sic successivè totam. Nam etsi verum hoc sit, si inter partiales non sint obscuræ & difficiliores; falsum tamen est, si obscura & difficiliora in aliqua scientia occurrant. *Si reponas*, totam illam majorem difficultatem oriri solùm ex obscuritate materiæ, quam Logica, non curans materiam, certè non tollit. R. Logica non curat quidem materiam, nec difficultatem ex ejus obscuritate ortam tollit, si intra finem suum intrinsecum relinquatur: at secùs est, si ab operante ad talem materiam applicetur. Certum enim est, quod Logica in tali casu ex fine extrinseco multùm conducat, ut intellectus certis regulis astrictus faciliùs procedat, minúsque sit obnoxius periculo errandi.

III. *Objic.* 3. *contra* 4. *concluſ.* Logica artificialis non fuit physicè necessaria ad se ipsam; ergo nec ad alias scientias. R. 1. *Retorqueo*: Grammatica non est necessaria ad se ipsam; ergo nec ad alias artes bene loquendi. R. 2. *N. consl.*

Logi-

Logica est modus bene loquendi mentaliter, sicut Grammatica est modus bene loquendi materialiter; ad modum autem sciendi non requiritur alius modus ejusdem rationis, ne procedatur in infinitum. *P. Rhodes* assignat hanc disparitatem: Logica per se ipsam formaliter scit se scire; aliæ econtrà scientiæ hoc non habent nisi ab ipsa Logica: unde Logica formaliter sibi sufficit ad sciendum perfectè, & necessaria non est antecedenter ad se ipsam, sicut ad alias scientias. Alii respondent, unam Logicam partialem necessariam esse ad aliam partialem; ad primam verò partialem non ita difficilem suffeciſſe Logicam naturalem. Sed priores resſponsiones præplacent.

112. *Objic.* 4. Si Logica sit physicè necessaria ad alias scientias in statu perfecto consideratas; ergo foret reliquis scientiis nobilior: quia ars dirigens nobilior est habitu directo. Sed consequens falsum est; ergo & antecedens. R. N. *Sequelam*, ejus probationem D. Ars dirigens simul & imperans nobilior est habitu directo C. ars dirigens tantùm ministrando, *Subd.* est nobilior quoad hunc effectum præcisè C. est simpliciter nobilior N. Logica arrogans adeò non est, ut inter scientias reliquas omnes primatum sibi vendicet & prærogativam; sed humili famulæ servitio contenta, in eo gloriæ suæ apicem ponit, quod gradum sese scientiis aliis substernat, quo ad perfectionis suæ sublimitatem tutò valeant eluctari. *Si ais:* Saltem sequeretur, quod ante *Arist.* nemo habuerit Philoso-

losophiam aut aliam scientiam in gradu perfecto; quia hic *cap. ult. Elench.* Logicam artificialem à se inventam esse gloriatur. R. Si Adamum excipias, & id, quod Philosophus de se fatetur, veritate nitatur, concedo sequelam: quid tum?

113. *Objic.* 5. Ad scientiam sufficit, si constet rectâ & evidenti materiâ; non autem requiritur, ut habeat rectam formam; ergo Logica ad scientiam acquirendam necessaria non est. R. *N. ant.* Aliàs etiam hic syllogismus: *Animal est homo, homo non est lapis*; ergo *animal non est lignum.* Generaret scientiam. *Si ais?* Saltem non requiritur ad scientiam, ut constet de bonitate formæ, & ut aliquis reflexè sciat. R. Et hoc falsò asseris. Ut enim scientia absolutè talis acquiratur, necesse est, ut illa cognoscatur *ùt* demonstratio; aliàs non quiescet intellectus, nec erit imperturbabilis, cùm timere semper & suspicari possit, quod fortè fallatur.

Inst. 1. Ibi scientia perfecta est, ubi est cognitio certa & evidens per causas; sed ante Logicam jam dabatur talis cognitio; ergo. R. *D. maj.* ubi est cognitio certa & evidens per causas cum imperturbabilitate ex parte scientis C. sine hac N. D. etiam *min.* Ante Logicam dabatur talis cognitio cum imperturbabilitate. N. sine hac C.

Inst. 2. Sine Logica deprehendi potest evidens connexio consequentis cum antecedente; ergo etiam sine Logica haberi potest scientia cum imperturbabilitate, quia in hoc fundatur imper-

tur

turbabilitas. R. *D. ant.* Deprehendi potest imperturbabiliter & in omnibus materiis. N. in facilioribus & cum formidine aliqua erroris ac deceptionis. C.

114. *Objic.* 6. Conclusiones Mathematicæ continentur in principiis à Logica independentibus; ergo possunt ex iis deduci sine Logica. R. D. *ant.* Continentur in iis formaliter & explicitè N. virtualiter tantùm & implicitè C. Hinc opus est Logicâ, ut sine periculo erroris indè eruantur.

115. *Observa* I. AA. nihil evincunt contra hanc conclusionem ultimam dicendo; alias scientias esse directas & primarias, quæ absolutè naturaliter acquiri possunt sine scientia reflexa & secundaria, qualis est Logica. Nam tales scientiæ directæ absque reflexione, sunt scientiæ tantùm in statu minùs perfecto, quæ utique ante Logicam existebant; si verò spectentur in statu perfecto, tunc illis prior est Logica. II. Admissâ reflexione non sequitur processus in infinitum, cùm intellectus satìs tutò acquiescat in regulis Logicæ scientificis, ex rationibus n. 111. datis. III. Nequicquam hæc ipsa quarta conclusio impugnatur ab iis, qui contendunt, quòd alia dentur principia, ad quæ reflectendo actus scientificus examinari possit, adeóque necesse non sit reflectere ad regulas Logicæ. Sic enim contra illos argumentor, & quæro: quid reflexione illâ ad alia principia eruatur? si fateantur erui ipsas regulas Logicæ; infero: ergo fit reflexio ad ipsas regulas Logicæ. Si verò

ipsæ regulæ Logicæ non eruantur; etiam non erit scientia perfecta; cùm hæc non sit sine modo sciendi, qui hucusque alius non fuit quàm Logica.

§. IV.

Quomodo Logica ad actus aliarum scientiarum concurrat?

116. *Nota.* Concursus alius est physicus & effectivus, alius moralis. *Physicus* est, quando causa physicè & effectivè influit in suum objectum. Sic physicè concurrit Ludimagister, si tyroni in scribendo manum ducit. Concursus *moralis* est, si causa tantùm dirigat objectum, præscribendo regulas & modum operandi. Sic Ludimagister moraliter juvat tyronem, dum præscribit exemplar, secundùm quod literas efformat. *Status quæstionis* est tam de Logica actuali quàm habituali: an nimirùm utraque vel physicè vel moraliter, an mediatè vel immediatè concurrat ad actus aliarum scientiarum?

117. *Dico* 1. Logica actualis *moraliter* tantùm & *directivè* concurrit ad actus aliarum scientiarum. *Ratio* est, quia ex communi Philosophorum una cognitio non producit physicè aliam; cùm sit actus statim transiens: sed regulæ Logicæ sunt tales cognitiones; ergo.

118. *Dico* 2. Nec Logica habitualis concurrit physicè, sed moraliter tantùm. *Ratio* est, quia habitus naturalis acquisitus, juxta communem, physicè effectivè concurrit tantùm ad actus

actus similes iis, à quibus est generatus; sed habitus Logicæ est habitus naturalis acquisitus ex actibus Logicæ dirigentibus; ergo etiam ad hos tantùm effectivè physicè concurrit.

119. *Objic.* 1. Habitus Logicæ debet concurrere ad suum artefactum; sed artefactum Logicæ est v. g. in actu physico logicè recto; ergo habitus Logicæ ad talem actum debet concurrere. R. D. maj. Debet concurrere ad suum artefactum vel physicè vel moraliter C. necessariò physicè effectivè N. Nullus habitus artis concurrit physicè effectivè in materia propria ad suum artefactum; ergo multò minùs habitus Logicæ in materia aliena. *Si ais:* ex n. 118. Habitus Logicæ concurrit physicè ad actus Logicæ; sed actus aliarum scientiarum sunt similes actibus Logicæ; ergo etiam ad illos physicè concurret. R. *D. maj.* Concurrit physicè ad actus dirigentes Logicæ C. ad actus directos N. sed actus aliarum scientiarum sunt tantùm similes actibus Logicæ directis; ergo nec ad illos physicè concurrit. *Si quæras:* Quis tales actus logicè rectos in aliena materia physicè producat? R. Physicè & vitaliter producit illos habitus illius scientiæ, in cujus materia est talis actus, unà cum intellectu. *Nec obstat:* Quod habitus alterius scientiæ sit improportionatus ad actus, in quibus reperitur artefactum logicum. Nam licèt sit improportionatus sine habitu Logicæ dirigente & illuminante intellectum; si tamen hic accedat directione suâ, illa improportio tollitur.

120. *Objic.* 2. Rectitudo logica, quæ in actibus aliarum ſcientiarum reperitur, debet habere principium effectivum, ſed aliud non eſt aſſignabile, quàm Logica habitualis; ergo. R. *D. maj.* Rectitudo logica materialiter & identicè ſpectata, h. e. actus, cui identificata eſt rectitudo logica, debet habere principium ſui effectivum C. rectitudo logica formaliter ſpectata, h. e. prædicatum rectitudinis, ùt tale, requirit principium effectivum N. Principium effectivum actûs, qui identificatam habet rectitudinem logicam per ſe eſt intellectus, per accidens ſimul habitus aliarum ſcientiarum. Prædicatum autem rectitudinis formaliter ſpectatum requirit tantùm principium ſui directivum. Patet hoc in omni opere artificioſo, in quo cognitio ſemper directivè tantùm concurrit.

Inſt. 1. In actu ſupernaturali fidei præter intellectum requiritur ſupernaturale principium effectivè ac phyſicè concurrens; ergo etiam actus logicè rectus in aliena materia elicitus requiret præter intellectum principium logicum effectivè phyſicè concurrens. R. *N. conſeq. Diſp.* eſt: Actus fidei totus eſt ſupernaturalis & totus vitalis, adeoque debet habere principium & vitale & ſupernaturale phyſicè influens, cùm nullum per aliquid aliud ſuppleri poſſit, & ſatis proportionatum reddi ad talem effectum ſe ſolo ponendum; ùt interim ex Theologia ſupponimus. Aliud eſt in opere artificioſo, quale eſt actus logicè rectus, in aliena materia elicitus, quod præter potentiam executricem requirit prin-

principium tantùm directivè influens, cum accedente solâ directione potentia executrix sit satis proportionata tali effectui, ùt quotidiana docet experientia.

Inst. 2. Habitus Logicæ discurrendo in materia aliarum scientiarum intenditur; sed hoc fieri nequit sine concursu physico; ergo. R. 1. *N. maj.* Non enim intenditur directè habitus Logicæ dirigens, de quo hìc est quæstio; sed directus, quia ab actibus directis non nascitur habitus, nisi pariter directus. R. 2. *D. maj.* Intenditur habitus Logicæ dirigens directè & immediatè N. indirectè & mediatè, mediantibus scilicet actibus Logicæ dirigentibus C. R. 3. Etiam minor falsa est; nam habitus intendi etiam possunt per concursum directivum.

Inst. 3. In actum, qui v. g. simul est temperantiæ & misericordiæ, utriusque virtutis habitus influit physicè; ergo etiam ad actum v. g. physicum Logicè rectum, utriusque scientiæ habitus physicè influit. R. 1. *N. ant.* Nullus enim habitus naturalis dirigens physicè influit in actus directos. Sola proinde voluntas directa & illuminata ab habitu utriusque virtutis producit physicè talem actum. R. 2. T. *ant.* N. *cons. Disp.* est, quia in casu priore actus est formaliter ac directè & temperantiæ & misericordiæ. In posteriori autem casu actus ille directè est physicus tantùm; cùm habeat materiam physicam, à qua ceu objecto specificatur omnis actus.

121. *Dico* 3. Logica habitualis concurrit ad actus aliarum scientiarum tantùm mediatè; quia mediantibus actibus dirigentibus illuminat & dirigit intellectum, ut cum habitu aliarum scientiarum sit proximè potens ad eliciendos actus logicè rectos in materia aliena. Logica verò actualis concurrit immediatè ad tales actus; quia immediatè per suas regulas dirigit intellectum, quomodo debeat sine periculo erroris definire, dividere, discurrere. Hæc de Prolegomenis satis dicta sunto; ex quibus Logicæ præstantiam necessitatémque dum colligis, quantum huic studio studium impendas, ipse, mi Lector, conclude.

TRA-

TRACTATUS I.
DE
LOGICA APPREHENSIVA.

LOgica Apprehensiva sunt Regulæ dirigentes Apprehensionem, ne in illis, quæ ad eam pertinent, erret vel confusione vel ignorantiâ, vel obscuritate. Spectant autem ad Apprehensionem *Universalia*, *Anteprædicamenta*, *Prædicamenta* sive *Categoriæ*, *Definitiones*, *Divisiones* &c. Qui igitur Logicæ apprehensivæ regulas in compendio desiderat, is eam P. Du Trieu Dialecticæ partem inspiciat, ubi de suprà memoratis agit; & quot leges pro iis ritè conficiendis ordinandísque in ea reperiet, tot Apprehensionis regulas deprehendet. Has ipsas in hoc tractatu tuebor, easque in Disputationibus quatuor illustrabo quæstionibus variis de *Universalibus in genere*, de *Isagoge Porphyrii*, de *Anteprædicamentis*, de *Prædicamentis*; prout ea in Logica majore fusiùs tractari solent. Quoniam verò ad meliorem horum omnium intelligentiam *Unitatis*, *Identitatis*, *Distinctionis* ac *Præcisionis* notitia non utilis modò, sed etiam necessaria videtur, hinc nullus in malam mihi partem vertet, si ea, quæ ad hanc notitiam faciunt, ex Metaphysica huc transferam, & primò prosequar. Sit itaque

DISPUTATIO I.

De Unitate, Identitate, Distinctione, & Præcisione.

ARTICULUS I.

De Unitate & Identitate.

§. I.

Quid sit Unitas?

122. *Nota.* Unum (sive sit tale *identitate*, sive *compositione*, sive *aggregatione*, *vid.* n. 93.) est concretum, cujus *subjectum* est res, quæ dicitur una. Communiter definitur sic: *Est indivisum in se, & divisum à quolibet alio. Forma* hujus concreti est unitas, quæ vulgò dicitur *indivisio rei in se, & divisio à quolibet alio.* Hæc vocatur *transcendentalis*; eoquòd omni enti conveniat. Unitas alia est *Prædicamentalis* sive *Respectiva*, quâ ens ita denominatur unum, ut excludat consortium similium. Sic unus est *Deus*, & quidem essentialiter. Sic quoque unus est *Sol*, sed contingenter. Hæc *unitas* dicitur potiùs *unicitas*. Datur præterea unitas *numerica* seu *individualis*; nec non *formalis* & *universalis*. De his ultimis agetur suo loco. Quæstio præsens est tantùm de unitate transcendentali: utrùm in suo conceptu formali includat tantùm indivisionem rei in se? an verò præterea formaliter includat divisionem à quolibet alio, vel indivisionem rei à se?

123. *Dico.* Unitas transcendentalis adæquatè definitur: *Indivisio rei in se*, h. e. Indivisio rei

in

in plura talia, qualis est ipsa. *Ratio.* In eo statuendus est conceptus formalis adæquatus unitatis, quo præcisè posito, omnique alio sublato, habetur forma, à qua res formaliter denominatur una; sed positâ præcisè indivisione rei in se, omnique alio sublato, habetur hæc forma; ergo. *Prob. min.* Hoc ipso quod *Petrus* v. g. vel *Exercitus* sit indivisus in plures Petros vel exercitus tales, qualis est ipse, jam formaliter *Petrus* non est Petrus & Petrus; & *Exercitus* non est exercitus & exercitus; sed intelligitur formaliter unus, licet *Petrus* dividatur in plures partes, & *Exercitus* in plures milites; ergo. *Confirm.* 1. Unitas est prædicatum absolutum, divisio autem ab alio est prædicatum respectivum; ergo hoc posterius non pertinet ad conceptum formalem unitatis. *Confirm* 2. Deus erat perfectè unus, antequàm ulla creatura extiterat; & si etiam nulla creatura foret possibilis, adhuc esset perfectè unus (idem intellige de quocunque alio ente etiam creato) ergo ad conceptum formalem unitatis non pertinet divisio rei ab alio.

124. *Objic.* Indivisio rei in se est prædicatum negativum; sed hoc nequit constituere prædicatum positivum, quale est unitas; ergo unitas non est indivisio rei in se. R. *D. maj.* Est prædicatum negativum formaliter & quoad rem N. quoad modum explicandi C. Unitas est perfectio entis, nulla autem perfectio est formaliter negatio, sed tantùm quoad modum explicandi. *Nec obstat D. Thomas*, qui hæc habet: *Unde dico: quod negatio ista, in qua perficitur ratio uni-*

tatis, non est nisi negatio rationis tantùm. Nam nil aliud vult, quàm unitatem perfici per negationem quoad nos; quia faciliùs intelligimus, quid res non sit, quàm quid sit.

125. *Inst.* 1. Indivisio à se, sive divisio ab alio imbibitur in omni entis differentia; ergo & hæc pertinet ad conceptum formalem unitatis. R. *D. ant.* imbibitur sub conceptu unius formaliter N. sub conceptu distincti C.

Inst. 2. *S. Th.* in 1. dist. 19. q. 4. a. 1. ad 2. ait: *Ipsa essentia creati, secundùm quod est indivisa in se, & distinguens ab aliis, est unitas ejus.* Ergo juxta S. Th. indivisio rei à se pertinet ad rationem unitatis. R. N. *conseq.* vel D. pertinet ad rationem unitatis transcendentalis & absolutè talis N. respectivè talis C. Nimirùm agit S. Doctor loc. cit. de ente, in quantum hoc constituit actu cum alio numerum, & consequenter intelligit ens respectivum. Sic *S. Th.* in aliis quoque textibus explicandus est, ubi nobis videtur contrarius.

§. II.

Quid sit identitas?

Nota. Sicut *unitas* pluralitati, ita distinctioni opponitur *Identitas*, quæ est forma denominans prædicatum *Idem. Aristoteles* 5. *Metaph.* c. 9. eam vocat *unitatem quandam essentiæ.* De hac quæritur; quis sit formalis conceptus ejus definitivus?

126. *Dico.* Identitas est *vera affirmabilitas in recto unius de alio.* Sic *Maurus*; *Cattaneus*, *Se-*

me-

merus, *Joan. de Benedictis*, & RR. communiter. Prætereà bonitas hujus definitionis exinde patet: quia intellectis præcisè his prædicatis: *vera affirmabilitas* &c. formalissimè intelligitur entitas, sive res cum prædicato, quod convenire nulli potest, non habenti identitatem cum se ipso, & non sit ipsum; ergo in prædictis prædicatis statuenda est essentia identitatis.

127. *Objic.* 1. Affirmabilitas est aliquid emanans ex ipsa essentia; ergo per eam non bene definitur identitas. R. D. *ant.* Affirmabilitas extrinseca emanat ex ipsa essentia C. intrinseca N. *Affirmabilitas extrinseca* provenit ab intellectu potente aliquid affirmare de re quapiam; & hæc est proprietas consequens ad ipsam essentiam identitatis, & ad entitatem rei. *Affirmabilitas intrinseca* est ipsa essentia identitatis & entitas rei, ratione cujus res aliqua habet meritum, ut de se ipsa affirmetur. Hinc affirmabilitas extrinseca ad intrinsecam se habet, ùt risibile ad rationale. Sicut enim bene dico: *Ideò homo est risibilis consecutivè, quia est rationalis.* Ita etiam bene assero: *Ideò intellectus potest prædicatum aliquod affirmare de subjecto, quia illud prædicatum verè affirmabile est in se de tali subjecto*; sed non vice versâ.

128. *Obj.* 2. Posita definitio exprimit pluralitatem, adeóque distinctionem; ergo non est bona. R. *D. ant.* Exprimit pluralitatem rationis & quidem tantùm exercitè C. pluralitatem rerum. N. Sylvester Maurus q. 30. Log. ad 1. hoc sic explicat: Per Verba,

unius

unius de alio, non significatur, quod, quæ habent identitatem, debeant habere pluralitatem à parte rei .... Solùm igitur significatur, quod identitas est affirmabilitas duorum nullam habentium pluralitatem à parte rei; sed habentium aliquam pluralitatem ratione nostrâ, in quantùm sumuntur ùt duo per duos conceptus, per quos unum constituitur subjectum, aliud prædicatum propositionis affirmantis, quod sint idem.

129. *Obj.* 3. Identitas meliùs definitur sic: *Est consensus in omni omninò perfectione*; ergo prior definitio non subsistit. R. *N. ant. Ratio negandi* est; quia dari potest consensus in omni omninò perfectione, quin detur identitas: Patet hoc in iis, quæ similitudinem inter se perfectissimam habent; fieri enim potest, ut inter perfectè similia sit talis consensus, h. e. ut nulla perfectio sit in uno quæ non sit in altero; & tamen inter illa similia non erit identitas; cùm impossibile sit dari similitudinem sine distinctone. Si autem per li *consentire in omni omninò perfectione* intelligas, illam perfectionem, quæ est in uno, debere esse *eandem numero* in altero, tunc dabitur quidem identitas; sed hic ipse sensus supponit jam clariorem conceptum de identitate, quàm is est, qui in allata modò definitione exprimitur; quandoquidem consensus in omni omninò perfectione familiariùs accipitur pro perfectissima similitudine, quàm pro individuali identitate inter ea, quæ realiter unum, veniunt ùt plura.

ARTI-

ARTICULUS II.

De Distinctione Reali.

130. *Nota I.* Aliud est *Differentia*, aliud *Diversitas*, aliud *Distinctio*. *Differentia* est duorum sub eodem genere Aristotelico positorum diversitas differentiarum. Sic differre dicuntur *Homo* & *Brutum*; quia sub eodem genere animalis habent differentias diversas. *Diversitas* est duorum sub nullo genere Aristotelico positorum differentia essentialis. Talia diversa sunt *Substantia* & *Accidens*. *Distinctio* est forma denominans rem vel subjectum distinctum. Hæc reperitur etiam inter ea, quæ nec differentia, nec diversa sunt inter se, v. g. inter Petrum & Paulum &c.

131. *Nota* 2. Distinctio Universim est duplex: *Realis* & *Rationis*. *Realis* est inter duo extrema realia, ante operam intellectûs, nemine cogitante. V. g. inter *Petrum* & *Paulum*. *Rationis* est, quæ intercedit inter duo extrema intentionalia, quæ fiunt per intellectum v. g. inter *Animal* & *Rationale*, quæ ante operam intellectûs sunt indistincta, distinguuntur autem per intellectum. Porrò *distinctio Realis* vel est adæquata vel inadæquata. *Adæquata* est, quæ intercedit inter duo extrema realia, quorum neutrum ab altero includitur. *Inadæquata* est inter duo extrema realia, quorum unum ab altero includitur. Hæc vel est inter totum & ejus partem, v. g. inter *hominem* & *corpus*, & dicitur *distinctio includentis ab incluso*. Vel est inter partem

tem & totum, v. g. inter *animam* & *totum hominem*, & dicitur *distinctio inclusi ab includente*. Sunt & aliæ adhuc distinctionis divisiones, de quibus suo loco.

132. *Nota* 3. Signa distinctionis realis (loquendo de creatis) afferri solent quatuor. I. Est *negabilitas vera in recto, & in sensu reali & identico.* Sic distinguuntur realiter animal in Petro, & animal in equo; quia in sensu reali & identico verè dicere possum: id, quod est animal in Petro, non est id, quod est animal in equo. *Dixi loquendo de creatis.* Nam in divinis paulò aliter loquendum est; Pater enim, Filius & Spiritus S. distinguuntur realiter, & tamen falsò dico: Id quod est Pater non est Filius; quandoquidem & Filius est illa essentia divina, quæ est Pater. Igitur ut hoc signum universalius sit, sic ponendum est: *Quæ de se invicem negari possunt eo modo & secundùm id, quo modo & secundùm quod de se invicem verè negantur, illa quoque distinguuntur realiter.* Ex hoc enim signo sic posito adverto etiam in divinis Patrem & Filium realiter distingui, cùm possint de se negari secundùm id, secundùm quod verè dico: Pater non est Filius, & vicissim, nempe secundùm Personalitates, ad quas significandas hæ voces: *Pater*, *Filius* sunt institutæ. II. Est *Separabilitas quoad tempus & locum*; cùm enim idem separari non possit à se ipso, sequitur, quod ea, quæ realiter separantur, sive id naturaliter sive divinitùs fiat, realiter distinguantur. III. Est *Oppositio relativa producentis & pro-*

producti naturaliter. Quia idem nequit se ipsum producere naturaliter nec quoad primum, nec quoad secundum esse IV. Est *Oppositio Contradictoria* pro statu reali. Si enim illa distinguuntur realiter, inter quæ intercedit oppositio relativa; ergo à potiori distinguentur ea realiter, quibus realiter conveniunt prædicata contradictoria, cùm hæc oppositio sit maxima. His positis

Status quæstionis est, quid *physicè* sit, aut in quo formaliter consistat distinctio realis rerum positivarum? an sit ipse entitas rei absoluta absolutè spectata? An sit negatio identitatis? An modus physicè superadditus? An verò sit ipsa entitas rei relativè sumpta, sive relatio alietatis realis ab extremis, quæ distinguuntur, physicè indistincta? ad singulas has quæstiones claritatis gratiâ seorsim respondebo.

§. I.

An Distinctio Realis formaliter consistat in Entitate absoluta absolutè spectata?

133. *Dico.* Non consistit. *Ratio.* Distinctum non minùs est terminus relativus, quàm æquale vel simile; ergo sicut æqualitas vel similitudo non consistit formaliter in entitate absoluta absolutè sumpta; ita nec distinctio formaliter est ipsa entitas rei absoluta absolutè sumpta h. e. per ipsam entitatem absolutè sumptam non exprimitur forma, quæ denominationem distincti tribuit. *Prob. ant.* Quidquid est distinctum, ab alio distinctum est; sicut æquale vel simile, alicui æquale vel simile est. Ergo.

Confir.

Confir. Distinctio est proprietas entitatis absolutæ; ergo non est ipsa entitas absoluta: Nam idem sibi ipsi proprietas esse nequit.

134. *Obj.* Quod est constitutivum, est etiam distinctivum; sed entitas absoluta est constitutiva rei; ergo etiam est distinctiva. R. *D. maj.* Est etiam distinctivum *fundamentaliter* saltem, sive *radicaliter*. C. *Formaliter*. *Subd.* Si absolutè spectetur. N. Si relativè, aut formaliter sumatur C.

Inst. 1. Positâ solâ entitate absolutâ rei, reliquis omnibus sublatis habetur distinctio; ergo in ea sola consistit. R. *D. ant.* habetur distinctio *fundamentaliter* C. *formaliter* N. Posito, quòd daretur tantùm unicum ens, illud haberet quidem entitatem absolutam; sed non esset formaliter distinctum ab alio ente, quod ex suppositio non daretur; quia ex sola entitate unius rei posita, nondum resultat forma denominans rem distinctam.

Inst. 2. Essentiæ rerum debent constitui in prædicatis primis, & quæ sunt radices aliorum; sed entitas absoluta est prior reliquis prædicatis omnibus; ergo in ea debet statui essentia distinctionis. R. *D. min.* Entitas absoluta est prior, & res pro illo priori concipitur etiam distincta N. & nec concipitur distincta nec indistincta, sed ab his prædicatis præscindit. C.

135. *Observa* tum pro hac, tum pro sequentibus conclusionibus, quod instans reale distinguatur in tria signa rationis. In 1. signo concipitur entitas v. g. Petri & Pauli *absolutè* sine rela-

relatione ad invicem: & in hoc signo Petrus nec concipitur esse distinctus à Paulo, nec esse idem cum Paulo; sed ab utroque præscindit. In 2. signo consideratur entitas Petri, ùt est alia ab entitate Pauli; & in hoc signo Petrus est formaliter distinctus à Paulo. In 3. signo consideratur Petrus non esse Paulus, sive negatio inter Petrum & Paulum.

§. II.

An Distinctio Realis formaliter consistat in Negatione Identitatis?

136. *Dico.* Non consistit. *Ratio est primò.* Proprietas entis positivi nequit esse negatio, quia proprietas realiter convertitur cum ente, quod negationi non convenit; sed distinctio est proprietas entis positivi, saltem mediata profluens ex unitate; ergo nequit esse negatio. *Secundò.* Nostro concipiendi modo priùs est, Petrum v.g. esse distinctum â Paulo, quàm Petrum non esse Paulum; ergo pro priori ad negationem identitatis inter Petrum & Paulum jam habetur formaliter distinctio *Ant.* patet tum ex hoc, quod bona sit hæc causalis: *Ideò Petrus habet negationem identitatis cum Paulo, quia est distinctus ab eo*; tum ex eo, quod negatio identitatis fundari debeat in aliquo prædicato priore positivo, quod sit fundamentum, cur identitas Petri cum Paulo negetur. *Tertiò.* Res non constituuntur formaliter per negationem; ergo nec per eam formaliter distinguuntur.

137. *Obj.* 1. In eo formaliter cosistit distinctio, per quod tollitur Identitas Petri v. g. cum Paulo; sed hæc tollitur per negationem; ergo. R. D. *Maj.* per quod tollitur *primariò, positivè* & *formaliter* identitas Petri cum Paulo. C. per quod tollitur tantùm *secundariò, negativè* & *consecutivè*. N. & sic *distinct. min.* N. *Conf.* Negatio ùt n. 136. Dictum est, sequitur ipsam distinctionem. *Si infers.* Ergo pro priori ad Negationem potero dicere: *Petrus est Paulus.* R. N. *Illat. Probas.* Inter esse Paulum, & non esse Paulum non datur medium; ergo pro illo priori vel Petrus est Paulus, vel non est Paulus. R. D. *Ant. Probat.* Non datur medium reale, h. e. hæ propositiones nec simul veræ, nec simul falsæ esse possunt pro statu reali C. non datur medium præcisionis, h. e. pro signo priori rationis nequit cognosci Petrus præscindens âb hoc, an sit Paulus, annon sit Paulus. N. Nempe pro signo priori rationis cognoscitur Petrus esse alius â Paulo, sub quo conceptu præscindit, an sit Paulus, annon sit Paulus. *Si reponas*: Habitâ negatione identitatis inter Petrum & Paulum habetur etiam alietas & distinctio. R. D. habetur alietas & distinctio *formaliter* N. *Præsuppositivè*. C.

138. *Obj.* 2. Per quod maximè distant extrema, per illud formaliter distinguuntur; sed extrema maximè distant per negationem, quia per eam negativè & contradictoriè tollitur identitas extremorum; ergo per negationem formaliter distinguuntur. R. D. *Maj.* Per quod maximè

maximè distant extrema *positivè*, per illud formaliter distinguuntur C. per quod maximè distant *negativè* N. Prius fit per relationem alietatis, de qua vid. n. 144. Posterius per negationem. *Si ais*: Distinctio nequit concipi sine negatione. R. Quid tum? etiam creatura concipi nequit sine creatore. *Si inferas*: Ergo negatio constituit formaliter distinctionem; *inferam & ego*: Ergo creator formaliter constituit creaturam. Quis hoc concedet, aut unquam concessit? Deinde distinctio *primò*, *formaliter*, *positivè* & quoad rem ipsam est sine omni negatione; etsi *secundariò*, *consecutivè* & in modo explicandi sine ea non sit.

§. III.

An Distinctio Realis consistat formaliter in modo superaddito?

139. *Nota.* Patroni hujus sententiæ per *modum* intelligunt *entitatem modalem*, quæ, licet â subjecto realiter sit inseparabilis, realiter tamen âb eo distinguitur; cùm subjectum possit existere sine tali modo, licet modus existere non valeat sine subjecto, adeóque inter rem & ejus modum detur saltem separabilitas non mutua. In ejusmodi entitate realiter rei superaddita dicunt cosistere formaliter realem rei distinctionem âb alia re. Contra hos.

140. *Dico.* Distinctio non consistit formaliter in tali modo. *Ratio* est *primò*. Secluso vel per mentem vel realiter tali modo Petrus adhuc esset distinctus â Paulo; cùm secluso

etiam tali modo adhuc intrinsecè & essentialiter repugnet Petro, identificari cum Paulo: quandoquidem res semel distinctæ realiter, ne divinitùs quidem *identificari* possunt realiter; cùm manentes secundùm entitates suas, semper maneant duæ; vel certè corruptis earum entitatibus, nova quædam entitas resultaret, quæ foret una. *Secundò* si talis modus est physicus, requirit causam sui physicè productivam: Sed quænam ista? *Dic mihi quis genitor, vel quâ sit origine natus Iste modus ....?* Si ad Deum recurras, pauperem te Philosophum Philosophi dicent; cùm Philosophus absque urgente necessitate (qualis hìc nulla est, siquidem tota distinctio sine tali modo commodè explicari possit) recurrere ad Deum debeat. Si verò ad creaturas appelles, nullam invenies, quæ te non repellat; cum nulla actio creaturæ ad productionem physicam talis modi terminetur. Si autem modum tuum non quidem physicum, realem tamen esse contendas, qui non requirat causam sui physicè productivam; tunc rogo te, ut mihi ejusmodi modorum finem indices. Nam *Est modus in rebus* (scilicet indistinctus, ùt adhuc sæpiùs probabitur suis locis) *sunt certi denique fines*, ne detur processus in infinitum, apud Philosophos implicans. Hunc autem quomodo in hâc sententia tua evitare possis, non video. Nam ille ipse modus superadditus, per quem Petrus distinguitur â Paulo, distinguitur etiam â bruto: vel ergo distinguitur â bruto sine modo

super-

ſuperaddito? & habetur intentum; vel diſtinguitur â bruto per alium modum ſuperadditum? & ſic itur in infinitum. *Si Dicas*: Modum illum diſtingui ſe ipſo â bruto, cùm non detur modus modi, & modus ſit ultima rei indifferentis determinatio. R. Licet non detur modus modi in eodem genere. v. g. *ſeſſio ſeſſionis*, datur tamen in diverſo genere, v. g. *actio* ponens *Unionem*. Pari ratione licet modus diſtinguatur ſe ipſo â re, cujus eſt diſtinctio; ſe ipſo tamen diſtingui non poterit âb alia re, cujus non eſt diſtinctio, aliàs dabitur diſtinctio ſine modo ſuperaddito.

141. *Obj.* 1. Absque modo ſuperaddito quælibet res eſt indifferens ut ſit diſtincta vel non; ergo per modum ſuperadditum determinari debet ad eſſe diſtinctum. R. 1. N. *Ant* ex ratione prima concluſionis. R. 2. *D. Ant.* Quælibet res abſolutè ſpectata eſt indifferens, h. e. præſcindit, an ſit diſtincta, nec ne. C. quælibet res relativè ſumpta eſt ſic indifferens. N.

142. *Obj.* 2. Absque modo ſuperaddito Petrus v. g. fundamentaliter tantùm diſtinguitur â Paulo; ergo diſtinctio formaliter talis habebitur â modo ſuperaddito. R. *D. Ant.* Petrus abſolutè ſpectatus, ſecundùm entitatem ſuam abſolutam abſolutè ſpectatam diſtinguitur tantùm fundamentaliter â Paulo. C. Relativè ſpectatus, vel ſecundùm entitatem abſolutam relativè ſumptam. N. Plura, quæ hìc objici poſſent, ſolventur in theſi metaphyſica

de Relatione, ad quam materia de modis propriè pertinet.

§. IV.

An Distinctio Realis formaliter Consistat in Relatione Alietatis realis?

143. *Notandum* hìc vel obiter, quod relativum sit id, quod dicit ordinem vel respectum ad aliud. Est concretum, cujus *Subjectum* est res respiciens aliud; Forma est ipse respectus vel relatio. Hæc varia sortitur nomina; Si relativa sint similia, dicitur *relatio similitudinis*; si sint dissimilia, vocatur *relatio dissimilitudinis*; si sint æqualia vel alia ab invicem &c. *relatio æqualitatis* vel *alietatis* &c. nuncupatur. Ex his facilè intelliges *statum quæstionis* in præsenti materia, qui talis est: An Petrus v. g. distinguatur formaliter â Paulo per hoc, quod sit alius â Paulo? Sive an relatio alietatis, quæ nemine cogitante inter Petrum & Paulum resultat, sit ipsa forma distinguens realiter Petrum â Paulo?

144. *Dico.* Distinctio realis consistit formaliter in *Relatione alietatis realis.* *Ratio.* Imprimis distinctio consistit formaliter in *Relatione*; quia esse distinctum est terminus formaliter relativus. vid. n. 133. Deinde consistit in *Relatione Alietatis*; quia per hoc præcisè & formaliter duæ res intelliguntur distinctæ, quod intelligantur aliæ âb invicem, id quod ex refutatione præcedentium thesium satis colligi potest. vide etiam signa rationis n. 135. posita.

145.

145. *Obj.* 1. Pro priori ad relationem alietatis habetur formaliter distinctio per ipsas res positivas absolutè tales; ergo non consistit in relatione alietatis. *Prob. Ant.* Hoc ipso, quod ponantur res cum suis differentiis, etiam formaliter distinguuntur; sed pro priori ad relationem alietatis ponuntur res cum suis differentiis; ergo. R. *D. Maj. Probat.* Hoc ipso, quod ponantur res cum suis differentiis *absolutè* & secundùm se sumptis, etiam formaliter distinguuntur. N. quod ponantur cum suis differentiis relativè sumptis. C. Propriori autem ad relationem alietatis sunt tantùm res absolutè tales, quæ adhuc præscindunt, an sint distinctæ, nec ne. *Si ais:* Differentia ût talis facit formaliter differre; sed facere formaliter differre, est facere formaliter distingui; ergo differentia facit formaliter distingui. R. N. *Min.* Differentia enim ùt talis supponit distinctionem inter rem, cui formaliter vel nostro modo concipiendi supervenit, & inter rem, â qua facit differre. Sic rationale v. g. formaliter superveniens animali, jam supponit animalia alia, â quibus faciat hoc animal v. g. humanum differre. Idem dicendum de differentia individuali & numerica, de quibus infrà.

146. *Obj.* 2. Per hoc res distinguitur, per quod constituitur; sed non constituitur per relationem alietatis; ergo nec per eam formaliter distinguitur. R. D. *Min.* Non constituitur per relationem alietatis spectatam quoad

modum significandi. C. spectatam quoad rem significatam. N. Nimirum relatio alteratis significat respectum, qui nostro concipiendi modo supervenit entitati rei; re ipsâ autem & physicè est ipsa entitas respectiva.

147. *Obj.* 3. Pro illo ipso signo, pro quo Petrus est alius â Paulo, etiam non est Paulus; ergo non est potior ratio pro relatione alteratis, quàm pro negatione. R. D. *Ant.* Pro illo ipso signo Petrus etiam non est Paulus radicaliter negabiliter & quidem positivè, h. e. adest fundamentum positivum negandi Petrum â Paulo. C. etiam non est Paulus formaliter & neganter. N.

148. *Obj.* 4. Relatio realis supponit extrema jam distincta; ergo relatio non non est ipsa distinctio formalis. R. D. *Ant.* Relatio realis, quæ non est relatio alteratis supponit extrema realiter distincta. C. Relatio realis, quæ est ipsa relatio alteratis. N. Hæc enim est ipsa forma distinguens, realiter âb entitate rei indistincta. *Si reponas.* Duæ Chimæræ distinguuntur inter se realiter; sed hæ non distinguuntur per formam realiter indistinctam ab entitate, cùm nullas habeant entitates; ergo distinctio nequit formaliter consistere in relatione alteratis, tanquam formâ realiter ab entitate rei indistincta. R. 1. Duæ chimæræ distinguuntur chimæricè, h. e. fictè; quia *nullius entis nulla est proprietas.* R. 2. D. *Maj.* Distinguuntur ratione suî. N. Ratione prædicatorum, ex quibus per fictionem combinantur. C. D.

etiam

etiam min. Sed hæ non distinguuntur per formam realiter indistinctam âb entitate, quam revera habent. C. quam habere finguntur. N. *Si ais* hanc esse fictam duntaxat distinctionem. R. Mirum non est; Nam chimæra mater generat chimæram prolem. Cæterùm Logica nostra in ejusmodi partu fictitio non obstetricatur; quandoquidem thesis hæc agit de distinctione rerum positivarum.

149. Pro solvendis variis ad huc objectionibus *Observa* I. Distinctio realis est *Alietas*, non *Alteritas*. Hæc enim supponit distinctionem etiam in naturis; *Alietas* autem tantùm in entitatibus. E. G. Pater in divinis est alius â filio, non tamen est alter, cùm eandem numero naturam divinam habeat. II. Nec idem omninò sunt divisio & distinctio realis: Nam divisio distinctioni superaddit carentiam unionis. Hinc licet in homine corpus & anima distincta sint, divisa tamen non sunt. III. Distinctio realis formaliter talis est relatio prædicamentalis, & subjecto (saltem de creatis loquendo) partim accidentalis, quæ requirit utrumque extremum existens. Sicut enim Paries A. non dicitur formaliter similis Parieti B. nisi Paries B. existat, sed tantùm fundamentaliter: ita etiam Petrus v. g. existens non formaliter sed fundamentaliter tantùm distinguitur âb Antichristo v. g. vel alio ente non existente. Hanc tamen Distinctionem fundamentalem sequitur negatio formalis identitatis; quandoquidem ea, quæ possibiliter vel funda-

mentaliter distincta sunt, actu non sunt, nec possunt esse idem. Si tamen dicere velis distinctionem esse relationem transcendentalem, quæ subjecto adæquatè intrinseca & essentialis est; per me licet; modò in secunda hac sententia asseras, Petrum existentem v. g. distingui formaliter â non existente vel possibili; quia sic Petrus per suam solius entitatem distinguitur âb omni alio etiam possibili, ita ut terminum non â priori & ùt causam sed â posteriori tantùm inferat. Id quod, ubi de relationibus agetur, pleniùs intelliges. IV. Surditas & cæcitas distinguuntur actu non ratione suî, sed ratione obliquorum & subjectorum, quæ connotant.

ARTICULUS III.

De Distinctione Rationis.

150. *Nota* 1. Distinctio rationis est, quæ intercedit inter duo extrema intentionalia, realiter identificata. Dicitur Rationis, quia fit qet intellectum, qui rem physicè ac realiter unam & indivisibilem ita concipit, ut quasi non sit eadem cum se ipsa, sed â se ipsa distincta. Hæc distinctio est duplex; vel enim fit cum fundamento in re, & dicitur *distinctio rationis ratiocinatæ.* Vel fit sine fundamento in re, & vocatur *distincto rationis ratiocinantis*, quæ fieri potest vel per conceptus synonimos, v. g. *Si ensem* concipiam *pro gladio*; vel per conceptus quorum, unus est clarior altero,

tero, v. g. si cognoscam *hominem per animal rationale.*

151. *Nota* 2. Duplex in hoc articulo de distinctione *Rationis ratiocinatæ* (de qua solâ posthàc agetur) resolvenda est quæstio. *Prima* est: An detur vera distinctio rationis, i. e. talis, per quam res ipsa â se ipsa ratione distincta dici possit? Id enim negare videntur *Nominales*, qui concedunt quidem, quod intellectus rem quandam, diversis conceptibus repræsentare sibi possit; negant autem hos conceptus aliquid conferre rei, unde res ipsa â se ipsa ratione distingui dici possit. Hinc nullam admittunt distinctionem rationis; sed omnem distinctionem volunt esse realem, eamque vel *intrinsecam*, de qua in præcedentibus §§. egimus, vel *extrinsecam*, quoad connotata diversa, quæ simplex res respicit. *Secunda* est: in quo consistat distinctio rationis ratiocinatæ? An nimirum consistat in cognitionibus inadæquatis duabus, vel in una duabus æquivalente? An verò sit ipsum objectum diversis ejusmodi conceptibus subsians, vel clariùs in exemplo: *Quæritur*, an dum in homine concipitur modò *animal*, modò rationale, quæ â parte rei sunt idem; an inquam distinctio rationis, quâ *Animal* â *Rationali* distinguitur, sit utraque cognitio inadæquata hominis? An verò sit ipsum *Animal* subsians cognitioni A. & *Rationale* subsians cognitioni B. prout sub diversis his cognitionibus hæc duo sunt alia â se invicem? Ecce conceptum distinctionis rationis

tionis in *concreto*! *vel*, an forma de nominans duo extrema intentionalia v. g. *Animal* & *Rationale*, distincta, sit *Alietas intentionalis* resultans ex duobus objectis intentionalibus? Ecce conceptum distinctionis rationis in *abstracto*! Sequitur ad duplicem hanc quæstionem duplex resolutio.

§. I.

An Detur Distinctio Rationis?

152. *Dico.* Datur. *Ratio.* Datur esse intentionale, i. e. datur esse objectivum rerum in intellectu; ergo etiam datur distinctio intentionalis sive Rationis. *Sequela* videtur legitima; quia *distinctio sequitur ad esse*; ergo sicut esse reale sequitur distinctio realis; sic esse rationis vel intentionale sequitur distinctio rationis vel intentionalis. *Probo igitur Ant. Imò ratione.* Esse intentionale rei est esse diversum âb esse reali physico rei, quod res existens in intellectu accipit dependenter â diversis conceptibus formalibus inadæquatis, quibus intellectus eandem rem realiter indivisibilem jam sub hac, jam sub alia formalitate, prout nimirùm rei habet species, sibi repræsentat; sed datur tale esse; ergo. *Prob. Min.* Inprimis dantur diversi conceptus formales; Nam intellectus potest repræsentare sibi v. g. *Hominem*, jam sub conceptu *Viventis*, jam sub conceptu *Animalis*, jam sub conceptu *Rationalis* &c. cùm id faciendi sufficiens fundamentum habet; *De quo fundamento vide plura*

tum

tum in objectionibus, tum infrà, ubi ex professo de distinctione Virtuali minori inter gradus Metaphysicos agetur. Deinde his conceptibus respondet esse intentionale rei diversum ab esse rei reali. Hoc *patet* I. ex eo; quia hi conceptus sunt *existentia* rei *intentionalis ùt quo*, sive sunt id, quo res existit intentionaliter, sive in intellectu; Sicut ergo existere reale non est sine esse reali; ita existere intentionale non est sine esse intentionali. *Patet* II. ex hoc: quod *animal* v. g. existens in intellectu aliter omninò definiatur, quàm *animal* existens â parte rei: Illud enim est *tantùm Principium sentiendi*, quæ definitio animali existenti realiter non convenit; ergo habet aliud esse in intellectu, quàm â parte rei. *Probo ant. 2do Authoritate.* D. Thomas *Opusc.* 55. Sic ait: *Ideò oportet, quod* (intentio universalis) *sit de iis accidentibus, quæ consequuntur eam* (scilicet naturam) *secundùm esse, quod habet in intellectu.* Et paulò post ita loquitur: *Relinquitur ergo, quod ratio generis vel speciei accidit naturæ secundùm esse, quod habet in intellectu.* Eadem repetit in fine *hujus opusc.* Et *in opusc.* 56. *Confir. ab exemplo rei visæ:* Nam res visa habet aliud esse in oculo, & aliud extra illum: Sic baculus, ex parte aquæ immersus, in oculo videntis apparet fractus vel curvus, cùm tamen physicè sit rectus; cur ergo non concedatur simile esse intentionale rei in intellectu, cùm res æquè aliam apparentiam habeat in intellectu existens, quàm existens in statu physico.

153.

153. *Obj.* 1. Non datur esse objectivum vel intentionale rei diversum âb esse physico rei; ergo nec datur distinctio rationis. *Prob. Ant.* In statu intentionali sunt tantùm hæc duo: *Cognitio & objectum intrinsecè non mutatum*; Sed objectum intrinsecè non mutatum non habet esse diversum âb esse physico rei, cùm sit ipsa res physicè existens; ergo non datur esse objectivum vel intentionale rei diversum ab esse physico rei. R. D. *Maj. Probat.* In statu intentionali sunt tantùm hæc duo: *Cognitio & objectum physicè existens, non mutatum intrinsecè intentionaliter.* N. Sunt tantùm hæc duo: *Cognitio & objectum intentionaliter existens, non mutatum intrinsecè physicè, mutatum autem intentionaliter.* C. *Dist. etiam min.* Sed objectum nec *physicè* nec *intentionaliter* mutatum non habet esse diversum âb esse physico rei. C. sed objectum non mutatum quidem *physicè*, mutatum autem *intentionaliter*, non habet &c. N. *Explico:* Verum quidem est, quod cognitio non mutet *physicè* objectum, prout *physicè* existit; sed nego suppositum, quòd cognitiones inadœquatæ cognoscant rem, ùt *actu realiter* & *physicè* existit; cùm illam cognoscant tantùm intentionaliter existentem. Nam cognitiones ejusmodi concurrente specie impressâ Virtualiter repræsentativâ & manifestativâ unius tantùm prædicati, & non alterius, sibi ipsis *exercitè* faciunt suum objectum, adeòque mutant objectum physicum intentionaliter. *Si ais:* Id, quod existit in statu intentionali,

est

est id ipsum, quod existit physicè. R. D. Est id ipsum adæquatè. N. Est id ipsum inadæquatè. C. Illud, quod existit intentionaliter, dum v. g. Cognosco animal ùt sic, nec est Leo, nec homo, nec Petrus, nec Bucephalus; Sed est animal secundùm prædicata essentialia tantùm, cui deinde convenit denominatio Universalis, quæ animali physicè existenti non convenit.

154. *Inst.* 1. Illud esse intentionale v. g. *Animalis* vel distinguitur realiter âb esse intentionali *Rationalis*, & ab esse physico *ipsius animalis*, vel non? R. Esse intentionale *ùt quò*, sive *activum* & *causativum*, i. e. cognitiones inadæquatæ, facientes hoc esse intentionale *Animalis*, distinguuntur realiter: Verùm esse intentionale *quod*, *passivum* & *Formale Animalis* non distinguitur nisi ratione âb esse intentionali Rationalis, secum realiter identificati, & ab esse physico ipsius Animalis. Igitur quando cognosco Animal, cognosco id inadæquatè, quod extra intellectum physicè adæquatè existit, h. e. cognosco v. g. hominem inadæquatè, nec mea cognitio terminatur ad existentiam hominis physicam adæquatè acceptam. Hinc objectum meæ cognitionis est *Animal existens intentionaliter*, quam existentiam exercitè illi dat cognitio inadæquata ad illud terminata. *Si inferas*: Ergo esse intentionale animalis *ùt quod*, est Animal ùt cognitum, & consequenter cognitio cognoscens Animal intentionaliter existens terminatur ad ipsam cognitionem.

tionem. R. D. *Ult partem illat.* Cognitio reflexa, quæ cognoscit animal jam distinctum terminatur etiam ad cognitionem C. cognitio directa, quæ exercitè dat animali esse inadæquatè cognitum, & activè distinguit N.

155. *Obj.* 2. Si intellectus rem realiter eandem & indivisibilem concipere ita possit, ut non sit eadem secum intentionaliter; ergo hoc proveniret vel ex perfectione vel ex imperfectione intellectûs; Sed neutrum dici potest; ergo nequit rem realiter eandem sic concipere. R. Utrumque dici potest. *Primò* ac præcipuè id provenit ex imperfectione; quia intellectus noster est potentia limitatæ virtutis, nec cognoscit formalitates omnes in re inclusas: Sic in Deo simul repræsentare sibi nequit attributa omnia; hinc singillatim illa conceptibus inadæquatis sibi repræsentat. *Secundò* dici potest, id provenire ex perfectione intellectûs hoc sensu: Quòd intellectus non versetur modo materiali circa suum objectum, velut oculus; sed spirituali & magis subtili, quâ dividere intentionaliter potest, quod in se est unum, & vice versâ conjungere, quæ re ipsa sunt distincta. Hìc bene observes velim. I. Subtilitas aut imperfectio intellectûs est tantùm *extrinsecum* distinctionis hujus *fundamentum.* II. *Fundamentum intrinsecum reale* est æquivalentia, quâ res eadem v. g. *Homo* per operationes diversas æquivalet jam plantis, jam brutis &c. *Fundamentum intrinsecum rationis* est ipse formalitatum diversus conceptus objectivus.

vus. Nam conceptus objectivus v. g. *Animalis*, qui est *Principium sentiendi*, diversus est à conceptu objectivo v. g. *Rationalis*, qui est *principium ratiocinandi.*

156. *Obj.* 3. Ubi est distinctio, ibi debent esse duo extrema; sed ubi concipitur eadem res, non sunt duo extrema; ergo nec distinctio R. *D. maj.* Ubi est distinctio, ibi debent esse duo extrema vel *intentionaliter & objectivè*, vel *realiter & physicè*. C. Ibi debent esse duo extrema semper *physicè & realiter*, *subdist.* Ubi est distinctio realis physica C. ubi est distinctio intentionalis N. D. *etiam min.* Sed ubi concipitur eadem res, non sunt duo extrema *realiter* & *physicè* C. *intentionaliter* & *objectivè* N.

157. *Obj.* 4. Per hoc, quod eadem manus modò subsset frigori, modò calori, non dicitur distingui à se ipsa; ergo nec objectum idem modò hoc conceptu inadæquato, modò illo cognitum dici potest ratione à se ipso distinctum. R. N. C. *Disp.* est, quia manus eadem non accipit diversum esse per frigus & calorem; objectum verò accipit diversum esse per cognitiones sui inadæquatas, quibus respondent diversi conceptus objectivi.

158. *Observa.* Sicut negabilitas, separabilitas & oppositio contradictoria pro statu reali, signa sunt distinctionis realis; sic eadem pro statu intentionali signa sunt distinctionis rationis. Hinc quia animal v. g. & rationale distinguuntur ratione, negari etiam de se invicem possunt; imò negari etiam possunt de ipso homine non

quidem eodem, sed diverso modo sumpto: h.e. de homine concepto ùt animali dicitur, quod sit principium sensationum, & de eodem homine, sed concepto ùt rationali, hoc ipsum negari potest.

§. II.

In quo consistat Distinctio Rationis ratiocinatæ?

159. *Dico.* Distinctio rationis ratiocinatæ non consistit formaliter in duabus cognitionibus, aut in una his æquivalente; sed in *concreto* est ipsum objectum intentionaliter existens, proùt est aliud ab altero. v. g. Animal in statu intentionali existens distinguitur à rationali per suam entitatem logicam, quam in hoc statu habet, non quidem *absolutè* sed *respectivè* sumptam, sive prout est alia ab entitate rationalis. In *abstracto* autem distinctio hæc nil aliud est, quàm *Alietas* intentionalis. *Ratio* 1. *partis* est; quia cognitiones tanquam causæ extrinsecæ dant esse intentionale rei; sed quod sic dat esse intentionale, non est ipsa distinctio formaliter, sed causaliter tantùm; ergo distinctio rationis non consistit formaliter in ipsis Cognitionibus. *Rationes* 2. & 3. *partis* desume ex n. 144. ubi probavimus distinctionem realem consistere in Relatione alietatis, & huic materiæ applica.

160. *Obj.* 1. Distinctio rationis in *abstracto* est illa forma, per quam res eadem dicitur exercitè aliter & aliter repræsentata; sed res dicitur sic repræsentata per ipsas cognitiones inadæquatas eandem rem exercitè inadæquatè cognoscentes; ergo ipsæ cognitiones sunt distinctio

rationis

rationis formaliter. R. *D. maj.* Per quam tanquam formam merè extrinsecam, & activè res eadem dicitur exercitè aliter & aliter repræsentata. N. Per quam tanquam formam intrinsecam & passivè sic dicitur repræsentata C. D. *etiam min.* sed res dicitur sic repræsentata per Cognitiones &c. tanquam per formam extrinsecam & activè C. tanquam per formam intrinsecam & passivè N. *min.* & *cons.* Adverte hìc, cognitionem dici posse distinctionem activam & extrinsecam ad intrinsecum; res autem ùt inadæquatè subsţans Cognitioni est ipsa formalis distinctio passiva intrinseca ab extrinseco, scilicet à cognitione. *Si ais:* Præcisio rationis est distinctio rationis; sed præcisio est Cognitio; ergo. R. *D. maj.* Præcisio causalis & activa est, distinctio rationis N. formalis & passiva C. sed de præcisione plura inferiùs.

161. *Obj.* 2. Si res ipsa est distinctio rationis in *concreto*, ergo hæc dabitur nemine cogitante; sed hoc implicat; ergo. R. *D. maj.* Si res ipsa secundum suum esse reale & physicum & adæquatum sit distinctio rationis, tunc hæc dabitur nemine cogitante. C. Si res ipsa secundùm suum esse intentionale & inadæquatum sit distinctio rationis, tunc &c. N. Prius implicat, non posterius.

162. *Observa.* Hæc conclusio impugnari ulteriùs potest iisdem argumentis, quibus supra impugnabatur conclusio nostra de distinctione reali; igitur plures responsiones ex illa thesi pro hac defendenda depromere poteris.

ARTICULUS IV.

De Distinctione Graduum Metaphysicorum.

163. *Nota* 1. Gradus metaphysici sunt prædicata essentialia alicujus rei singularis singulariter existentis, magis vel minùs communia. Dicuntur *primò Gradus*; quia per cognitionem illorum prædicatorum pervenire gradatim possum ad perfectam absolutámque cognitionem ipsius rei. Vel quia per modum scalæ ponuntur in linea directa vel laterali dextra categoriæ Porphyrianæ. Dicuntur *secundò Metaphysici*; quia Metaphysicæ proprium est cognoscere prædicata essentialia rei. Ejusmodi gradus metaphysici v. g. hominis sunt: substantia, corpus, vivens, animal. Item materiale, animatum, sensitivum, rationale.

164. *Nota* 2. *Status quæstionis* potissimùm est de distinctione *formali* & verè tali graduum metaphysicorum: Nam distinctio *virtualis* est tantùm *analogicè* distinctio. Pauca tamen de hac reperies in §. 3. *huj. art.* Porrò non quæritur hìc de gradibus metaphysicis in diversis suppositis; certum enim est, quòd prædicata essentialia diversorum suppositorum distinguantur realiter: sic distinguuntur realiter prædicata essentialia hominis à prædicatis essentialibus equi, & prædicata Petri à prædicatis Pauli; cùm his conveniant signa distinctionis realis. *Status* proinde *quæstionis* in hoc articulo est iste: 1. An gradus metaphysici ejusdem suppositi formaliter distinguantur inter se *realiter*, sive

ante

ante operam mentis? 2. An distinguantur formaliter ex natura rei? 3. An distinguantur virtualiter Thomisticè? 4. An distinguantur solâ distinctione rationis ratiocinatæ? His quæstionibus ut satisfiat, sit

§. I.

An Gradus Metaphysici distinguantur realiter?

165. *Dico.* Gradus metaphysici non distinguuntur realiter. *Ratio est primò*; Quia illis non conveniunt signa distinctionis realis, ùt examinanti patebit. *Ratio est secundò*; Quia gradus metaphysici eidem rei singulari realiter adæquatè identificantur; sed quæ sic identificantur realiter, etiam realiter identificantur inter se; ergo. *Subsumo.* Sed quæ identificantur realiter inter se, non distinguuntur realiter à se; ergo gradus metaphysici realiter identificati inter se, non distinguuntur realiter à se. *Ratio est tertiò*; Quia si distinguerentur realiter, tunc idem gradus v. g. genericus esset singularis, & non esset, quòd certè implicat. Imprimis esset singularis; quia esset hæc realiter entitas exclusiva omnis alterius entitatis. Deinde non esset singularis, quia esset genericus & universalis.

166. *Obj.* 1. Quæ realiter separantur, realiter distinguuntur, sed gradus metaphysici realiter separantur. *Prob. min.* Rationale est in homine, animal est in bruto; ergo realiter separantur. R. D. *ult. Cons.* Ergo realiter separantur in diversis suppositis & individuis C. in eodem supposito

& individuo. N. De postremo autem est status quæstionis, non de priori. *Si ais.* Moriente homine manet in anima separata rationalitas, non manet autem animalitas; ergo Gradus metaphysici etiam ejusdem suppositi possunt separari. R. *D. ant.* Manet rationalitas adæquata N. inadæquata, nimirùm solius animæ, quæ sumitur pro sola intellectivitate spirituali, & non est gradus metaphysicus. C. *Rationalitas adæquata*, & ùt est gradus metaphysicus, est rationalitas totius suppositi, v.g. Petri, & hæc est principium ratiocinandi dependenter à sensibus, quæ sublato homine perit unà cum animali & reliquis gradibus huic supposito convenientibus.

Inst. Corpus, utpote materiale, nequit esse principium gradûs spiritualis, qualis est rationalitas; ergo hæc desumitur tantùm ab anima. R. *D. ant.* Corpus nequit esse principium gradûs spiritualis purè talis C. non purè talis, sed insuper dependentis à materiali, sicut rationale hominis N. *Nec obstat* quod spiritualitas animæ demonstretur per ratiocinationes. Nam hoc interim transmisso, quia id indagare ad Logicam non pertinet, ad ejusmodi demonstrationem sufficeret, ratiocinationes procedere à principio partim spirituali partim materiali.

167. *Obj.* 2. Saltem moriente homine manet idem corpus, quod ante fuit; rationale autem non manet; ergo saltem hi gradus realiter separantur, & distinguuntur. R. *D. ant.* Manet idem corpus physicum, quod est tantùm pars phy-

physica totius compositi C. manet idem corpus metaphysicum, quod est adæquatum principium & radicale operationum humanarum N.. adverte, quod corpus, ùt est gradus metaphysicus (idem dic de reliquis gradibus metaphysicis) non tantùm à materia hominis petatur, sed etiam ab anima; cùm partes metaphysicæ habeant entitatem communem toti composito & ab eodem indistinctam realiter. Partes autem physicæ habent entitates proprias, & à se mutuò realiter distinctas. *Si inferas*: Ergo sensationes hominis non procedentes à solo corpore specie differunt à sensationibus brutorum. R. *D. Illat.* Differunt specie physicâ, desumptâ à diverso physicè principio elicitivo. C. Specie logicâ, desumptâ à principio sentiendi præcisivè tali. N.

168. *Inst.* Quod identificatur partibus physicis, est pars physica; sed gradus metaphysici identificantur partibus physicis; ergo sunt partes physicæ. R. *D. maj.* Quod identificatur partibus physicis divisim sumptis, est pars physica C. quod identificatur partibus physicis simul & collectivè sumptis, eisque commune est, tanquam toti composito, est pars physica N. *vid. dict. n.* 167.

169. *Obj.* 3. Potentia & actus distinguuntur realiter; sed animal v.g. est potentia, & rationale est actus; ergo distinguuntur realiter. R. *D. maj.* Potentia physica & actus physicus distinguuntur realiter. C. Potentia metaphysica & actus metaphysicus N. *& sic dist. min. N.*

Conf. Potentia physica & actus physicus sunt materia & forma v. g. corpus & anima in homine; quæ cùm sint realiter à se separabilia, utique realiter distinguuntur. At verò potentia metaphysica & actus metaphysici fundantur in una indivisibili entitate, suntque in se realiter inseparabiles, adeòque indistincti. *Si ais.* Ante operationem intellectûs datur in homine alius respectus ad ratiocinationes, alius ad sensationes &c. ergo etiam datur distinctio inter gradus metaphysicos ante operam intellectûs. R. *D. ant.* Ante operam intellectùs datur alius & alius respectus terminativè C. principiativè, *subdist.* datur alius & alius virtualiter C. actualiter formaliter N. *Si reponas*: Intellectus cognoscens prædicata essentialia cognoscit plura; ergo vel præsupponit plura, vel fingit. R. N. *Conf.* Intellectus cognoscendo entitatem virtualiter multiplicem facit intentionaliter plura, præscindendo scilicet formalitatem unam ab alia; præscindentium autem non est fictio, nec mendacium, maximè si fiat cum fundamento in re.

170. *Obj.* 4. Risibile & rationale distinguuntur realiter; ergo etiam animal & rationale. *Prob. ant.* Rationale est prius, quàm risibile; cùm risibile tanquàm proprietas fluat ex rationali; ergo. R. *D. 2dam partem ant. probat.* Risibile fluit ex rationali realiter & physice N. Logicè & secundùm nostrum modum concipiendi. C. Hinc Argumentatio hæc: *risibilis est, ergo rationalis*; vera duntaxat est secundùm nostrum modum

modum concipiendi, non item realiter: quia realiter & physicè idem est esse rationale & esse risibile, & à parte rei non datur *Animal & rationale*, *risibile & rationale*, tanquam duo distincta.

§. II.

An Gradus Metaphysici distinguantur formaliter ex natura rei, vel realiter respectivè?

171. *Nota* 1. Distinctio formalis ex natura rei est distinctio scholæ *Scotisticæ*, à subtili Doctore *Scoto* sic dictæ, propria. Hanc ut pleniùs intelligas, scias necesse est, *Scotistas* statuere duo genera entium realium, nimirum *Res* & *Realitates*. *Res* dicunt entia metaphysicè completa, per se physicè existentia; hæc docent distingui *realiter strictè*. *Realitates* vel *Formalitates* vocant prædicata essentialia, quæ nos *gradus metaphysicos* nominamus. Has *Formalitates* appellant entia metaphysicè incompleta, quæ per se separatim existere nequeunt. Hæc volunt distingui distinctione aliquà mediâ, h. e. tali, quæ nec sit distinctio realis *strictè* talis, quæ datur tantùm inter rem & rem; sed sit hâc minor; nec sit distinctio rationis, sed sit hac major; quia est inter *Realitates* ac *Formalitates*, quæ nemine cogitante diversas habent essentias. Ita *scotistæ*, ùt videre est apud *Fr. Sebast. Dupasquier. In sua Metaphys. Disp.* 4. *q.* 7. *concluſ.* 1. &c. Ex quibus advertes: Distinctionem hanc vocari *Formalem*, quia est inter *Formalitates* modò descriptas; Vocari *ex natura rei*,

quòd ex ipsa rei essentia absque opera intellectûs oriatur. Hinc etiam sic definitur: *Est distinctio plurium rationum, sive formalitatum inseparabilium in eadem entitate, tum â se invicem, tum â re, in qua sunt, quarum una ex natura sua & quidditate actu non est altera.* Ex τὸ *Rationum* patet, hanc distinctionem dici præterea posse distinctionem rationis, non ideò, quòd fiat per intellectum; sed ideò, quòd sit inter *rationes objectivas.* Porrò signa hujus distinctionis *scotistæ* statuunt sequentia. 1. Quando unum prædicatum excludit alterum è suo conceptu sive definitione formali. 2. Quando aliquid demonstrari de una potest *Formalitate* vel *Realitate* vel *Perfectione*, quod nequit demonstrari de altera. 3. Si in unum prædicatum ita cadit reduplicatio, ut non simul cadat super alterum.

172. *Nota* 2. Hæc ipsa distinctio Scotistica, novo tamen verborum apparatu adornata, producta in scenam videtur à nonnullis RR. Respectivistæ nuncupatis. Contendunt enim hi Authores, ante omnem operam mentis dari in una eademque re *relationes transcendentales* inter gradus metaphysicos, intrinsecè inter se distinctas, non quidem *strictè realiter*, sed *realiter respectivè*, quatenus v. g. ad sensationes resultat respectus in animali, qui non resultat in rationali &c. Hinc sic arguunt: Animal Petri v.g. dicit ordinem transcendentalem ad sensationes, quem non dicit rationale Petri; ergo animal Petri ab ejus rationali distinguitur

reali-

realiter respectivè. *Status quæstionis* hìc est: Utrum inter gradus metaphysicos ejusdem suppositi dentur descriptæ modò distinctiones?

173. *Dico* 1. Gradus metaphysici non distinguuntur formaliter ex natura rei *Ratio.* Hæc distinctio Scotistica esset strictè realis, & non esset; ergo non datur, & consequenter gradus metaphysici eâ distingui nequeunt. Quod non foret strictè realis, ipsi Scotistæ tuentur. *Prob. igitur* 1. *partem Ant.* Distinctio rationalis v. g. ab animali ante operam mentis est distinctio inter rem & rem; ergo est strictè realis. *Prob. Ant.* Est distinctio inter ens & ens reale; ergo est distinctio inter rem & rem. *Ant.* patet, cum quilibet gradus metaphysicus est *aptum existere*, qui est conceptus entis; ergo gradus metaphysici sunt ens & ens reale; ergo sunt res & res, quia prædicatum rei convertitur cum ente; ergo distinctio formalis ex natura rei inter gradus metaphysicos esset Distinctio strictè realis. *Si dicant Scotistæ*, gradus metaphysicos non esse res strictè dictas, quia sunt inseparabiles à se invicem. *Contra est*: etiam Personæ divinæ separari non possunt, & tamen sunt quid strictè reale, & realissimè distinguuntur. Deinde formalitates scotisticæ, sive separari possint, sive non, dantur à parte rei ante omnem mentis operationem; ergo aliquid sint oportet; ergo res, ergo entia, & quidem strictè realia; quia *Arist.* 4. *Metaph.* inter ens reale & rationis nullum admittit medium; ergo etiam inter distinctionem realem

&

& rationis distinctio media admittenda non est. *Confir.* Juxta Scotistas *Animali* & *Rationali* ante operam mentis conveniunt prædicata contradictoria; nam *Animal* sentit, *Rationale* non sentit; ergo habent signum maximum distinctionis realis; ergo distinguuntur realiter.

174. *Obj.* 1. Quæ habent diversas essentias, plùs quàm ratione distinguuntur; sed gradus metaphysici ejusdem suppositi habent diversas essentias; ergo plùs quàm ratione distinguuntur. R. D. *maj.* Quæ habent diversas essentias physicas & independenter ab operatione intellectûs, plùs quàm ratione distinguuntur. C. Quæ habent diversas essentias metaphysicas & dependenter ab operatione intellectûs. N. Gradus autem metaphysici ante operam intellectûs non habent diversas naturas & essentias; in sensu enim reali & identico rationale æquè est principium sentiendi, ac animal, & animal est æquè principium ratiocinandi, ac rationale; Cùm hæc duo à parte rei non sint duo, sed eadem entitas physica. Hinc (quod bene advertas) semper negandum est suppositum, à parte rei dari *Animal & rationale*, ita ut τὸ & significet distinctionem; id quod etiam de reliquis gradibus metaphysicis ejusdem suppositi velim intelligas. *Si ais.* Nequeo dicere: Petrus, ùt est animal, est principium ratiocinandi; aliàs ubicunque erit animal, ibi erit principium ratiocinandi. Ergo animal etiam in sensu reali non est rationale R. *D. ant.* Nequeo dicere &c. *Si* τὸ *ùt* inferat

ratio-

rationem formalem abstractam, propter quam Petrus sit principium ratiocinandi. C. Si τὸ *ut* denotet tantùm animal individuatum à parte rei, ita ut sensus sit: Petrus, ùt est hoc animal, est principium ratiocinandi. N. Eodem modo respondendum ad rationem antecedentis; quia verissimè dico: ubicunque est hoc animal individuatum Petri, ibi est principium ratiocinandi. *Si reponas.* Animal non est tota definitio hominis; ergo animal in sensu reali nequit esse rationale. R. *N. Cons.* Quæ nulla est, cùm antecedens supponat pro statu intentionali. Si vero contendas antecedens supponere pro statu reali, tunc N. Suppositum, quòd nimirum à parte rei detur animal hominis absque rationali.

175. *Obj.* 2. Quæ nemine cogitante ex natura sua non sunt idem, illa distinguuntur Scotisticè; sed Animal & rationale nemine cogitante ex natura sua non sunt idem; ergo. R. 1. N. Suppositum minoris. Vid. n. 174. R. 2. N. *Min. Probas.* Homo nemine cogitante per animal convenit brutis, per rationale disconvenit; ergo. R. N. *Ant.* Homo realiter tam per Animal, quàm per rationale disconvenit, & convenit brutis. *Si instes.* Eadem linea nequit alteri lineæ esse æqualis & inæqualis; ergo nec idem homo poterit convenire & disconvenire brutis. R. N. *Cons. Disp.* est: Quantitas, in qua fundatur æqualitas vel inæqualitas, non est virtualiter multiplex; homo autem est virtualiter mul-

multiplex, h. e. homo utpote agens longè perfectiùs & vegetationes, & sensationes & ratiocinationes &c. exercere potest, per quas distinctas realiter operationes entibus realiter distinctis convenit. *Si urgeas.* Idem per idem nequit esse simile & dissimile eidem rei; ergo nec idem per idem poterit convenire & disconvenire eidem rei. R. D. ant. Nequit esse simile & dissimile, si *dissimile* idem sonet ac *non simile*. C. quia non simile negat omnem similitudinem. Si *dissimile* idem sonet ac *imperfectè simile*. N. eodem modo τὸ simile hìc non sumitur pro omnimoda & perfecta similitudine. Deinde ex hoc argumento facilè inferretur eandem individuationem distingui à se ipsa; Nam Petrus v. g. per individuationem suam dissimilis est Paulo, & per eam quoque illi est similis; quia individuatio Petri habet prædicatum commune cum individuatione Pauli; Utriusque enim individuatio est differentia; id quod ipsis *Scotistis* solvendum est. *Si dicas* denique: Idem nequit esse æquale & inæquale eidem rei; ergo nec idem potest esse simile & dissimile eidem rei. R. N, *Conf. Disp.* est, quia æqualitas consistit in indivisibili, cùm quantitas non suscipiat magis & minùs: econtrà similitudo utpote qualitas suscipit magis & minùs.

176. *Observa I.* Propositiones negativæ, quas formant Adversarii, semper falsæ sunt in sensu & statu reali v. g. hæ: *Petrus sentit per animal, non sentit per rationale; Deus punit per justi-*

justitiam, non punit per misericordiam &c. *Ratio* est, quia prædicata ejusmodi independenter ab intellectu sunt una indivisibilis entitas. *II.* A parte rei non datur compositio metaphysica nisi fundamentaliter; nec datur formaliter prædicatum inferius, superius. *III.* Licèt animal ab intellectu non habeat, quòd sit simpliciter Principium sentiendi; habet tamen ab intellectu, quod sit præcisè formaliter & tantùm principium sentiendi.

177. *Dico.* 2. Gradus metaphysici non distinguuntur distinctione reali respectivâ. *Ratio est* 1. Relationes Respectivistarum (*de quibus vid. n.* 172.) vel sunt entitates, vel nihil? Si sint entitates; ergo vel sunt res, vel realitates? Si sint res; ergo distinguuntur realiter strictè; si sint realitates; ergo distinguuntur scotisticè. *Subsumo.* Sed ipsi Respectivistæ non admittunt distinctionem strictè realem, nec scotisticam inter gradus metaphysicos; ergo nec admittenda est realis respectiva, cùm hæc ex ratione data vel strictè realis, vel certò scotistica quoad rem sit. *Ratio est* 2. Quia eadem indivisibilis res dicere potest relationes diversas ad terminos diversos, quin illa diversitas sit in ipsâ re respiciente; Nam multiplices respectus non multiplicant fundamentum. *Probatur hoc.* Eadem *Albedo* A. est similis albedini B. C. &c. & est dissimilis rubedini, flavedini &c. Item idem *Intellectus* dicit relationem ad assensum, dissensum, affirmationem, negationem, apprehensionem. Sed in his omnibus non est diversitas

versitas in fundamento, sive in re respiciente hos terminos; sed tantùm in terminis ipsis; ergo multiplices termini non multiplicant fundamentum. *Prob. min.* Si diversitas esset in re respiciente, tunc non foret eadem *Albedo* A. nec idem Intellectus realiter; quod dici non potest. *Si ais:* quod fundamentum non multiplicetur secundùm esse absolutum, multiplicetur autem secundùm esse respectivum. *Contra est.* Idem à se ipso neque secundùm esse absolutum, neque secundùm esse respectivum intrinsecè realiter actualiter distingui potest; aliàs idem esset idem secum, ùt supponitur; & non esset idem secum; quia esset in se distinctum.

178. *Obj.* Petrum esse animal, vivens, rationale &c. sunt relationes transcendentales, quibus Petrus respicit essentialiter sensationes, actus vitales, ratiocinationes; Sed hæ relationes dantur à parte rei; ergo etiam animal, vivens &c. dantur à parte rei. ℟. D. maj. Petrum esse animal &c. sunt relationes transcendentales *realiter actualiter & quoad rectum* distinctæ à fundamento. N. *Fundamentaliter* distinctæ, vel *quoad obliquos* solùm. C. *D. etiam min.* Hæ relationes dantur à parte rei *realiter actualiter & quoad rectum* distinctæ. N. Distinctæ *quoad obliquum*, vel *fundamentaliter* duntaxat. C. Rectus est v.g. totus idemque Petrus per eandem suam entitatem virtualiter multiplicem respiciens sensationes, actus vitales, ratiocinationes, tanquam *terminos* & *obliquos*, qui utique

utique realiter â fundamento sive recto distinguuntur.

179. *Inst.* 1. Intellectus tendere potest in animal, quin tendat in rationale; ergo hæc duo erunt realiter distincta. R. N. *Cons.* vel D. *Ant.* potest tendere in animal, quin tendat in rationale, exercitè animal distinguendo à rationali. C. Signatè supponendo animal jam esse distinctum actualiter à rationali. N.

180. *Inst.* 2. Gradus metaphysici non fiunt per intellectum; ergo sunt à parte rei distincti. R. D. *Ant* Gradus metaphysici non fiunt per intellectum quoad esse distinctionis formalis actualis. N. Quoad rem, & quoad esse fundamentale distinctionis. C. *Eodem modo solvas hæc argumenta:* Intellectus non facit Petrum esse substantiam, esse vivens, esse corpus &c. Item: Corpus, vivens, animal sunt concreta metaphysica, quæ quoad subjectum & formam dantur à parte rei; cùm homo non ideò sit Corpus, vivens &c. quia cognoscitur; sed ideò cognoscitur, quia à parte rei est corpus, vivens &c.

181. *Observa.* Ante operam intellectûs non datur in homine v. g. alia & alia actualiter habitudo, seû relationes & veritates objectivæ distinctæ quoad rectum, sed est unica tantùm à parte rei relatio in tota entitate hominis tam ad sensationes, quàm ad ratiocinationes, quæ est fundamentaliter multiplex, & per intellectum distinguibilis.

§. III.

An inter Gradus Metaphysicos detur Distinctio Virtualis?

182. *Nota.* Distinctio virtualis (prout à distinctione rationis ratiocinatæ actuali distinguitur) est fundamentum distinctionis actualis, sive virtus rei realiter indivisibili intrinseca, vi cujus intellectus intentionaliter distinguere ea potest, quæ à parte rei sunt quid unum & indivisum. Fundamentum hoc consistit in virtute & fœcunditate operandi, quâ unum idemque realiter æquivalet pluribus entibus realiter & actu distinctis. Sic unus idemque homo per vegetationes æquivalet plantis; per sensationes brutis; per ratiocinationes Angelis: propter fœcunditatem hanc diversa adeò operandi intellectus potest objectum *realiter*, *intrinsecè* & *entitativè* unum intentionaliter dividere in plures formalitates, h. e. potest unam formalitatem in tali objecto cognoscere alterâ non cognitâ. Hæc modò descripta distinctio virtualis est distinctio tantum impropriè & analogicè talis; cùm non distinguat reverà unum ab alio, sed sit tantùm fundamentum, ut possit unum distingui ab alio. Dicitur etiam distinctio *virtualis minor*, ut etiam ipso nomine discernatur à distinctione virtuali Thomistarum, quam illi *virtualem majorem* vel *intrinsecam ad intrinsecum* appellant. De hac

183. *Nota* 2. Distinctio *virtualis major* est capacitas rei indivisibili intrinseca ad verificanda

da & ſalvanda prædicata contradictoria realia, phyſica, ſive primò intentionalia. *Dicitur* 1. *Virtualis major*: Quia eſt major diſtinctione rationis, & æquivalet reali. *Dicitur* 2. *Intrinſeca ad intrinſecum*; quoniam independenter ab intellectu ex natura ſua habet virtutem contradictoria realia intrinſeca ſalvandi. *Dicitur* 3. *Contradictoria realia*: h. e. Non propoſitiones, ſed prædicata contradictoria. Nam ad verificandas propoſitiones contradictorias requiritur, ut vera ſit affirmatio & negatio ejusdem prædicati de eodem omninò ſubjecto. Ad verificanda autem prædicata contradictoria ſufficit, ſi vera ſit affirmatio & negatio ejusdem prædicati ſive de eodem, ſive de diverſis ſubjectis. Ejusmodi autem prædicata contradictoria ſunt produci, non produci, communicari, non communicari. Virtualiſtæ diſtinctionem hanc primitùs invenerunt propter inſcrutabile myſterium SS. Trinitatis, in quo natura divina communicatur, Perſonalitas non communicatur &c. Poſteà tranſtulerunt eam ad gradus metaphyſicos, & docuerunt, quòd, ſicut hæc contradictoria: *Currere, non currere*, ſalvantur, i. e. ſine contradictione verificantur, ſi cadant ſupra ſubjecta actu realiter diſtincta; ſic quoque pro ſtatu reali verificentur hæc contradictoria: ſentire, non ſentire, ſi cadant ſupra idem ſubjectum virtualiter multiplex & diſtinctum: ùt ſi dicam: Petrus per animal ſentit, Idem Petrus per rationale non ſentit. De utraque hac diſtinctione hìc quæritur;

tur; an detur inter gradus metaphysicos ejusdem suppositi?

184. *Dico* 1. Inter gradus metaphysicos distinctio virtualis major non datur. *Ratio est* 1. hæc distinctio est verè realis; ergo sicut juxta ipsos Thomistas inter gradus metaphysicos non datur distinctio realis, ita nec datur virtualis major. *Prob. Ant.* Distinctio verè realis est, quæ intercedit inter extrema, quibus nemine cogitante conveniunt prædicata contradictoria; sed distinctio virtualis major intercedit inter ejusmodi extrema; ergo. *Major* est certa, quia juxta ipsos Thomistas distinctio intercedens inter extrema relativè opposita est verè realis; ergo à potiori erit verè realis distinctio intercedens inter extrema, quibus conveniunt contradictoriè opposita realia, cùm hæc oppositio sit major relativâ. *Minor* ab ipsis Thomistis asseritur; igitur non video, quid impediat inferre, talem distinctionem esse verè realem. *Si dicant Thomistæ*: hanc distinctionem intercedere tantùm inter virtualitates. R. Illæ virtualitates sunt tamen ante operam mentis distinctæ; sicut igitur n. 173. ostendimus, *formalitates Scotisticas* non impedire distinctionem strictè realem: ita quoque hìc iisdem argumentis probatur virtualitates Thomisticas, distinctionem strictè realem non tollere. *Ratio est* 2. Virtus ad impossibile non datur; sed virtus intrinseca ejusdem rei ad verificanda contradictoria realia pro statu reali, qualis est distinctio virtualis major, est virtus ad impos-

sibile;

sibile; ergo. *Minor* constat; quia hæc distinctio verificare conatur, idem simul esse & non esse ante omnem operam mentis. *Confir.* Admissâ hâc distinctione nulla unquam implicabit chimæra; quidquid enim implicatorii attuleris aut contradictionis, distinctione hâc virtuali intrinsecâ facilè difflabitur.

185. *Obj.* 1. Idem actus contritionis ante operam mentis est amor Dei & odium peccati; sed nisi admittatur distinctio virtualis major in tali actu, tunc talis actus pro statu reali erit quoque amor peccati & odium Dei, quod certè admitti nequit; ergo admittenda est hæc distinctio. R. N. *min. Probas.* Si in hoc actu odium peccati & amor Dei non distinguantur virtualiter Thomisticè, ergo quidquid verificatur de formalitate una v. g. *Amoris*, etiam verificatur de formalitate altera v.g. *Odii*; ergo talis actus esset simul realiter amor peccati, & odium Dei. R. N. *Cons.* & si formaretur ex hoc enthymemate syllogismus, foret illegitimus; quia inferret, quod non erat positum in præmissis. Ut igitur bene concludat syllogismus, sic ponas necesse est. *Si formalitas amoris & formalitas odii in eodem actu contritionis non distinguantur virtualiter Thomisticè, ergo quidquid verificatur de una formalitate, etiam verificatur de altera; sed de formalitate amoris verificatur, quòd sit amor Dei, & de formalitate odii verificatur, quòd sit odium peccati; ergo etiam de formalitate amoris verificatur, quòd sit odium peccati, & de formalitate odii, quòd*

sit amor Dei. Quem syllogismum sic positum totum concedo.

186. *Inst.* Esse odium Dei nihil aliud est, quàm actum odii tendere in Deum; sed actus contritionis est odium, tenditque in Deum; ergo. R. N. *Maj.* vel D. quàm actum odii tendere in Deum *aversativè*, & ex motivo odii C. quàm actum odii tendere *simpliciter* in Deum N. Odium, quod est in actu contritionis, non tendit in Deum simpliciter, nec *aversativè*, aut ex motivo odii; sed tendit in Deum *prosecutivè*, & ex motivo amoris. Ex hac ipsa distinctione desumenda est ratio, cur pro statu reali verè dicam: Rationale est principium sentiendi; Animal est principium ratiocinandi. Et cur non pariter verè dicam: in actu contritionis pro statu reali est odium Dei, & amor peccati. In posteriori enim casu confunderentur & motiva & modi tendendi contritionis; sed nihil tale fit, dum animal dicitur principium ratiocinationum, & rationale sensationum. Pro clariori horum notitia accipe sequens exemplum: Motus localis virtualiter est recessus ab oriente & accessus ad occidentem; igitur in sensu reali verum est dicere: recessus ab oriente est accessus ad occidentem. Dicere autem verè non possum: Motus est recessus ab occidente, & accessus ad orientem; ergo orientem fugit, occidentem prosequitur.

187. *Obj.* 2. Principium sanitatis, & principium amaritudinis sunt realiter idem in eadem medi-

medicina; sed principium sanitatis, sive medicina *ùt sana* amatur; & principium amaritudinis, sive medicina *ùt amara* non amatur; ergo de principio sanitatis, & principio amaritudinis in eadem medicina verificantur contradictoria realia. R. 1. N. *Suppositum*, à parte rei dari *principium & principium*; item dari realiter *reduplicationes* in rebus indistinctis realiter. R. 2. D. *alteram partem min.* Principium amaritudinis *formaliter* sumptum, sive *pro statu intentionali* non amatur C. *materialiter* sumptum & *pro statu reali* non amatur. *Subdist.* Non amatur secundum id, quod dicit *in recto* N. secundùm id, quod dicit *in obliquo.* C. Nimirum amaritudo non amatur, sed sanitas, qui duo obliqui strictè realiter distinguuntur; mirum igitur non est de iis verè prædicari posse contradictoria. *Adverte* hâc ipsâ responsione solvi sequentia argumenta: Eadem anima ùt volitiva est libera, ùt intellectiva non est libera. *Item.* Voluntas producit volitiones, intellectus eas non producit. *Item* Intellectus est sciens à cognitione scientifica, voluntas non est sciens. *Item.* Voluntas dicitur mala ab opere peccaminoso, & bona ab opere bono, intellectus autem non dicitur bonus aut malus. Item color videtur, dependentia à Deo non videtur, quæ tamen sunt idem in eadem v. g. albedine. &c.

188. *Dico 2.* Datur inter gradus metaphysicos distinctio virtualis minor. h. e. Formalitates ejusdem rei actualiter per intellectum tantùm

tùm distinctæ, distinguuntur fundamentaliter per distinctionem virtualem minorem. *Probatur jam concluſ.* Distinctio virtualis minor est fundamentum & virtus rei realiter indivisibili intrinseca terminandi diversos conceptus inadæquatos, & vi cujus intellectus distinguere potest ea, quæ realiter sunt quid unum; *vid. n.* 182. Sed datur inter gradus metaphysicos talis virtus (quam minorem intelligas juxta explicationem ante probationem datam) ergo & talis distinctio. *Prob. min.* Homo v. g. habet virtutem hanc sibi intrinsecam, ut ab intellectu jam possit concipi *ùt animal*, in ordine ad sensationes; jam *ùt rationale*, in ordine ad ratiocinationes &c. ergo datur talis virtus; ergo & talis distinctio.

189. *Obj.* 1. Omnis distinctio vel est realis vel rationis; ergo non datur distinctio virtualis minor. R. 1. Antecedens intelligendum est de distinctione propriè tali, non autem analogicè tali, qualis est virtualis minor. R. 2. T. *Ant.* Ob rationem modò assignatam. N. *Conſ.* Nam Distinctio virtualis dici potest realis realitate existentiæ; licèt dici non possit realis realitate & actualitate distinctionis. h. e. Hoc fundamentum actu existit in re simplici actualitate virtutis distinguendi per intellectum unum ab altero; sed non existit actualitate distinctionis, sive extremorum distinctorum.

190. *Inſt.* 1. Si hæc distinctio non est verè actualis actualitate distinctionis, ergo relinquit entitatem omnimodè unam & eandem; sed

hoc

hoc dici nequit; ergo. R. D. sequelam. Ergo relinquit entitatem omnimodè unam & eandem unitate & identitate oppositâ cuicunque distinctioni reali actuali. C. Oppositâ etiam virtuali. N. h. e. Distinctio virtualis relinquit entitatem unam realiter actualiter; Virtualiter autem eam reddit multiplicem.

191 *Inst.* 2. Si ante operam mentis idem realiter & indivisibile objectum est æquivalenter & virtualiter multiplex; ergo in eodem objecto nemine cogitante est alietas & alietas; item, alia & alia virtualitas; sed hoc dici nequit, quin admittatur distinctio scotistica vel Thomistica; ergo. R. D. 1. *partem sequelæ*: Ergo est alietas & alietas actu. N. potentiâ, i. e. adest fundamentum, ex quo intellectus gradus metaphysicos distinguere possit. C. 2. *partem sequelæ* simpliciter nego. Nam à parte rei est tantùm unica virtus, ob diversos effectus, quos producit, pluribus æquivalens. *vid. n.* 182. *Si ais.* Illa unica virtus nequit movere intellectum nisi ad actum unicum; quia rei unius simplicis non est nisi una intentionalis imago. Ergo illa virtus non est fundamentum diversorum conceptuum distinguentium. R. N. *ant. ejus probat.* D. Rei unius simplicis tam virtualiter, quàm realiter actualiter non est nisi &c. C. Rei unius simplicis realiter actualiter, virtualiter autem multiplicis. *Subdist.* non est nisi una imago *quoad rectum*, qui est ipsa entitas rei. C. *quoad obliquum* sive connotata & operationes diversas, quas eadem entitas producit. N.

192. *Obj.* 2. Distinctio virtualis minor esset capacitas salvandi contradictoria intentionalia; sed talis capacitas implicat; ergo & talis distinctio. R. D. *Maj.* Est capacitas salvandi contradictoria verè talia N. apparenter talia C. prior capacitas implicat, non autem posterior. Data distinctio facit hunc sensum: Distinctio virtualis est fundamentum, vi cujus unus gradus præscindi intentionaliter potest ab altero, de quibus deinde gradibus sic præcisis & intentionaliter distinctis, possum v. g. dicere: animal sentit, rationale non sentit, quæ certò non sunt contradictoria verè talia, tum quia non cadunt supra idem in statu intentionali; tum quia *tò non* nequaquam sumitur negativè, sed tantùm præcisivè. *Si ais.* Ad salvanda talia contradictoria sufficit distinctio rationis; ergo superflua distinctio virtualis. R. *D. Ant.* Sufficit distinctio rationis ratiocinatæ, quæ fit cum fundamento in re C. Distinctio rationis ratiocinantis. N.

§. IV.

An gradus Metaphysici formaliter actualiter distinguantur Distinctione Rationis ratiocinatæ?

193. *Dico.* Gradus metaphysici formaliter actualiter distinguuntur distinctione rationis ratiocinatæ. *Ratio est.* Illa distinguuntur formaliter actualiter distinctione rationis ratiocinatæ, quæ cum fundamento in re pro statu intentionali de se invicem negantur, à se invicem separantur, diversis definitionibus inadæquatis definiuntur;

untur; hæc enim signa sunt distinctionis rationis ratiocinatæ; sed gradus metaphysici pro statu intentionali de se invicem negantur &c. Ergo distinguuntur formaliter actualiter distinctione rationis ratiocinatæ. *Minor* hucusque satis probata est contra Realistas, Scotistas, Thomistas.

194. *Obj.* 1. Intellectus nequit facere, ut non substantia realiter, sit substantia intentionaliter; ut album realiter, sit nigrum intentionaliter. &c. ergo nec facere poterit, ut ea, quæ sunt idem realiter, sint formaliter actualiter distincta intentionaliter. R. Ex supposito, quod non sit lis de omni actu intellectûs, etiam fingente. N. *Cons. Disp. est* 1. Quia posito actu intellectûs & objecto cognito, quod non est substantia, vel quod est album, non resultat, aut sequitur denominatio substantiæ vel nigri. Econtrà autem posito actu inadæquatè repræsentativo, & objecto virtualiter multiplici cognito inadæquatè, resultat aliqua divisio intentionalis, & consequenter distinctio. *Disp. est* 2. In priori casu intellectus non habet fundamentum; habet autem in posteriori.

195. *Obj.* 2. Distinctio rationis ratiocinatæ vel est gradibus metaphysicis intrinseca, vel extrinseca? Neutrum dici potest; ergo. R. N. *min.* Utrumque dici potest. Est enim intrinseca ab extrinseco: *Intrinseca* est, si *formaliter* & *passivè* spectetur, quia sic accepta est forma alietatis intentionalis, quæ est in ipsis extremis intentionalibus. *Ab extrinseco* est, si sumatur

activè

activè & *causaliter*; quia sic accepta provenit ab extrinseco, sive actu intellectûs præscindente. *Si ais.* Actus intellectûs est objecto merè extrinsecus; sed distinctio rationis est actus intellectûs; ergo. R. D. *Min.* Distinctio rationis activa & causalis est actus intellectûs. C. Passiva & formalis N.

196. *Observa.* Malè argumentantur AA. sic: Quæ per rationem non distinguuntur, etiam non distinguuntur realiter; ergo vicissim, quæ non distinguuntur realiter, nec distinguuntur per rationem. Nam antecedens falsum esse inde patet; quòd ea, quæ realiter distinguuntur, non distinguantur per rationem; quia distinctio rationis est alietas intentionalis unius ab altero sibi realiter identificato; sed inter realiter distincta non est talis alietas; ergo nec distinctio rationis. Deinde permisso antecedente est adhuc *Disp.* tum quia distinctio rationis habet fundamentum in re, quod in casu posito non habet distinctio realis; tum quia intellectus noster pollet virtute abstractivâ, quâ potest realiter conjuncta intentionaliter separare. *Si inferant:* Ergo intellectus naturas rerum intrinsecè mutaret. R. D. *Illat.* Mutaret intrinsecè *physicè* & *in esse rei*, aliquid in naturis producendo. N. Mutaret intrinsecè *intentionaliter*, & *in esse objecti*, aliquid præscindendo, ex quo necessariò resultat distinctio & separatio passiva gradûs unius ab altero. C.

§. V.

§. V.

An Distinctio Rationis fiat per Præcisionem Objectivam, an verò per Formalem?

197. *Nota* 1. Agitur hìc solùm de distinctione rationis *causali* & *activa*, sive *de cognitione præscindente*, per quam fit distinctio rationis ratiocinatæ. Hinc advertes, quæstionem hìc non esse *de præcisione materiali & physica*, quâ physicè aliquid separatur ab altero, v. g. auris à capite furis, vel ramus ab arbore: Sed agi hìc *de præcisione intentionali*, quâ unum ab altero separatur intentionaliter, h. e. unum cognoscitur, altero huic realiter identificato non cognito. De hac cognitione

198. *Nota* 2. Cognitio in genere est *vitalis perceptio objecti.* Hæc si entitativè materialis sit, dicitur *sensatio*, quia effectivè procedit à potentia aliqua materiali v. g. à sensu externo, ùt visio ab oculo; vel à sensu interno, qualis est Phantasia. Si autem perceptio objecti sit spiritualis, vocatur *intellectio*, *cognitio spiritualis*, *vel imago expressa objecti*, *verbum mentis*, *vel operatio mentis*; quia effectivè procedit à potentia spirituali, qualis est intellectus. Producitur autem à nobis viatoribus intellectio dependenter à speciebus, per sensus externos & phantasiam hausti: Nam ùt commune fert axioma: *Nihil in intellectu, quod non priùs fuerit in sensu.* Quodsi objectum à sensibus omninò remotum sit, tunc non poterit quidem cognosci in se & per species proprias; cognosci

tamen

tamen poterit per ſpecies alienas: Sic ſubſtantias ſpirituales cognoſcimus per ſpecies à ſenſibilibus accidentibus deſumptas. Porrò modus cognoſcendi multiplex eſt: *Intuitivus.* Quando cognoſcimus & intuemur rem exiſtentem ùt talem, vel per ſpecies proprias. *Abſtractivus.* Quando cognoſcimus rem per ſpecies alienas. *Quidditativus.* Quando cognoſcimus rem per ſe ipſam ſine ſpeciebus, ita ut eam diſcernere valeamus ab omni alia re etiam ſimillimâ. *Comprehenſivus.* Quando totam rem cognitione noſtrâ exhaurimus, ſive dum cognoſcimus rem, quantùm eſt cognoſcibilis. *Præciſivus.* Quando intellectus non exhaurit omnem rei cognoſcibilitatem.

199. *Nota 3.* Præciſio activa ulteriùs dividitur in poſitivam & negativam. *Poſitiva* eſt: quando intellectus expreſsè negat unam perfectionem aut formalitatem de altera, & hæc eſt actus judicii. *Negativa* eſt cognitio, quâ intellectus præcisè cognoſcit unum, quod præſcinditur, & non cognoſcit alterum, à quo præſcinditur, & eſt actus apprehenſionis. De hâc *negativâ*, *cauſali* & *intentionali præciſione* maximè hìc lis eſt, circa quam moderno tempore duæ ſunt celebriores Philoſophorum ſententiæ. *Prima* eſt *Formaliſtarum*, ſive Nominalium reformatorum. Hi rejectâ præciſione paſſivâ, quæ ſe tenet ex parte objecti, eſtque ipſa paſſiva ſeparatio intentionalis unius prædicati ab altero realiter identificato, dicunt totam præciſionem ſe tantùm tenere ex parte actûs:

actûs: i. e. *Præcisio formalis est actus intellectûs duas v. g. formalitates realiter identificatas ab invicem separans, non quidem quòd unam cognoscat, & alteram non cognoscat* EX PARTE OBJECTI *& in recto; sed quòd utramque cognoscat ex parte objecti, unam autem duntaxat* EX PARTE ACTUS, *sive modi cognoscendi.* Qui potest capere, capiat! Certè ipsi Formalistæ, ut hanc descriptionem explicent, in tres abeunt vias. Alii enim *Hurtadum*, alii *Arriagam*, alii *Oviedum* sequuntur, quorum explicationes hìc annectere nimis longum foret. *Secunda* est *Objectivistarum*, qui præter præcisionem formalem activam tenentem se *ex parte actûs*, admittunt etiam passivam tenentem se *ex parte objecti*, non quidem *physicè* existentis, sed *intentionaliter*. Differt hæc præcisio intentionaliter objectiva à formali. 1. *ex modo tendendi. Formalis* enim tendit in objectum *confusè*, prædicata reliqua ejusdem rei confundendo, cognoscítque rem physicè existentem, ùt physicè existentem. Dum enim *Formalistæ* animal ùt genus concipiunt, dicunt sibi repræsentari animalia omnia & singula, rationalia & irrationalia. Dum animal Petri ab ejus rationali præscindunt; ajunt sibi repræsentari totum Petrum sub claritate tantùm animalis, cætera autem *confusè*. Verùm *Præcisio intentionaliter objectiva* non confundit; sed unum prædicatum ab altero intentionaliter separat, h. e. Unum cognoscit, alterum non cognoscit tum ex parte actûs, tum ex parte objecti, & hinc differt

2. Ra-

2. *Ratione objecti*; Nam præcisio formalis habet quidem inadæquatas cognitiones, sed non habet inadæquata objecta, cùm totum objectum directum semper objiciatur intellectui, & si animal v. g. formaliter præcisum à rationali poneretur à parte rei, poneretur totus homo. Econtrà præcisio objectiva habet prædicata intentionaliter separata, & objecta inadæquata. Differt 3. *Ratione subjecti, & ratione formæ hujus concreti: Præcisum.* Formalis enim pro subjecto habet rem ipsam v. g. Petrum; pro forma habet ipsam cognitionem. Objectiva verò pro forma statuit habitudinem intrinsecam subjecto, quâ cognitionem respicit tanquam conditionem, & causam sui esse intentionaliter distincti ab esse rationalis. Subjectum autem dicit ipsam formalitatem præcisam v. g. Animal præcisum. Differt 4. ex hoc, quod Formalis denominationem *Præcisi* appellet denominationem *purè extrinsecam*; Objectiva verò tuetur denominationem hanc esse *intrinsecam* objecto præciso, ab extrinseco, scilicet ab intellectu seû cognitione.

200. *Dico.* Distinctio rationis inter gradus metaphysicos fit per præcisionem intentionaliter objectivam. *Probatur primò ex ratione.* Distinctio rationis ratiocinatæ inter gradus metaphysicos fieri debet per talem cognitionem, vi cujus cognosco v. g. Animal tantùm absque rationali sibi realiter identificato; sed præcisio objectiva est talis cognitio; ergo per hanc debet fieri distinctio rationis &c. Negant Formalistæ

maliſtæ *maj. & ejus ſuppoſitum. Prob. præprimis ſuppoſitum.* Tunc animal cognoſci absque rationali poteſt, ſi rationale non ſit de eſſentia animalis, licèt ſit cum illo realiter identificatum; ſed rationale non eſt de eſſentia animalis; ergo. *Maj. Conſtat*; Quia res phyſicè exiſtere poteſt absque eo, quod non eſt de eſſentia ejus phyſica; ergo exiſtere quoque poterit intentionaliter & logicè ſine illo, quod non eſt de eſſentia ejus logica. *Minorem ſic probo:* Si animal includeret in ſua eſſentia logica differentias, ergo vel ambas ſimul, vel unam tantùm? Inprimis non includit ambas ſimul; aliàs foret chimæra, cùm identificatum ſibi haberet hominem & brutum; nec poſſet verè prædicari de homine, nec de bruto. Deinde non includit unam tantùm; aliàs non foret univocum, & ſuis membris dividentibus æqualiter non conveniret. Adhæc Animal definitur absque rationali, *Principium ſentiendi.* Quâ igitur ratione rationale de eſſentia ejus metaphyſica vel logica ſit? *Prob. nunc etiam maj. ſyllogismi primi in ratione poſiti.* Diſtinctio rationis inter gradus metaphyſicos per talem præciſionem fieri debet, per quam fiunt extrema intentionalia; ergo fieri debet per talem cognitionem, vi cujus unus gradus cognoſcitur, altero nullo modo cogniro, qualis eſt præciſio objectiva. *Ant. prob.* Diſtinctio realis intercedere debet inter extrema realia objecta; ergo & diſtinctio rationis intercedere debet inter extrema, ſive objecta intentionalia: ſed unde illa, niſi per præciſionem

fiant? certè à parte rei non sunt: cùm omnes gradus metaphysici realiter sint eadem indivisibilis entitas. *Probatur thesis secundò authoritate Philosophi.* Hic *lib. 7. Metaphys. cap.* 12. vel *apud Sylvest. Maurum. cap.* 14. sic habet: *Genus etenim non videtur particeps esse differentiarum: simul namque contrariorum idem participaret; differentiæ namque contrariæ, quibus genus differt. Infero.* Ergo juxta *Arist.* differentiæ nullo modo nequidem confusè continentur in ratione generis; ergo differentia v. g. *rationale*, non tantùm ex parte actûs (ùt *Formalistæ* loquuntur) sed etiam ex parte objecti debet præscindi à genere, & consequenter *intentionaliter objectivè. Confir.* Inter ea datur distinctio ex parte objecti, ex quibus datur compositio; sed ex genere & differentia datur compositio; ergo. *Minorem* ipsi AA. admittunt. *Maj. Prob.* Exinde, quia *compositio est distinctorum unio.* Nec possunt AA. dicere, distinctionem illam aut compositionem intelligendam duntaxat esse de actibus intellectûs, genus & differentiam repræsentantibus: aliàs hæc propositio: *Homo est animal rationale*, esset falsa, cùm unus actus non sit alius. Deinde homo componitur ex genere & differentia; ergo genus & differentia sunt quid aliud, quàm actus intellectûs, nempe duo conceptus objectivi ex parte rerum.

201. *Obj.* 1. Admissâ præcisione objectivâ verificantur de eodem duo prædicata contradictoria, scilicet hæc: *idem cognosci, & non cognosci*; sed hoc admitti nequit; ergo. *Prob. maj.*

Ani-

Animal & rationale sunt idem; sed de animali & rationali verificantur hæc contradictoria; ergo. R. 1. Ejusmodi syllogismi plerúmque sunt vitiosi, quia mutatur status. R. 2. *Retorqueo in Formalistas.* Animal & rationale sunt idem; sed de animali & rationali verificantur contradictoria, scilicet hæc: *Cognosci clarè, & non cognosci clarè.* Ergo. R. 3. *D. maj.* Animal & rationale sunt idem in statu physico C. in statu intentionali & objectivo N. *si reponas.* Animal in statu objectivo est ipsa entitas v. g. hominis cognita; sed entitas hominis cognita est idem cum rationali; ergo etiam animal in statu objectivo est idem cum rationali. R. *D. maj.* Est ipsa entitas hominis cognita *adæquatè.* N. Cognita *inadæquatè.* C. Animal in statu objectivo est entitas v. g. hominis cognita inadæquatè sub ratione animalis; sic autem cognita est perfectio duntaxat unica, sive portio hominis singillatim repræsentata. *Si instes.* Animal in statu objectivo est idem cum animali in statu physico; sed hoc est adæquata hominis entitas; ergo & illud. R. *D. maj.* Est idem cum animali in statu physico adæquatè spectato. N. Cum animali inadæquatè spectato C. *si urgeas.* In statu physico non datur animal inadæquatè spectatum. R. D. Non datur formaliter actualiter C. non datur virtualiter & fundamentaliter. N.

202. *Obj.* 2. Animal existere physicè non potest absque rationali vel irrationali; ergo nec existere potest intentionaliter sine alterutro, h. e. nequit cognosci absque alterutro.

℟. N. *Conſ. Diſp. eſt.* Quia exiſtere phyſicè (idem dic de termino *produci* & ſimilibus) eſt prædicatum phyſicum, quod cadit ſupra entitatem, ùt eſt in ſe phyſicè; animal autem ùt eſt in ſe phyſicè, ſemper eſt rationale vel irrationale. Econtrà verò cognoſci non cadit ſupra rem, ùt eſt in ſe phyſicè, ſed quæ eſt in intellectu & objectivè. Poteſt autem res exiſtere in intellectu inadæquatè ſecundùm unam tantùm formalitatem; mirum igitur non eſt, τὸ *cognoſci* ſupra unam cadere poſſe formalitatem, & τὸ *non cognoſci* ſupra aliam. NB. Agitur hìc de cognitione *abſtractiva*, quæ non debet repræſentare rem, prout eſt in ſe phyſicè, ſed prout inadæquatè convenit cum aliis: Non agitur autem de cognitione *intuitiva adæquata*, quæ totum objectum attingit.

203. *Obj.* 3. Lux ſolis illuminans punctum indiviſibile, illuminat totum; ergo etiam cognitio intellectûs cognoſcens objectum phyſicè indiviſibile, cognoſcit totum. ℟. N. *Conſ. Diſp. eſt.* Sol illuminando agit phyſico & materiali modo, conſequenter actione ſuâ totam rei indiviſibilis entitatem neceſſariò afficit. Econtrà potentia intellectiva longè aliter verſatur circa objectum: Nam non cognoſcit continuò totum; ſed tantùm id, cujus aliundè hauſit ſpecies; *Nihil enim in intellectu, niſi priùs fuerit in ſenſu.* Cùm igitur intellectus jam has, jam illas ſpecies objecti, realiter quidem & phyſicè indiviſibilis, virtualiter tamen multiplicis, habere poſſit, mirum non eſt, quòd objectum in-

inadæquatè tantùm cognoscat, jam secundùm hanc, jam secundùm illam formalitatem, prout nimirùm hujus vel illius habet species. Præterea manifestum est, potentiam intellectivam plùs posse circa objectum, quàm potentiam physicè productivam. Nam mens nostra attingere potest res absentes, à sensibus remotas, præteritas, futuras, possibiles, imò & impossibiles; id quod potentiæ physicè productivæ nemo concedet. *Si ais.* Dum intellectus habet species *animalis*, habet etiam species *rationalis*; ergo cognoscendo *animal*, cognoscit etiam *rationale*. R. N. *ant.* Licèt species *animalis*, v. g. *motus progressivus*, procedat à re, quæ realiter una est, & simul rationalis; propterea tamen alias illius rei perfectiones intellectui non manifestat, sed indicat duntaxat potentiam progressivam, sive perfectionem animalis; vel certè non magis manifestat rationale, quàm irrationale: sicut ergo, si illud, quod se movet, sit homo, etiam juxta AA. irrationale non cognoscitur, ita nec cognoscitur rationale per motum illum progressivum indifferentem ad utrumque. *Si urgeas.* Cognoscens animal cognoscit omne id, quod est animal; sed animal etiam est rationale; ergo cognoscit etiam rationale. R. *D. maj.* Cognoscit omne id, quod est animal essentialiter & *intensivè*, i. e. cognoscit omnia essentialia animalis prædicata. C. Cognoscit omne id, quod est animal realiter & *extensivè*, i. e. cognoscit omnia, quæ animali realiter iden-

tificata sunt. N. Cognoscitur quidem animal, *quod* est à parte rei, sed non *ùt* est à parte rei.

204. *Obj.* 4. Si cognoscens præcisivè animal, non cognoscat rationale; ergo nec ipsum animal cognoscit, quod tamen implicat. *Prob. sequel.* Quod negatur de re quâpiam, etiam negatur de identificato cum illa; sed de rationali, quod animali identificatum est, negatur, quòd cognoscatur; ergo id quoque negatur de animali. R. D. *maj. probat.* Etiam negatur de identificato cum illa *essentialiter* C. etiam negatur de identificato tantùm realiter. *subdist.* Negatur pro illo statu, pro quo est identificatum C. pro quo non est identificatum. N. Rationale autem non est identificatum animali pro statu objectivo & intentionali, pro quo est hæc negatio. *Si ais*: Animal essentialiter idem est cum homine, & rationale etiam essentialiter idem est cum homine; ergo hæc duo sunt quoque essentialiter idem inter se; *quæ enim essentialiter idem sunt cum uno tertio, etiam essentialiter idem sunt inter se.* R. 1. *Retorqueo.* Corpus est essentialiter idem cum homine, Anima etiam; ergo corpus & anima sunt idem inter se. R. 2. *D. ant.* Animal est idem cum homine adæquatè sumpto N. inadæquatè sumpto. C. *Si urgeas.* Vel cognosco animal, quod est v. g. in Petro, vel cognosco aliud? Si primum; ergo cognosco etiam rationale; quia animal Petri est ipsum rationale Petri. Si secundum; ergo non præscindo inter animal & rationale identificata. R. Cognosco animal, quod est in Petro, sed non, ùt est in Petro, sive adæquatè sumptum. 204. *Obj.*

205. *Obj.* 5. Id cognoscitur, quod præscinditur; sed dum animal præscinditur à rationali, etiam rationale præscinditur ab animali; ergo dum præscinditur, animal & cognoscitur, etiam rationale cognoscitur. R. D. *maj.* Id cognoscitur, quod præscinditur actu & *positivè* C. quod præscinditur *negativè*. *Subdist.* quod *negativè signatè* præscinditur C. quod *negativè exercitè* præscinditur N. Rationale in præcisione animalis præscinditur *negativè exercitè*, h. e. relinquitur incognitum. *Si ais.* Animal & rationale distinguuntur distinctione rationis; ergo unum sine altero cognosci nequit. R. D. *Cons.* Si cognoscantur ùt distincta, & ùt per relationem alietatis sè invicem respicientia C. si non cognoscantur ùt distincta N. Possum autem cognoscere solùm animal tanquàm principium sentiendi, quin illud cognoscam ùt distinctum. *Si reponas.* Esse præcisum est æquè terminus relativus, ac esse distinctum. R. D. Quoad rem N. quoad modum explicandi. C. *Si inferas.* Ergo intellectus cognoscens animal sine rationali mutaret objectum. R. D. *Illat.* mutaret *realiter & physicè* N. *intentionaliter & objectivè*. *Subdist.* mutaret *positivè* vel *negativè* N. *præcisivè*. C. *Si urgeas.* Juxta *Arist.* quod est simplex vel totum scitur, vel totum ignoratur; sed objectum præcisionis est simplex; ergo. R. 1. Ergo etiam Deus ens simplicissimum vel totus scitur, vel totus ignoratur. R. 2. D. *maj.* Quod est simplex & physicè & metaphysicè, vel totum scitur &c.

C. quod est simplex physicè tantùm, metaphysicè verò multiplex N.

206. *Obj.* 6. Admissâ præcisione objectivâ verificantur de animali v. g. & rationali contradictoria realia phyfica & intrinseca. *Prob.* Talia contradictoria sunt: *posse cognosci*, & *non posse cognosci*; sed hæc verificantur de animali & rationali; ergo. R. 1. N. *suppos.* Dari ante cognitionem *Animal* & *Rationale*. Cùm ejusmodi nomina dicant duntaxat portiones entium seorsim cognitas. R. 2. N. *min. probat. Si dicas.* Ex eo, quòd animal in statu objectivo cognoscatur, benè infero pro statu physico: ergo potest cognosci. Ergo etiam ex eo, quòd rationale in statu objectivo non cognoscatur, bene infero pro statu physico: ergo non potest cognosci. R. N. *Cons.* Ecce illationem similem: benè infero: sol lucet, ergo potest lucere; ergo etiam benè infero: sol non lucet, ergo non potest lucere. Ratio vitiosæ illationis est; quia ex carentia actûs non benè infertur carentia potentiæ, licèt ex actu benè inferatur potentia, quam præsupponit. Si autem sic ponatur argumentum: Rationale non cognoscitur cognito animali, ergo potest non cognosci; tunc illatio erit æquè bona, ac hæc: sol non lucet, ergo potest non lucere. Sed hæc duo: *Posse cognosci*, & *posse non cognosci*, non sunt contradictoria realia intrinseca.

Inst. 1. Si animal posset produci sine rationali, foret intrinsecè producibile sine rationali; ergo si possit cognosci sine rationali, erit quo-

que

que intrinsecè cognoscibile sine rationali. R. N. *Cons. Disp. est.* Ad hoc, ut animal producatur sine rationali, requiritur, ut animal reipsa habeat aliam essentiam physicam, ab essentia rationalis; cùm produci sit prædicatum physicum. Econtra ad hoc, ut animal cognosci possit sine rationali, non requiritur alia essentia physica animalis; sed sufficit fundamentum in eadem & indivisibili re physicè, vi cujus repræsentari per cognitionem possit animal absque rationali. Potest etiam distingui *Cons.* sic: erit intrinsecè cognoscibile fundamentaliter C. formaliter. N.

Inst. 2. Etiam humanitas & rationalitas sunt gradus metaphysici, nec tamen unus objectivè cognosci potest sine alio; ergo nec animal sine rationali. R. D. *ant.* Sunt gradus metaphysici, qui se habent ùt pars & pars N. qui se habent ùt totum & pars. C. Hìc autem quæstio est de gradibus metaphysicis, qui se habent ùt pars & pars.

207. *Obj.* 7. Præcisio rationis tenet se tantùm ex parte actûs; ergo non datur objectiva. R. D. *ant.* Præcisio activa C. passiva N. *si quæras*, utrum præcisio objectiva sit extrinseca vel intrinseca? R. Est intrinseca ab extrinseco. *Si reponas.* Quod est extrinsecum, nequit intrinsecè dividere rem intrinsecè indivisam; ergo præcisio objectiva nequit esse intrinseca objecto intrinsecè indiviso ab extrinseca cognitione præscindente. R. D. *Ant.* Quod est extrinsecum, nequit intrinsecè dividere rem intrinsecè indi-

visam, si non sit virtualiter divisa C. si sit virtualiter divisa. N.

208. *Obj.* 8. Ex præcisione objectiva multa sequuntur absurda; ergo non est admittenda. Prob. *ant.* I. Ex præcisione objectiva sequitur, nullam dari propositionem essentialem, in qua prædicatum debet esse de essentia subjecti. *Prob.* Admissâ præcisione objectivâ unus gradus potest concipi sine altero realiter identificato, ita ut hic alter gradus non sit de essentia prioris. R. D. *ult. probat.* Unus gradus habens rationem partis potest concipi sine altero etiam habente rationem partis, cum quo facit unum metaphysicum unitate compositionis metaphysicæ, licèt non unitate simplicitatis metaphysicæ. C. Unus gradus habens rationem totius potest concipi sine altero habente rationem partis ejusdem totius. N. Hæc propositio: *Homo est animal*; etiam juxta objectivistas est essentialis, quia totum prædicatum est de essentia subjecti. Hæc autem præpositio, *Animal est rationale*; est logicè accidentalis, non solùm juxta objectivistas, sed etiam juxta alios.

209. II. Per præcisionem objectivam destruitur principium hoc: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt idem inter se. Prob.* In sententia objectivistarum animali conveniunt rationale & irrationale, quæ tamen non conveniunt inter se; ergo. R. 1. Solvant hoc ipsum Formalistæ, & nos sequemur. R. 2. D. *ant. probat.* Animali tanquam alicui tertio singulari, & incommunicabili conveniunt rationale & irrationale

nale N. Animali tanquam alicui tertio generico, & communicabili conveniunt rationale & irrationale. C. Requiritur autem ad hoc principium, ut tertium, cui duo identificantur, sit singulare & incommuniabile, aliàs etiam filius & Spiritus S. in divinis essent idem inter se, quia sunt idem cum essentia, quæ iis communicabilis est.

210. III. Ex præcisione objectiva sequitur syllogismum expositorium nihil concludere. *Prob.* Objectivistæ negant consequentiam hujus syllogismi: *Hoc animal cognoscitur*; sed *hoc animal est hoc rationale*; ergo *hoc rationale cognoscitur*. R. D. *probat.* Objectivistæ negant consequentiam hujus syllogismi, quia est expositorius N. quia est vitiosus. C. Habet enim quatuor terminos ex mutatione statûs. Nam animal in majori sumitur in statu intentionali, in minori verò in statu reali, & prout est in statu reali. Hinc etiam in forma distinguitur minor per terminos *realiter* & *formaliter* vel *adæquatè* & *inadæquatè*. Deinde quæso te, quid ergo Formalistæ respondent ad hunc syllogismum similem? *Hoc animal cognoscitur clarè*; sed *hoc animal est hoc rationale*; ergo *hoc rationale cognoscitur clarè*. Nunquid negant & ipsi consequentiam. *Si ais.* Hic syllogismus est bonus: *Hoc animal currit*; sed *hoc animal est hoc rationale*; ergo *hoc rationale currit*. Ergo & prior syllogismus erit bonus. R. N. *Cons. Disp. est.* Hic syllogismus ubique supponit pro statu reali; nam animal pro statu intentionali non curret, cùm

cùm currere sit prædicatum physicum. Econtrà secus est in priori syllogismo. *Si reponas.* suppositio, quod videam à longè aliquid se movens, & hoc movens sit Petrus, tunc benè dico: *Hoc animal cognoscitur;* sed *hoc animal est hoc rationale;* ergo *hoc rationale cognoscitur.* Item benè concludo sic: *Hoc animal ex parte objecti cognoscitur;* sed *hoc animal ex parte objecti est hoc rationale;* ergo *hoc rationale ex parte objecti cognoscitur.* Ergo data disparitas nulla est. R. 1. *Retorqueo* hos syllogismos in Formalistas, addendo tantùm τὸ *clarè*, ut suprà feci. R. 2. Si *major* primi syllogismi faciat hunc sensum: *Hoc animal*, i. e. *hoc, quod est animal, cognoscitur adæquatè secundùm totam entitatem, prout est à parte rei*, tunc concedo totum. Si verò faciat hunc sensum: *Hoc, quod est animal, cognoscitur inadæquatè, secundùm unam tantùm formalitatem objectivam*, tunc N. *Cons.* ob mutatam rursus suppositionem. Pariformiter respondeo ad syllogismum secundum. Præterea hìc advertendum, quod, si AA. velint τὸ *animal* in utriusque syllogismi minore sumi intentionaliter, neganda sit utrobique minor: falsum enim est, animal substans cognitioni esse rationale. Ex his patet responderi posse *tertiò* sub distinctione *minoris.* v. g. Sed hoc animal est rationale *materialiter* & *identicè* C. *formaliter* & *objectivè* N. *si inferas.* Si materialiter & identicè etiam cognoscatur rationale, dum cognoscitur animal, ergo *objectivistæ* æquè confundunt prædicata ac *Formalistæ.* R. N. *Illat.* nam *materialiter* & *iden-*

identicè cognoſci rationale in dato caſu, nil aliud eſt, quàm quòd intellectus, ſe reflectens ſuper animal præciſum, agnoſcat, quod rationale à parte rei ſit idem cum animali præciſo.

211. IV. Admiſsâ præciſione objectiva ſequuntur idola mentis, & entia rationis. *Prob.* Idolum mentis & ens rationis eſt, quod nullibi poteſt exiſtere, niſi tantùm in intellectu; ſed formalitates objectivè præciſæ nullibi exiſtere poſſunt, niſi in intellectu; ergo. R. 1. Dicteria hæc ſunt, quæ nihil probant, niſi linguam non ſatis frænatam; quibus dum nos laceſſunt AA. ſatis produnt, ſe cauſæ diffidere ſuæ, noſtræ autem invidere. Poſſent objectiviſtæ tela ejusmodi retorquere in Formaliſtas; age enim, ubi exiſtunt formalitates formaliſticè præciſæ (ſi tamen formalitates præciſas habeant) niſi in intellectu? Verùm ne videantur à fortitudine Chriſtiano-philoſophica deſciſcere, his prætermiſſis, & transmiſsâ liberaliter majore, malunt in forma diſtinguere minorem ſic: ſed Formalitates objectivè præciſæ nullibi exiſtere poſſunt, niſi in intellectu, *quoad modum ſuæ diſtinctionis*. C. *quoad rem* N. quoad rem enim exiſtunt à parte rei, cum præciſio objectiva nil mutet aut ſeparet in & pro ſtatu reali. Hoc autem enti chimærico & rationis non convenit. *Si reclamas*: Ad ens rationis, & idolum mentis ſufficere, quod nequeat exiſtere à parte rei quoad modum, quo concipitur. R. N. Hoc: tum quia hoc non fit absque fundamento, tum

quia

quia aliàs toties fieret idolum mentis, quoties intellectus cognoscit ens materiale; cùm illud cognoscat spiritualiter, qualiter non existit à parte rei. *Si urgeas.* Dum intellectus identificat ea, quæ sunt distincta, facit ens rationis; ergo pariter distinguendo ea, quæ sunt identificata, faciet ens rationis. R. N. *Cons. Disp. est.* Identificatio fit per affirmationem, consequenter intellectus positivè aliquid de altero sine fundamento affirmaret, quando distincta identificaret; sic autem affirmare, est facere ens rationis, cùm esset positivè fingere. Econtrà distinctio non fit per affirmationem, sed tantùm per inadæquatam cognitionem, & cum fundamento in re. *Si instes.* Saltem animal fieret intrinsecè aliud à rationali per præcisionem objectivam, quod absque fictione fieri non posse videtur. R. D. Animal fieret aliud intrinsecè physicè N. fieret aliud intrinsecè objectivè C. *nec obstat*, quod intellectus præscindens sit extrinsecus ipsi animali objectivè sumpto. Nam fieri objectivè aliud ab altero, est cognosci sine altero; cognitioni autem activæ exercitè mutanti objectum respondet cognitio passiva, quæ objectio intentionali intrinseca est.

212. *Observa* I. Objectivistæ non negant possibilem esse præcisionem formalem, nam & ipsi admittunt actus præscindentes, sed negant, eam esse præcisionem perfectam, quia non habet objectum præcisum passivè, sine quo tamen præcisio perfecta, & ad universalia sufficiens esse nequit. II. Cognitio præscindens non est

judi-

judicium, sed apprehensio, sive inadæquata cognitio objecti nihil affirmans vel negans; hinc non facit ens rationis vel idolum mentis, quod debet fieri per actum falsum vel per fictionem. III. Datur præcisio tantùm inter illa, quæ se essentialiter non includunt. Hinc animal rationale nequit præscindi ab homine; cùm nullum adsit fundamentum præscindendi. Hinc non omnis cognitio est præcisiva: Sic non præscindit cognitio intuitiva adæquata, nec comprehensiva. IV. Sensus externi nequeunt præscindere objectivè. *Ratio est*: Quia sic præscindere, si strictè sumatur, est ita attingere unum, & non attingere alterum, quod tamen cum priori est identificatum, & æquè à potentia attingi posset, ut intellectus se reflectens, vel angelus videns objectum taliter præcisum, videat hanc unam tantùm formalitatem, & nec *clarè*, nec *confusè* alteram. Sed hoc non convenit sensui externo, quia hic semper tendit in objectum physicè tale, & modo materiali, adeóque non sic fertur in objectum, ut attingat aliquid, & aliquid nonattingat. Hinc oculus v. g. nequit videre colorem secundùm se, quin simul videat speciem, & individuationem &c. saltem *confusè*; non quidem ideò, quòd hæc comprehendantur intra objectum adæquatum oculi, sed quòd hæc sint realiter identificata cum objecto adæquato oculi. *Si ais*: oculus sæpè nequit discernere colorem; ergo tunc præscindet rationem genericam. ℟. Discernere non pertinet ad oculum, sed ad intellectum; quòd autem intellectus

lectus sæpè non discernat objectum, hoc provenit ab imperfectione specierum. Adhæc si sequela hæc esset legitima: *Intellectus discernere nequit, quem colorem in particulari oculus videat; ergo oculus præscindit objectivè.* Ergo etiam tunc præscinderet objectivè, quando objecta clarè, & in individuo percipit, v. g. duos flores, aut duo ova omninò similia, cùm in hoc quoque casu intellectus discernere non possit. V. Nec voluntas præscindit; cùm præcisio intentionalis solis potentiis cognoscitivis & repræsentativis sit propria, id quod ex conceptu præcisionis quivis facilè colliget. Fertur quidem voluntas in objectum aliquando præcisum, sed tunc ipsam præcisionem ab intellectu factam præsupponit. VI. Nec objectivè præscindit phantasia; quia hæc utpote potentia materialis & necessaria objectum cognoscit secundùm determinationem speciei impressæ, quam visio in eadem producit, ùt interim ex Animastica supponimus; sed hæc species non est præcisiva, cùm sit similis objecto suo, quod est visio; ergo nec ipsa phantasia erit præcisiva.

DISPUTATIO II.

De Universalibus in genere.

213. QUanta sit tum hujus, tum sequentis Disputationis necessitas, exinde satis liquet; quòd benè definire, dividere & argumentari quis haud sciat, notitiam de Universalibus nî priùs hauserit. Quomodò enim hac sine notitia definies speciem? Quomodò divides suas in species genus, aut genus in sua individua, si, quid genus, quid species, quid individuum sit ignores? Quomodò demonstrabis proprietates, discurres de accidentibus, si, quid sint, non intelligas? Est autem *Universale* vi nominis sui, *Unum versùs alia*, i.e. unum dicens ordinem ad multa. *Ut sic* est duplex: *Complexum*, quod est Oratio, quæ multis convenire potest; v. g. *Homo est animal.* Vel est principium aliquod commune, v. g. *Totum est majus suâ parte.* Alterum est *Incomplexum*, quod est res simplex, dicens ordinem ad multa. Hoc rursùs variè dividitur. Si enim latissimè sumatur, aliud est Universale *in causando*; estque causa una potens producere plures effectus etiam æquivocos. e.g. *Sol*, *Deus* &c. Aliud est Universale in *subjectando*; quale est *Materia prima*, quæ est subjectum omnium formarum.

Aliud est Universale *in significando*; estque vox vel terminus communis plura significans vel æquivocè vel univocè; ùt *canis*, respectu canis cælestis & domestici. Aliud est universale *in repræsentando*; estque res una repræsentans multa; ùt *Speculum*, *Idea*, vel *Imago*, vel *Cognitio* figuras & res multas proponens. Hæc locum hìc non habent, cùm non sint strictè & propriè Universalia. Sed restant adhuc duo, nimirùm Universale *in essendo* & *in prædicando*; & de his in genere præsens aget disputatio.

ARTICULUS I.

De Essentia Universalis.

214. *Dico* Universale *in essendo* est, *Unum aptum inesse multis.* Ita *Arist. 7. Metaphys.* c. 13. Τοῦτο γὰρ λέγεται καθόλε, ὃ Πλειόσιν ὑπάρχειν πέφυκε. Dicitur etiam *Universale metaphysicum*, quia Metaphysica agit de esse, vel ente. Universale *in prædicando* est, *Unum aptum prædicari de multis.* Ita rursus *Arist. lib de Interpret.* tract. 6. c. 7. λέγω καθόλε μὲν, ἐπὶ πλειόνων πέφυκε κατηγορεῖσθαι. Dicitur prætereà *Universale logicum*, quia Logica agit de prædicationibus. Universale hoc logicum distinguitur à methaphysico tantùm per *Prædicabilitatem*, quæ est affectio Universalis metaphysici. Hinc advertes duo hæc universalia ratione duntaxat distingui, quatenùs ratione priùs est esse, quàm prædicari. Si utrumque unâ definitione complecti velis, id quod plures authores faciunt, dices: *Universale*

sale est, ***Unum aptum inesse & prædicari de multis.*** Ut autem hanc definitionem meliùs intelligas;

215. *Observa*, ad universale strictè tale requiri sequentia. I. Ut sit *unum*, non *unitate numericâ*, vel *individuali*, aut *materiali*, quâ aliquid est hoc numero individuum; nec *Unitate formali* aut *similitudinis*, quâ ante operam intellectûs individua sunt similia; sed *unitate universali* vel *præcisionis* aut *abstractionis*, quâ natura aliqua, quæ realiter reperitur in multis, abstrahit à singularitatibus & individuationibus. II. Ut sit *multiplex* hoc sensu, ut eadem natura, quæ est una unitate præcisionis, sit apta inesse multis, vel communicabilis multis cum suî multiplicatione in inferioribus. III. Ut sit *aptum inesse, & prædicari*, h. e. Non requiritur ut actu insit multis, vel de multis actu prædicetur; sed sufficit, si possit inesse & prædicari. IV. Ut sit aptum inesse multis per *identitatem*, h. e. satis non est, ut natura aliqua Communis tantùm insit multis; sed requiritur, ut sit idem cum multis, & quidem secundùm se totam *intensivè*. V. Ut sit aptum prædicari de multis *verè*, ***Univocè*** (h. e. sub eodem nomine & significatione) ac *divisim*, h. e. per diversas propositiones, v. g. *Homo est animal, Brutum est animal.*

216. Exhis solvenda sequentia argumenta dialectica. 1. Deus est Unus & trinus; ergo est unum & multiplex; ergo universale. R. D. *Ant.* est Unus & trinus in eadem ratione. N.

in diversâ. C. Scilicet Unus est in essentia, trinus in personis. 2. Natura divina est Una, & simul est in tribus personis; ergo hæc est universâlis. R. D. *Ant.* est una numero, & est in tribus personis absque suî multiplicatione in inferioribus C. est una unitate præcisionis, & est in personis cum suî multiplicatione. N. etsi enim dicere possim: Pater est Deus, quia habet naturam divinam, & ob eandem rationem Filius est Deus, & Spiritus S. est Deus; dicere tamen nequeo: & *hi sunt dii*, cùm eadem numero natura sit in tribus personis. 3. Natura divina potest prædicari cum sui multiplicatione in inferioribus de Jove, Neptuno, Apolline &c. de his enim verè dico: Hi sunt dii; ergo. R. D. *Ant.* potest prædicari &c. de diis falsis. C. de veris. *subdist.* verè N. falsò C. 4. Anima rationalis inest multis corporis partibus; ergo hæc saltem respectu partium est Universâle. R. D. *Ant.* Anima inest multis partibus per Unionem tantùm. C. per identitatem. N. Anima enim prædicari de partibus nequit in recto; quandoquidem dicere non possum: *Pes est Anima* &c. Idem dic de corpore Christi in Eucharistia replicato, quod est in multis aris; *Item* de Deo, qui inest omnibus locis, sed non *per identitatem*; *Item* de ligno bipalmari respectu cujusvis palmi, quia illud singulis palmis non inest per identitatem *secundùm se totum intensivè*. *Item* de exercitu respectu multorum militum, ex quibus componitur; quia non inest singulis militibus secundùm totum

tum suum esse, nec de singulis prædicari potest in recto.

ARTICULUS II.

De Universali à parte rei.

217. *Nota.* Universale spectari potest vel materialiter, vel formaliter. *Materialiter seu fundamentaliter* sumptum est natura realis, quæ quidem â parte rei singularis est, ob similitudinem tamen & convenientiam, quam cum aliis naturis habet, formaliter universalis fieri potest. Hoc universale dari à parte rei, dubium esse nequit, cùm nemine cogitante convenientia inter multas naturas, & similitudo reperiatur. Sic ante omnem operam mentis in ratione animalis, viventis, corporis, & substantiæ homo & brutum conveniunt. *Formaliter* sumptum spectari potest vel in concreto vel in abstracto. *In concreto* est natura habens universalitatem. *In abstracto* est ipsa forma, sive universalitas. Hoc ultimum an actualiter detur à parte rei, non eadem omnium est sententia. Igitur, quid hâc in re sentiam, statuam primò; quid alii hâc in materia statuerint, & quàm benè, posteà disquiram.

§. I.

An universale formaliter actualiter detur â parte rei?

218. *Dico* Non datur. Ita *Arist. lib.* 1. *de Anima* c. 1. his verbis: Τὸ δὲ ζῶον τὸ καθόλου ἤτοι οὐδέν ἐστιν, ἢ ὕστερον. *Animal autem universale, aut nihil est, aut posterius*, scilicet ani-

mâ. Ita *Averroës* 1. *de anima. com. 8. Intellectus facit universalitatem in rebus.* Ita *D. Thomas* 1. p. q. 85. a. 1. & 7. *Metaphys. lect* 13. *Intentio universalitatis est ab intellectu. Ratio est:* ad universale formaliter tale juxta n. 215. requiritur, ut sit communicabile pluribus inferioribus, & ut nullam involvat individuationem; sive ut sit unum unitate præcisionis, & simul multa in eadem ratione, in qua unum est, etsi diverso respectu, scilicet unum in statu abstractionis, multa verò in statu conjunctionis, in quo secundùm omnia prædicata sua est in singularibus. Sed nihil ejusmodi datur à parte rei; quidquid enim extra intellectum humanum existit, est ultimò determinatum ad singulare, sive est hoc vel illud ens, productum per actionem physicam, quæ semper terminatur ad aliquid singulare; ergo à parte rei non datur universale formaliter tale.

219. *Obj.* 1. In Petro & Paulo natura humana est una nemine cogitante; ergo à parte rei datur natura formaliter universalis. R. 1. N. *Ant.* non est una, sed sunt duæ naturæ in Petro & Paulo ante operam mentis; cùm differentiis individuantibus sint identificatæ. R. 2. D. *Ant.* est una natura unitate similitudinis & fundamentali. C. Unitate præcisionis. N. *Si ais.* Petrus & Paulus ante operam mentis non habent naturas diversas; ergo habent unam naturam. R. D. *Ant.* Non habent diversas naturas, i. e. non habent naturas distinctas. N. Non habent

natu-

naturas diversas, i. e. dissimiles. C. Unitas autem similitudinis non est unitas sufficiens ad universale, cùm non tollat distinctionem inter similia. Ad universale autem requiritur talis unitas, vi cujus natura formaliter universalis caret omnimodâ divisione, & distinctione, aliàs non eadem ipsa natura, quæ inesse aut prædicari potest de Petro, inesse quoque aut prædicari poterit de Paulo.

220. *Obj.* 2. Etsi natura humana v. g. in Petro determinata sit *numericè*, determinata tamen non est *specificè*; ergo stante etiam determinatione numericâ, natura humana in Petro manet adhuc indeterminata ratione speciei, & consequenter eadem natura erit adhuc universalis, & communicabilis pluribus etiam ante operam intellectûs. R. N. *Ant.* quod ut falsum esse intelligas, adverte, determinationem vel divisionem specificam sumi posse tum pro ea, quâ genus dividitur in species, quia in hoc casu membra dividentia sunt species: tum pro ea divisione, quâ species dividitur in individua, quia in posteriori hoc casu divisum species est. Hoc supposito, concedunt quidem AA. divisionem primam pugnare cum unitate specifica; secundam verò unitati specificæ nihil obesse contendunt: id quod nos hìc negamus *ex hâc ratione:* quia natura determinata *numericè*, etiam divisa est *specificè*, cùm differentia numerica & specifica realiter sint idem; ergo determinatâ realiter unâ, determinata quoque ac divisa est altera. Adde, quod unitas generica tollatur

per divisionem in multas species; ergo & unitas specifica tollitur per divisionem in multa individua. *Si quæras:* An Petrus & Paulus sint ejusdem speciei formalis à parte rei, an verò diversæ? R. Cur non etiam quæris, an Archangeli Michaël & Raphaël sint ejusdem coloris vel diversi? Vel an Equus & Elephas habeant alas ejusdem speciei vel diversæ? *Si ais*, in Archangelis non esse colorem, nec in Equo & Elephante esse alam. *Respondeo & ego:* Nec in Petro & Paulo est natura una realiter, unitate indistinctionis & præcisionis; sed sunt in iis duæ naturæ similes. Accedit, Adversarios falsò supponere, à parte rei dari speciem formaliter talem.

221. *Inst.* Divisio sive multiplicitas partium non impedit Unitatem totius; ergo nec divisio numerica, quæ est multiplicitas partium, impedit unitatem universalis, quod est totum. R. D. *Ant.* Multiplicitas partium non impedit unitatem *totius actualis*, quale est homo constans corpore & animâ. C. non impedit unitatem *totius potentialis*, quale est universale N. Hujus ratio ulterior est; quia totum actuale non distinguitur à suis partibus simul sumptis; econtrà totum potentiale à suis partibus potentialibus simul sumptis distinguitur.

222. *Obj.* 3. Objectum visûs datur à parte rei; ergo universale datur à parte rei. *Prob. Conf.* Objectum visûs est universale; ergo si objectum visûs datur à parte rei, etiam universale &c. R. D. *Ant. probat.* est universale formaliter

maliter tale N. fundamentaliter: C. Nimirùm objectum visûs est color, prout existit à parte rei cum individuatione, qui certè non est universale, nisi fundamentaliter duntaxat.

223. *Obj.* 4. Universalia teste *Arist.* sunt priora singularibus; ergo actualiter sunt ante singularia. R. 1. *Aristoteles* contrarium dicit *lib.* 1. *de Anima.* c. 1. vid. n. 218. R. 2. D. *ant.* sunt priora singularibus prioritate physicâ. N. prioritate logicâ, vel subsistendi consequentiâ, h. e. bene inferuntur ex singularibus. C.

Thesin hanc magis adhuc elucidabunt §§. sequentes, in quibus eorum sententias proponemus, & refutabimus, qui universale ante operam intellectûs assumpsisse videntur.

§. II.

An detur Universale Platonicum?

224. *Nota.* De Platone Socratis discipulo, ac postea *Academicorum* parente, viro & natalibus & scientiis clarissimo communis est opinio, ipsum pro universali admisisse Ideas à singularitatibus separatas. Est autem idea, prout hìc accipitur, species quædam, in qua aliquid cognoscitur, vel exemplar, ad quod agens intellectuale producit effectum. Est duplex, in- & externa: *Interna* est cognitio passivè sumpta in mente v. g. artificis existens, modumque rei faciendæ repræsentans. *Externa* est imago, quam artifex extra se positam imitatur. *Internam* nemo Deo negat, nisi qui vult Deum cæco modo agere; hæc autem in Deo nil aliud est,

quàm ipsa Dei essentia, à creaturis suo modo participabilis. Externam nemo Deo affingit, nisi qui Deum ab externis dependere contendit, id quod sonat imperfectionem. Porrò multi ex iis, qui Aristotelem secuti sunt, asseverârunt, Platonem affinxisse Deo ideas externas in concavo lunæ stabulantes, & à singularitatibus præcisas, v.g. *Hominem in communi*, *Ranam in communi*; ad quas ideas respiceret Deus, dum efformat hominem vel ranam in particulari. Negant hoc Platonici, & *S. Augustinus* id à divini Platonis subtilitate longè alienum fuisse arbitratur. Prætereà teste Cicerone & Aristotele, statuit Plato, mentem ab æterno in sydere quodam extitisse, cui pariter ab æterno impressas esse docuit ideas, rerum omnium repræsentativas, ingenerabiles, incorruptibiles, & communicantes se entibus singularibus. *Status quæstionis* est: An ejusmodi ideæ (præscindendo, utrùm Plato eas reverà admiserit, an verò ab Aristotelicis ex invidiosa æmulatione ipsi fuerint affictæ) sint verum & strictè dictum universale?

225. *Dico.* Non sunt. *Ratio prima.* Quia ideæ ejusmodi inesse multis per identitatem, aut prædicari de multis in recto non possunt, cùm sint realiter distinctæ à multis. *Ratio secunda.* Quia præter Deum aliquid æternum, ingenerabile & incorruptibile non datur. *Ratio tertia.* Quidquid datur à parte rei, determinatum & singulare est, ex n. 218; sed ideæ ejusmodi essent à parte rei; ergo.

226. *Obj.*

226. *Obj.* 1. Universale debet separatum esse à singularitatibus, debet æternum esse, & immutabile; sed ideæ platonicæ sunt separatæ à singularitatibus, sunt æternæ, & immutabiles; ergo sunt verum universale. R. D. maj. debet *verè* separatum esse à singularitatibus, debet esse æternum & immutabile quoad essentiam, i. e. quoad connexionem metaphysicam prædicati cum subjecto. C. Debet *fictè* separatum esse à singularitatibus, debet esse æternum & immutabile quoad existentiam. N. Ideæ autem platonicæ *fictè* duntaxat separatæ sunt à singularitatibus, cùm existant à parte rei, & consequenter singulares sint.

227. *Obj.* 2. Dantur effectus, quorum nulla causa particularis assignari potest; v. g. rana, vel aliud insectum ex putri; ergo horum causa erit natura communis, sive universalis Platonica. R. T. *ant.* Quia Physici est, horum causas investigare, qui fortè dicet, effectus ejusmodi procedere à particularibus causis secundis heterogeneis, vel à Deo causarum secundarum defectum supplente. N. *Cons.* Vel potiùs *consequentis suppositum*: cùm hujusmodi argumentis non probetur, naturas communes Platonicas esse universalia strictè talia, i. e. *in essendo* aut *prædicando*, sed tantùm *in causando*, quæ propriè universalia non sunt. Ad hæc si pro causa talium effectuum v. g. ranam in communi assignes; dicam & ego, illam existere in lacu in communi, illam coaxare in vere in communi. &c. Ecce quàm ridiculæ sequelæ ex tuo argumento

to deduci possint! *Si ais*, saltem dantur ideæ communes & universales. R. D. Dantur in mente C. dantur extra intellectum. *Subdist.* Dantur ideæ universales strictè tales N. impropriè universales, v. g. in repræsentando. C.

§. III.

An Detur Universale Nominalium?

228. *Nota. Nominales* non alia esse universalia contendebant, quàm voces & conceptus formales pluribus rebus communes; unde etiam à vocibus seu nominibus *Nominales* posteà audiêrunt. Horum doctrinam ab interitu (id quod commune opinionum à communi aliorum judicio abhorrentium fatum est) vindicavit Guillelmus Ochamus Scoti discipulus. *Conceptus* Universalia naturalia dixêre; quia ex natura sua objecta repræsentant. *Voces* appellaverunt Universalia arbitraria; eoquòd objecta sua non ex natura, sed ex instituto significent.

229. *Dico.* Nec voces, nec conceptus formales sunt verum universale. *Ratio est.* Quia nec voces, nec conceptus formales sunt unum aptum inesse aut prædicari de multis. *Prob. 1. pars.* Si tantùm vox prædicaretur de multis (quòd enim non sit universale *in essendo*, ipsi Patroni hujus sententiæ tenent) ergo hæc v. g. propositio: *Homo est animal*, faceret hunc sensum: *vox hominis est vox animalis*, quod certè ridiculum & manifestè falsum est. *Prob. 2. pars.* Quod non est primò & per se prædicabile, id non est universale metaphysicum aut logicum; sed

sed conceptus non sunt primò & per se prædicabiles; aliàs hæc propositio: *Domus ista spectat ad me*, haberet hunc sensum: *conceptus istius domûs est idem cum conceptu ad me spectantis*, quod nemini non ridiculum videtur. *Confir. S. Anselmus lib. de incarnat. verbi.* c. 2. Dialecticos ab hac *Nominalium* sententia deterret his verbis: *Cautissimè ad sacræ paginæ quæstiones accedant; sunt monendi illi utique nostri temporis Dialectici (imò Dialecticæ hæretici) qui quidem nonnisi flatum vocis putant esse universales substantias.* Sub finem hæc addit: *Qui enim nondum intelligit, quo modo plures homines in specie sunt unus homo, qualiter in illa secretissima, & altissima natura comprehendet, quo modo plures personæ, quarum singula quæque est perfectus Deus, sint unus Deus?* Accedit authoritas *Arist.* qui *lib. de Interpret.* c. 5. asserit, *rerum quasdam esse universales, quasdam singulares.* Et *Poster.* c. 2. inquit: *Universalia intellectu, singularia sensu cognosci.* Et *lib. 7. Metaphys.* c. 14. &c. Disputans adversùs Platonem, non reprehendit illum, quod senserit res esse universales; sed quod res communes admiserit extra singularia.

230. *Obj.* 1. Conceptus possunt prædicari de pluribus; ergo sunt universale in prædicando. R. *D. ant.* Conceptus *objectivi* possunt prædicari de pluribus. C. Conceptus *formales*, *Subdist.* Possunt prædicari *ùt quod* N. *ùt quo* C. *Si ais*, soli conceptus formales obtinent locum prædicati; ergo hi soli prædicantur *ùt quod.* R. *D. ant.* Obtinent locum prædicati *formalis* C.

præ-

prædicati *objectivi*. N. *Si instes*. Bene dico: Hic conceptus est conceptus; *item* hæc vox est vox; ergo conceptus & voces prædicantur *ùt quod*. R. D. *Cons*. Conceptus & voces formaliter sumptæ prædicantur *ùt quod* N. materialiter sumptæ. C. *Si urgeas*. Teste *Arist. in Categoriis*. c. *de substantia*. Species & genera substantiarum non sunt substantiæ. *Infers*: ergo erunt conceptus. *Subsumis*. Sed species & genera substantiarum sunt universalia; ergo conceptus sunt universalia. R. Explico *Aristotelem*. Species & genera substantiarum non sunt substantiæ *primæ* C. *secundæ* N. substantiæ *primæ* sunt singulares, quia hæ omnibus aliis subsistant tanquam primum fundamentum. Substantiæ *secundæ* sunt universales, quia non substant aliis omnibus substantiis, v. g. singularibus, *vid. Dialect. P. Du Trieu*. a. 1. *de substantia*. Distinguitur tamen substantia secunda ab accidentibus, cùm accidentia sint in subjecto inhæsionis: substantiæ autem secundæ insunt primis essentialiter. *Vid. P. Du Trieu. loc. cit.*

231. *Obj*. 2. Solæ voces prædicantur de pluribus univocè & divisim; ergo hæ erunt universale. *Prob. ant*. Solæ voces habent sensum; ergo solæ voces prædicantur univocè, h. e. in eodem sensu. Deinde solæ voces habent singulare & plurale; ergo hæ solæ prædicantur divisim, i. e. de singulis in singulari, & de pluribus in plurali. R. D. 1. *partem ant*. Solæ voces habent sensum objectivum N. habent sensum formalem. C. D. *etiam* 2. *partem*. Solæ

vo-

voces habent singulare & plurale grammaticale C. objectivum. N.

232. *Observa I.* Non negatur conceptus & voces esse universale *in significando* aut *repræsentando*, quod per se singulare esse potest; sed negatur ea esse universalia strictè talia *in essendo* & *prædicando*. II. Sicut ab aliis rebus singularibus abstrahi potest universale, ita à multis conceptibus aut vocibus præscindi potest ratio communis, quæ verè sit universalis. Verùm hæc non est *Nominalium* sententia, sed Peripateticorum, ùt videre est apud *Conimbricenses in Præfat. Porphyrii* q. 1. a. 2.

§. IV.

An detur universale Fonsecæ & Cajetani?

233. *Nota* 1. Triplicem naturæ statum admisit *Fonseca*, nimirùm statum essentiæ sive possibilitatis, statum contractionis sive existentiæ, & statum abstractionis sive objectivum. In *statu essentiæ* voluit naturam esse priorem suis individuis, & indifferentem, ut contrahatur ad hoc vel illud individuum, & pro hoc statu ante omnem intellectum naturam voluit esse verè universalem. Hanc genuinam Fonsecæ fuisse sententiam multi tum in impressis, tum in manuscriptis tradunt, contra quos Fonsecam defendit *P. Aler. Tract.* 1. *Disp.* 2. *c.* 1. §. 3. *subsect.* 4. ubi, hunc statum etiam secundùm *Fonsecam* extra intellectum non dari, ex ipsis Fonsecæ verbis probat & deducit. In *statu contractionis* docuit naturam universalitatem suam rursùs Amittere

tere, eoquòd ad differentiam individualem contrahatur. In *ſtatu abſtractionis* naturam denuò fieri univerſalem per intellectum tradidit, cujus ope abſtrahitur à ſingularitatibus. Statum hunc tertium defendam infrà. *Status igitur quæſtionis* hìc tantùm eſt de ſtatu poſſibilitatis, utrùm pro hoc ſtatu natura ſit verè univerſalis etiam extra intellectum?

234. *Nota* 2. Cardinalis Cajetanus unitatem quandam negativam, ipſi rei extra intellectum inexiſtentem, ad univerſale ſufficere dictitabat. Negativam hanc unitatem docuit conſiſtere in hoc: quod natura Petri v. g. ope diſtinctionis mediæ Scotiſticæ à ſingularibus diſtincta, nullam habeat repugnantiam, ut ſit in Paulo vel Joanne: quòd autem Paulo vel Joanni ineſſe actu non poſſit, Petreitatem in cauſa eſſe, cui actu eſt affixa.

235. *Dico* 1. Natura in ſtatu poſſibilitatis extra intellectum poſita non eſt univerſale. *Ratio eſt primò.* Quia nulla natura extra intellectum indifferens eſt, ut ſit in hoc vel illo individuo, cùm natura poſſibilis eadem omninò ſit, quæ eſt exiſtens; ſed exiſtens indifferens non eſt; ergo nec poſſibilis indifferens erit. Deinde natura poſſibilis v. g. Petri identificatur cum Petri ſingularitate poſſibili; ergo indifferens eſſe nequit, ut ſit in Petro vel Paulo; aliàs vel ſingularitas Petri erit realiter diſtincta ab ejus natura, vel certè Petrus poſſet eſſe alius à ſe ipſo, cùm poſſet eſſe Paulus, vel alius quicunque. *Ratio eſt ſecundò.* Talis natura nequit actu

actu esse in multis per veram identitatem, & cum vera sui multiplicatione; eoquòd *disjunctivè* duntaxat in hoc vel illo individuo sit; hoc enim in sententia hac nisi admittatur, natura divina maximè singularis âb universali excludi non poterit.

236. *Obj.* Natura v. g. Sempronii in statu possibilitatis poterat non contrahi ad Sempronium; ergo erat indifferens, ut inesset sempronio, vel alteri. R. D. *Ant.* poterat non contrahi, h. e. poterat relinqui in statu possibilitatis, & non produci. C. h. e. poterat etiam contrahi ad Titium, vel Deus ex Sempronio facere poterat Titium, aut illum huic identificare. N. *Si opponas.* Natura Sempronii in statu possibilitatis nondum est contracta ad Sempronium; ergo adhuc indifferens est. R. D. *Ant.* nondum est contracta ad Sempronium possibilem. N. Ad actu existentem. C. *Si instes.* Natura Sempronii in statu possibilitatis est natura humana; sed hæc realiter inest multis; ergo natura Sempronii potest inesse multis; ergo erit verè Universalis. R. D. *maj.* est natura humana cum individuatione, i. e. est *hæc* natura humana. C. Sine individuatione. N. D. *etiam min.* Natura præcisa âb individuatione inest multis. C. contracta ad individuationes. N. Ex his quoque advertes allatum syllogismum esse vitiosum.

237. *Dico* 2. Nec datur natura negativè una à parte rei, & consequenter Universale Cajetani nullum est. *Probatur.* Natura Petri v. g. non potest non dicere repugnantiam, ut sit in Paulo; ergo natura negativè una non da-

tur. *Prob. ant.* Petreitas non potest non dicere repugnantiam, ut sit in Paulo; ergo etiam natura Petri. *Prob. cons.* Natura Petri & Petreitas à parte rei non distinguuntur; ergo sicut Petreitas non potest non dicere repugnantiam, ut sit in Paulo, ita & natura. Quæ objici hìc possunt, facilè solves ex §. 1. *hujus art.* & ex §. 5. immediatè subsequente.

§. V.

An Detur Universale Scotistarum & Respectivistarum?

238. *Nota.* 1. *Scotistæ* in doctrina de universali non sunt consentientes. Licet enim, principiis suis de distinctione formali ex natura rei innixi, in hoc conveniant, quod doceant universale consistere in natura communi, singularibus quidem realiter identificatâ, at simul formaliter ex natura rei ab hæcceitatibus distincta; Si tamen ex iis postules, per quid natura communis sit, aut universalis? *Scotistas* in *Scotistas* arma vertere intelliges. Alii dicent, naturam esse communem *per inexistentiam*, ita, ut una eadémque natura realiter reperiatur in omnibus, v. g. eadem natura humana in omnibus hominibus. Alii respondebunt naturam esse Universalem *per unitatem privativam*, quatenus natura per adventum differentiarum individualium & specificarum privatur aliquâ unitate positivâ, quam ex se deberet & posset habere. Hoc sic explicant: Natura humana v. g. per Pauleitatem & Petreitatem redditur quidem

dem multiplex, remanet tamen una privativè, quia privatur unitate sibi debitâ. Alii asserent naturam esse universalem *per unitatem indifferentiæ*, quatenùs natura humana v. g. non magis determinata est ad Petreitatem, quàm ad Pauleitatem, vel aliud quodvis individuum. *Vid. P. Fr. Sebast. Dupasquier. Disp. 3. Logicæ q. 3. Concluſ. 2. & P. Joannem Bapt. de Bened. Tom. 1. lib. 2. Cap. 3. & 4.*

239. *Nota 2. Respectivistæ* contendunt universale verè & adæquatè tale stare in pluribus individuis similibus. Sic enim arguunt: talia similia sunt multa, ùt patet. Deinde sunt quid unum, etiam ante operam mentis, quia habent unitatem convenientiæ & similitudinis; ergo sunt universale, & quidem extra intellectum.

240. *Dico 1.* Non datur *universale Scotisticum. Ratio communis est*, quia falso nititur fundamento, nimirùm distinctione mediâ, quam non dari, n. 173. probatum est. Præterea contra allatas n. 238. Sententias pugnant sequentes rationes. 1. Si natura v. g. humana esset universalis per inexistentiam, vel per unitatem formalem positivam, ùt Dupasquier refert, ita, ut una eademque natura esset in omnibus hominibus, ergo Petrus, Paulus, Judas &c. quoad naturam essent identificati; sed hoc dici nequit; ergo. *Prob min.* Aliàs eadem natura existere simul posset in cælo, & in orco, posset simul mori & renasci saltem in diversis hominibus &c. *Item* in creatis foret

mysterium longè admirabilius mysterio Trinitatis; in Trinitate enim una natura est in tribus Personis; verùm una natura humana esset in individuis infinitis. *Nec juvat dicere*, quod in Trinitate una natura singularis sit in tribus Personis; econtrà in creatis natura sit in multis formaliter duntaxat una, non autem *numericè* aut *individualiter*. Nam *contra est*; sicut Paternitas, filiatio non multiplicant naturam divinam, sed solas Personas, quæ per relationes ejusmodi constituuntur; ita nec Petreitas & Pauleitas multiplicant naturam humanam, cùm eam non constituant, sed constituant tantùm individua: quod autem non est constitutivum, illud nec est distinctivum. 2. *Unitas privativa* superiùs allata videtur omninò ficta. Sicut enim cæcus non benè diceretur *videns privativè*; ita nec natura in singularibus unitate suâ privata benè denominatur *una privativè*. Deinde unitas illa, quâ natura privatur, vel esset naturæ essentialis, vel ejus proprietas? sed nec essentialia, nec proprietates separabilia sunt realiter à natura. Denique unde solidè probatur, quod naturæ debeatur alia Unitas, ac ea, quam habet in singularibus? Ad refutandam *Unitatem indifferentiæ, vide dicta de natura in statu possibilitatis* n. 235. *& de universali Cajetani.* n. 237.

241. *Obj.* 1. Natura modò in Petro & Paulo existens habet unam eandemque definitionem; ergo in Petro & Paulo erit actualiter formaliter una eadémque natura. R. D. ant. Natu-

Natura *abstracta*, & *quæ* est in Petro & Paulo, habet unam definitionem *præcisivam*. C. Natura *contracta*, & *ùt* est in Petro & Paulo, habet unam definitionem. N. Si enim Petrus definiatur adæquatè, ùt est à parte rei, non sufficit dicere: *Est animal rationale*; sed dicendum foret: *Petrus est hoc animal rationale. Si ais.* Natura humana habet saltem unam definibilitatem à parte rei; ergo ratione hujus una erit, & universalis. R. D. *Ant.* Habet unam definibilitatem fundamentalem, fundamentaliter tantùm distinctam à singularibus. C. habet unam definibilitatem actualem, formaliter ex natura rei distinctam â definibilitate singularitatum. N.

242. *Obj.* 2. Petrus & Paulus magis conveniunt nemine cogitante, quàm Petrus & Melampus; ergo erunt unum unitate universali. R. D. *Ant.* Magis conveniunt unitate similitudinis. C. Unitate identitatis. N. h. e. Petrus & Paulus conveniunt in pluribus prædicatis essentialibus, & operationibus, quàm Petrus & Melampus. Petrus enim & Melampus sunt differentes inter se; Petrus verò & Paulus sunt tantùm distincti realiter. Hoc ipso autem, quod etiam distincti duntaxat sint, inter eos non est identitas, adeóque nec unitas universalis. *Si reponas.* Natura humana nemine cogitante est divisa à Petreitate, Pauleitate & cæteris individuationibus, sicut est divisa à natura equina, leonina &c. ergo. *Prob. ant.* Natura humana non includit Petreitatem &

Pauleitatem; aliàs omnes homines essent Petri & Pauli; ergo. R. D. *Ant. probat.* Non includit Petreitatem &c. realiter & identicè. N. formaliter & in conceptu. C. Subjunctam verò antecedentis probationem nego. *Probas autem sic.* Quidquid includit natura, convenit omnibus & singulis individuis; ergo si includat Petreitatem & Pauleitatem, omnes homines erunt Petri & Pauli. R. 1. Hoc argumento jugulatur ipsum universale scotisticum; sic enim ex eodem antecedente infero: ergo si natura includit realiter universalitatem, hæc conveniet omnibus individuis, & tot erunt naturæ universales, quot erunt individua. R. 2. D. *Ant.* Quidquid natura includit in suo conceptu essentiali, convenit omnibus individuis, C. quidquid includit tantùm realiter. N.

243. Pro solvendis objectionibus *Observa* adhuc I. à parte rei non datur genus, species, differentia *formaliter*, sed solùm *fundamentaliter*. Hinc canis & homo non differunt realiter specie logicâ formali, sed fundamentali duntaxat, & physicâ. II. Petrus & Paulus habent distinctas essentialiter definitiones adæquatas, h. e., illis realiter sumptis commensuratas; licèt non habeant distinctas essentialiter definitiones inadæquatas, illis objectivè sumptis commensuratas. III. Falsum est, illa esse unum unitate universali, quæ non differunt; cùm ista aliam non habeant unitatem, quàm unitatem similitudinis; ad universale autem requiritur unitas identitatis & indistinctionis. IV. Non

sequi-

sequitur: Duo quanta indivisa, i. e. unita, sunt unum quantum; ergo duæ naturæ indivisæ sunt una natura. Nam *disparitas est*: quia duo quanta unita habent unam tantùm indivisionem, i. e. Unam negationem separationis. Econtrà duæ naturæ habent duas indivisiones, cum sint bis unum; hinc etiam dicuntur plures.

244. *Dico* 2. Universale *Respectivistarum* non est verum universale. *Ratio est* 1. Quia non est verè unum excludens omnem pluralitatem numericam; quandoquidem similitudo essentialiter dicit multa, cùm nihil sibi ipsi simile esse possit. *Nec juvat dicere*, similitudinem excludere pluralitatem numericam in ratione similitudinis, cùm una duntaxat sit similitudo. Nam etiam dissimilitudo non dicit pluralitatem in ratione dissimilitudinis, sed tantùm in ratione dissimilium; nec tamen dissimilitudo est unitas sufficiens ad universale. Requiritur proinde ad universale talis unitas, cujus conceptus formaliter non includit pluralitatem, idquod unitati similitudinis non convenit. *Ratio est* 2. Hoc universale vel distinguitur âb universali fundamentali, quod communiter admittitur, vel non distinguitur? Si distinguitur, assignent Respectivistæ in quo disconveniat. Si verò non distinguitur; ergo non est propriè universale, sed potiùs fundamentum universalis formaliter talis.

245. *Obj.* Petrus & Paulus sunt similes in natura; ergo habent eandem naturam. R. N. *Ant.* & *Conf.* *Antecedens* quidem, quia propriè

priè non sunt similes in *natura*, sed in *naturis*. *Cons.* autem nego, quia potiùs sequitur hoc: ergo habent distinctas naturas, ex ratione 1. n. 244. data. Hinc Theologi quoque negant Personas Ss. Trinitatis esse propriè similes in natura; quia habent eandem naturam. *Si ais*, similitudo juxta Philosophum fundatur in unitate; Sic enim inquit *Arist. 5. Metaphys*, *Similia verò, quorum qualitas est una*; ergo quæ similia sunt, unum sunt. Rx. D. *Ant.* fundatur in unitate fundamentali C. in unitate formali & indistinctionis. N. Tò *Una* in textu Aristotelico non indicat indivisionem qualitatis à parte rei, sed idem significat ac *talis*, *qualis*; ita, ut sensus sit: Similia sunt, quorum unius qualitas *talis* est, *qualis* est alterius: sicut dum dicit, *Æqualia sunt, quorum quantitas una est*, sensus est iste: æqualia sunt, quorum unius quantitas *tanta* est, *quanta* est alterius. *Si urgeas:* Talis est unitas qualitatis inter similia, qualis est unitas substantiæ inter identificata; Rx. N. *Probas. Arist.* sic ait: *Eadem sunt, quorum una est substantia; Similia, quorum qualitas una*; ergo juxtà *Aristotelem* eodem modo differendum est de unitate identificatorum & similium. Rx. N. *Cons* identitas enim intercedere nequit inter distincta; econtrà similitudo non potest non intercedere nisi inter distincta; igitur *Aristoteles* intelligi pariformiter nequit de unitate identificatorum, & similium. *Si dicas denique:* Similitudo saltem nequit fundari in unitate fundamentali, aliàs fundaretur

in

in se ipsa. R. D. *Assert.* Nequit fundari in unitate fundamentali, quæ sit ratio fundandæ similitudinis. N. Quæ sit ratio fundandæ unitatis ad universale requisitæ. C. Fundamentum proximum similitudinis est hoc, quod natura Petri v. g. talis sit, qualis est natura v. g. Pauli. Fundamentum autem proximum unitatis ad universale requisitæ est ipsa similitudo, sivè convenientia, vel ùt alii dicunt identitas materialis.

ARTICULUS III.

De Causa efficiente universale.

246. *Nota.* Ex iis, quæ hactenus de universali dicta sunt, pronum est conjicere *primò*, quod *causa Materialis*, sive subjectum universalis sit natura realis, non *ùt*, sed *quæ* est à parte rei, & *ùt* objectivè existit in intellectu. *Secundò*, quod *causa formalis*, sive forma universalis sit universalitas, sive Unitas communicabilis, h. e. apta, ut multis insit, & de multis prædicetur. Cùm autem ejusmodi natura una & apta à parte rei non detur, id quod probatum hucusque fuit, causa ejus efficiens hìc venit investiganda: Igitur tria hoc in articulo in quæstionem vocantur. *Primum est:* An universale formaliter tale fiat per intellectum? *Secundum est:* Quomodò fiat? *Tertium est:* An actus faciens universale sit Comparativus, an absolutus?

§. I.

An Universale fiat per Intellectum?

247. *Dico* Universale fit per intellectum. *Ratio est* 1. Datur Universale ex communissima & Antiquorum & RR. Philosophorum sententia; ergo datur vel ante, vel post operam intellectûs. *Subsumo.* Sed non datur ante operam intellectûs, ùt præcedentes §§. evincunt; ergo post eam, & consequenter fit per intellectum. *Ratio est* 2. Fieri universale formaliter, est fieri unum aptum inesse & prædicari de multis; sed hoc fit per intellectum. *Prob. min.* Fieri unum aptum &c. est depurari à differentiis individuantibus, quæ à parte rei determinant rem ad hoc vel illud esse, ita, ut una eademque res pluribus communis esse non possit; sed hoc fit per intellectum, alia enim effectûs hujus causa assignabilis non est; ergo. *Confir. Authoritate.* Verba Aristotelis *Vid.* n. 218. S. Thomas. *Opusc.* 55. *de Universalibus*, ubi hoc Boëtii dictum (*Universale, dum intelligitur, singulare, dum sentitur*) dilaudat, hæc subjungit: *Quia una & eadem natura, quæ singularis erat, & individuatur per materiam in singularibus hominibus, efficitur posteà universalis per actionem intellectûs* &c. *Opusc.* 56. sic habet: *Debes scire, quod homo non dicitur universalis, nisi quia consideratur universaliter.* &c. &c.

248, *Obj.* 1. Universalis subjectum est natura, forma est universalitas; sed neutrum fit

per

per intellectum; ergo. *Prob. min.* Natura ſi pponitur ante intellectum, & univerſalitas non eſt operabilis âb intellectu, cùm non ſit diſtincta a natura; ergo. R. D. *Ant. probat.* Natura *contracta* ſupponitur ante intellectum, & Univerſalitas *abſtractim* ſumpta non eſt operabilis âb intellectu. C. Natura *abſtracta* ſupponitur, & univerſalitas *concretim* ſumpta non eſt operabilis ab intellectu. N. *Si ais:* Objectum motivum intellectûs non fit âb intellectu; ſed univerſale eſt objectum motivum intellectûs; ergo non fit âb intellectu. R. D. *Min.* Univerſale *fundamentaliter* tale eſt objectum motivum, i. e. eſt objectum movens intellectum, ut naturam abſtrahat. C. Univerſale *formaliter* tale eſt objectum motivum N. hoc poſterius eſt objectum terminativum, utpote partus intellectûs abſtrahentis. *Si reponas:* Natura univerſalis habet eſſe ſuum independenter âb intellectu; ergo non fit per intellectum. R. D. *Ant.* Habet eſſe ſuum quoad prædicata primointentionalia independenter âb intellectu C. quoad prædicata ſecundointentionalia. N. *Si urgeas.* Intellectus facit tantùm concretum hoc: *Cognitum*; non autem hoc: *Univerſale*; ergo. R. D. *Ant.* Facit tantùm concretum hoc, *Cognitum*, immediatè, & formaliter. C. Facit tantùm hoc concretum mediatè N. Intellectus mediatè, in actu exercito, & quaſi cauſa efficiens facit etiam hoc concretum: *Univerſale*; hoc ipſo enim quod naturam absque individuationibus cognoſcat, ſeparat ab iis naturam, & ſic ſeparando facit univerſale. 249.

249. *Obj.* 2. Intellectus est potentia singularis; ergo nequit facere universale. R. D. *Ant.* Est potentia singularis tam *formaliter*, *& in essendo*, quàm *virtualiter*, *& in repræsentando*, N. Est singularis *formaliter*, *& in essendo* duntaxat. C. *Inst.* 1. Etiam idea repræsentans naturam universalem singularis est; ergo nequit intellectus per eam facere universale. R. D. *Ant.* Singularis est *entitative* sumpta, & ùt *activè* repræsentat. C. Singularis est *repræsentativè* secundùm esse repræsentatum. N. *Inst.* 2. Intellectus humanus dependet à sensibus, qui non nisi singularia attingunt; ergo & intellectus non nisi singularia attingit. R. D. *Ant.* Dependet à sensibus *inchoativè*, & quoad rem cognoscendam. T. Dependet à sensibus *perfectivè*, & quoad modum cognoscendi. N. *Ant.* & *Cons.* h. e. Intellectus ordinariè nequit inchoare cognitiones suas, nec potest aliud cognoscere (si ipsas cognitiones, essentias & operationes spirituales &c. excipias) nisi quod ei à sensibus proponitur; potest tamen rem per sensus propositam cognoscere vel adæquatè vel inadæquatè. *Inst.* 3. Quidquid intellectus cognoscendo facit, semper est hoc, & hoc, sive singulare; ergo non facit universale. R. D. *Ant.* Quidquid facit *elicitivè*, *immediatè & subjectivè*, est singulare. C. quidquid facit *repræsentativè*, *mediantibus cognitionibus præcisivis*, *& objectivè*, est singulare. *Subdist.* est singulare in ratione objecti, h. e. hoc universale, est hoc objectum hujus cognitionis. C. est singulare in ratione

unius

unius objectivè incommunicabilis. N. *Inst.* 4. Quidquid intellectus facit *effectivè immediate* &c. est singulare; ergo & illud quod facit *repræsentativè* &c. R. N. Conf. *Disp. est.* Id, quod facit modo priori, physicè âb intellectu producitur; effectus autem physicus est singularis, cum omnis actio physica terminetur ad aliquid determinatum. Econtrà quod facit repræsentativè, illud non producitur physicè âb intellectu, sed fit ab eo mediatè & objectivè tantùm.

250. *Obj.* 3. Quod fit per intellectum, est sola cognitio; sed hæc non est universale; ergo quod fit per intellectum, non est universale. R. D. *Maj.* Quod fit per intellectum *effectivè, subjectivè, & per modum repræsentantis*, est sola cognitio. C. Quod fit *objectivè, & per modum repræsentati.* N. *Si ais.* Cognoscibile est ante cognitionem; sed universale est cognoscibile; ergo est ante cognitionem, ergo nequidem objectivè fit per intellectum. R. D. *Maj.* Cognoscibile *speculativè & purè tale* est ante cognitionem. C. Cognoscibile *practicè*, quod in actu exercito formaliter fit per ipsam cognitionem. N. Universale non est quid purè & speculativè tantùm cognoscibile, sed præterea est aliquid factibile per cognitionem, per quam natura âb individuationibus separatur, i. e. sine illis repræsentatur. *Si infers.* Ergo Universale erit in intellectu. *Subsumis.* Sed in intellectu nil est, nisi conceptus; ergo Universale erit conceptus. R. D. *Subsumpt.* In intellectu nil est subjectivè, & ùt repræsentans, nisi con-

conceptus. C. Nil est objectivè, & ùt repræsentatum, nisi conceptus. N.

§. II.

Quomodò Universale fiat per intellectum?

251. *Nota* 1. Neoterici docent, Universale fieri, quandò intellectus subjectum à modis separat, vel à circumstantiis hoc versu comprehensis: *Forma, figura, locus, tempus, stirps, Patria, nomen.* Econtrà naturam vel subjectum reddi singulare tradunt, quando circumstantiæ hæ, & modi superadduntur. Contra hanc sententiam sequentes militant rationes: 1*ma.* Hæ circumstantiæ non sunt ipsa ratio formalis individuationis; cùm nec *forma*, nec *figura*, nec *locus*, naturæ ullius entis identificetur, quandoquidem quilibet horum modorum ab entis essentia separabilis est; reliquæ autem circumstantiæ in pluribus eædem numero reperiuntur; ergo quantumcumque natura âb his circumstantiis abstrahatur, communicabilis tamen pluribus esse non poterit, ab ipsa individuatione nî simul separetur. 2*da.* Natura v. g. humana non inest his circumstantiis identicè, sunt enim accidentia mutabilia & variabilia; ergò nec de iis prædicari in recto potest: quis enim hanc prædicationem etiam in sensu reali veram esse tuebitur? *Hæc forma, hæc figura, hic locus &c. est homo.* Sicut in sensu reali vera est hæc: *Petreitas est homo. Nec obstat* quod vera sit hæc prædicatio: *Sic formatum, sic figu-*

ratum

ratum, sic locatum est homo. Nam præter hoc, quod hæc prædicatio indirecta sit, & impropria, natura humana non prædicatur in recto de figura hac, vel hoc loco; sed de solo subjecto. Hinc dicta prædicatio sic resolvitur: *Subjectum, vel homo habens hanc formam, hanc figuram, hunc locum, est homo*; quæ prædicatio indirecta est, vel certè identica, adeóque non est universalis. Si verò *Cartesiani* allatam prædicationem sic resolvant: *Hoc subjectum, vel hic homo, aut Plato habens hanc figuram &c. est homo*; erit quidem prædicatio universalis; Verùm præter circumstantias assignatas per τὸ *hoc*, & per *Platonem* importatur necessariò aliquid aliud in subjecto, aliàs hæc resolutio diversa non foret à priori. Ex his colliges, hanc Neotericorum methodum formandi universale admitti non posse.

252. *Nota* 2. Peripatetici hunc tradunt universale formandi modum. Præprimis supponunt axioma Philosophis usitatissimum: *Intellectus potest divisa adunare, & adunata dividere.* h. e. potest adunata *identitate reali* dividere seu distinguere intentionaliter, & distincta realiter, intentionaliter adunare, sive per modum unius sibi repræsentare. Quæ enim unione duntaxat physicâ adunantur, ea dividere, & divisa hoc modo adunare aliarum quoque causarum ac potentiarum munus est. Deinde in duas præcipuè classes dispartiuntur. Alteram constituunt *Objectivistæ*, *Formalistæ* conflant alteram. Objectivistæ sic docent: 1. Singularia ejusdem natu-

ræ

ræ emittunt ſpecies ſenſibiles in ſenſus. 2. Senſus his ſpeciebus imbuti formant ideam materialem repræſentantem ſingularia, v. g. oculus viſionem. 3. Objectum mediante ideâ materiali ſpecies corporatas propagat ad phantaſiam. 4. Phantaſia unà cum ſpeciebus iſtis format ideam phantaſticam, ſive phantaſma materiale ſingularium. 5. Quia Phantaſia ſpeciem materialem transmittere ad intellectum, qui ſpiritualis eſt, non poteſt, hinc menti humanæ, in ordine ad cognitionem fabricandam, congenita eſt virtus ſpecies ſpirituales, ſeu virtuales rerum ideas ad ſimilitudinem phantaſmatum à quibus objectivè determinatur, formandi, & hæc virtus vocatur *Intellectus agens*. 6. Virtuales rerum ideas (quæ nondum omninò à ſingularitatibus depuratæ ſunt, quandoquidem nondum ſunt ipſæ formales rerum cognitiones, ſed Virtuales duntaxat, earúmque ſemina) *intellectus agens* imprimit *intellectui patienti*, & habetur ſpecies impreſſa. 7. Intellectus patiens hac ſpecie inſtructus ferri poteſt in naturam vel *directè*, cognoſcendo eam ſecundùm attributa eſſentialia, & à ſingularibus præſcindendo; vel *reflexè*, cùm naturam per alium actum à ſuis inferioribus jam præciſam cognoſcit per actum novum in ordine ad inferiora. Hanc ſeriem & modum formandæ cognitionis admittunt *S. Thom. S. Auguſt. Ariſt.* & alii Authores plurimi & graviſſimi, quorum verba commodiùs aliis in locis adducentur. In ultimo præcipuè numero *Formaliſtas* inter & *Objectiviſtas* oritur diſſenſio: *Formaliſtæ*

listæ enim principiis suis de præcisione formali innixi contendunt universale fieri per cognitionem confusam singularium, vel per talem actum, quo attinguntur multa per modum unius, ita ut fiant *extrinsecè*, & *ex parte modi* tantùm unum, non autem *intrinsecè* & *ex parte objecti*. Econtrà *Objectivistæ* tuentur, Universale fieri per talem actum, qui tantùm cognoscit naturam, ita ut nec *ex parte actûs*, nec *ex parte objecti*, nequidem confusè reluceant singularitates, adeoque natura intrinsecè præcisa dici possit. *Status quæstionis* est de his ultimis actibus, Utrùm fiat universale per actum præscindentem *formaliter*, an per actum præscindentem *objectivè?*

253. *Dico* 1. Universale non fit per actum formaliter præscindentem. *Ratio est.* Universale per talem præcisionem fieri debet, per quam ipsa natura v. g. humana fit una, & apta prædicari de multis; sed per præcisionem formalem non ipsa natura fit una, & apta prædicari de multis; ergo. *Prob. min. Inprimis non fit una*; nam id quod cognoscitur per actum præscindentem formaliter sunt omnia singularia *confusè* saltem cognita; sicut ergo oculus videns clarè colorem, *confusè* autem qualitatem coloris, non facit unum v. g. genus; ita nec intellectus formaliter præscindens. *Si dicant Formalistæ*, naturam fieri unam, non quidem *intrinsecè* & *ex parte objecti*, sed *extrinsecè* & *ex parte modi, sive actûs. Contra sic instо 1* Vel ergò *Formalistæ* per naturam *extrinsecè* & *ex parte modi, sive actûs* unam, intelligunt hoc,

quòd natura præciſa ſit à ſingularitatibus per actum intellectûs, qui eſt objecto extrinſecus; vel aliquid plus per hæc verba denotant? Si primum; ergo ſe nondum diſcernunt ab *Objectiviſtis*, qui idem aſſerunt. Si verò aliquid plus per verba illa ſibi admodùm familiaria & propria intelligant, quæſo quid illud? *Si reponant*, quòd juxta *Formaliſtas* natura ſit *TANTUM extrinſecè* præciſa, id quod objectiviſtæ non profitentur. *Infero:* Si natura eſt *TANTUM extrinſecè* præciſa, ergo præciſio non eſt in ipſa natura; ſi non eſt in ipſa natura, ergo natura non eſt præciſa, & quod conſectaneum eſt, natura non erit Univerſalis; adeóque Formaliſtæ habent actum præſcindentem, ſed nullum præciſum. *Contra ſic inſto II.* Vel ergò unum *ex parte modi, aut ex parte actûs* eſt unum objectum, vel eſt unus actus? Si eſt unus actus; ergo quilibet conceptus multorum militum, erit univerſalis. Si autem eſt unum objectum; ergo datur objectum illius actûs, quod ſit unum; ſed unum non fit, niſi per præciſionem objectivam (id quod ſuperior inſtantia probat) ergo per hanc, & non per formalem fit Univerſale. *Deinde per præciſionem formalem natura non fit apta verè prædicari de multis:* quia admiſſo hoc, quod Univerſale fiat per conceptum individua confusè repræſentantem, hæc propoſitio: *Petrus eſt homo*, haberet hunc ſenſum: *Petrus eſt ſinguli homines*, quæ prædicatio certè falſa eſt.

254. *Obj.* Singularia ſunt fundamentum Uni-

Universalis formaliter talis, & fiunt unum per intellectum; ergo singularia âb actu faciente Universale immediatè attingi debent. R. D. *Conf.* Ergo singularia attingi debent sub eâ ratione, sub qua fiunt unum. C. Sub ratione hæcceitatum, & individuationum. N. Singularia fiunt exercitè unum sub ratione naturæ, & sub hâc ratione etiam âb intellectu immediatè attinguntur; singularia verò sunt tantùm mediatum objectum, & fundamentum, quod non debet attingi adæquatè, i. e. tam secundùm naturam, quàm secundùm singularitatem.

Inst. 1. Illud debet immediatè attingi âb actu faciente Universale, quod non est Universale; ergo debent singularia immediatè attingi. *Prob. ant.* Illud à tali actu immediatè attingi debet, quod est objectum ejus; sed objectum ejus est id, quod non est Universale; ergo. R. D. *Maj. probat* Illud immediatè attingi debet, quod est objectum actûs proximum, & terminativum. C. quod est objectum actûs remotum, & motivum. N. D. *etiam min.* Sed objectum actûs remotum, & motivum non est Universale. C. proximum, & terminativum. N. *Si ais:* Omnis actus præsupponit suum objectum. R. D. Actus speculativus. C. actus practicus. N. Actus faciens Universale, cognoscendo naturam, exercitè præscindit eam à singularitatibus, & sic exercitè præcisa est objectum ejus proximum.

Inst. 2. Cognitio fabricans Universale habet pro objecto proximo convenientiam sin-

gularium cognitam absque differentiis, sed omnis convenientia dicit pluralitatem; ergo objectum proximum dicit adhuc pluralitatem. R. D. *min.* Omnis convenientia, quæ est *per modum similitudinis*, dicit pluralitatem. C. quæ est *per modum identitatis*. N. Universale formaliter est convenientia per modum identitatis, quæ objectivè in intellectu excludit multitudinem Convenientium.

Inst. 3. Quando natura fit Universalis, tunc fit actu divisa, & multiplex; ergo intellectus etiam multa convenientia attingere debet. R. N. *Ant.* Sed fit natura una multiplicabilis: Si deinde hæc actu dividatur, h. e. prædicetur, hoc potiùs pertinet ad actum intellectûs reflexum, & subsequentem, quàm ad actum directum, exercitè facientem Universale.

Inst 4. Natura abstracta sunt ipsa singularia; ergo si intellectus naturam abstractam cognoscat; cognoscit ipsa singularia. R. D. *Ant.* Natura abstracta, ùt est in se physicè, sunt singularia. C. ùt exercitè objectivè existit in intellectu. *Subdist.* Sunt ipsa singularia *adæquatè*. N. *inadæquatè*. C.

255. *Dico* 2. Universale fit per intellectum objectivè præscindentem. *Ratio est:* Quia per præcisionem objectivam natura verè abstrahitur âb individuationibus, & differentiis multiplicantibus. Nam præcisio objectiva, in quantùm *causalis*, & *activa* est, facit, ut natura non habeat singularitates (τὸ non sumendo præcisivè) per quas dividitur; in quantùm verò

verò *passiva* est, objecto, sivè naturæ est intrinseca, adeò ut objectum, vel natura verè dicatur perfectè præcisa: Si verò est perfectè præcisa à differentiis multiplicantibus, tunc est verè una, & intentionaliter indifferens, contrahibilis, & participabilis à suis inferioribus, adeóque apta inesse, & verè prædicari de multis; igitur Universale formaliter tale per hanc præcisionem fieri necesse est. *Confir.* D. Thomas. Opusc. 49. Ubi Platonicorum figmenta refutat, sic habet: *Intellectus abstrahit genus à speciebus, in quantùm intelligit naturam generis, non intelligendo differentias; & similiter abstrahit speciem âb individuis, in quantùm intelligit naturam speciei, non intelligendo principia individuantia.* Ecce, nihil de cognitione confusâ differentiarum, aut principiorum individuantium commemorat. *Vid. etiam Aristotelis* verba *lib.* 5. *Metaphys. cap.* 6. *tex.* 11. *& lib.* 10. *tex.* 1. *apud Sylvest. Maurum Soc. Jesu.*

256. *Obj.* 1. Dicant *objectivistæ*, quid sit natura v. g. humana objectivè præcisa; an sit quid distinctum à cognitione repræsentante, & ab individuis extra intellectum positis, vel non? Si nihil est âb his distinctum, non sunt contra nos. Si autem est quid distinctum, dicant, quid illud? An quoddam idolum mentis? ubi subjectetur? quomodò prædicetur de inferioribus, an *ùt quo*, an *ùt quod?* Ecce, quot nodi solvendi sint objectivistis! ita memini me legere in Formalistæ cujusdam manuscriptis. His quæstionibus ut ex ordine satisfaciam,

℟. 1. Natura humana objectivè præciſa eſt natura humana, præcisè ſecundùm prædicata eſſentialia conſiderata, absque differentiis individuantibus. ℟. 2. Eſt quid diſtinctum à cognitione, & etiam âb individuis. ℟. 3. Illud diſtinctum eſt natura objectivè exiſtens ſine individuationibus. ℟. 4. Hæc natura non eſt idolum mentis; nam habet eſſe fundamentale extra intellectum, & quoad rem exiſtit à parte rei, etſi non quoad modum. ℟. 5. Mediante cognitione ſubjectatur in intellectu. ℟. 6. Prædicatur de inferioribus *ùt quod*; dum enim dico: *Petrus eſt homo*, natura humana eſt illud, quod de Petro prædicatur. Ecce nodos inſolubiles! híne tanti momenti ſint, ut præciſionem objectivam improbabilem reddant, imò & impoſſibilem? Hæc ad quæſita ſufficiant: Si plura quærant Formaliſtæ, plura objectiviſtæ reponent.

257. *Obj.* 2. Cùm intellectus naturam v.g. *Animalis*, abſtrahit âb homine, & bruto, vel abſtrahit duo animalia, vel unum? ℟. Abſtrahit *unum*. *Si reponas:* in homine, & bruto à parte rei ſunt duo animalia; ergo intellectus duo quoque abſtrahere debet. ℟. N. *Conſ.* Intellectus enim ex duobus, imò ex omnibus animalis inferioribus facit practicè unum, dum cognoſcit ſolum principium ſentiendi, differentiis, & inferioribus multiplicantibus non cognitis.

Inſt. 1. Objectum actûs facientis v. g. *genus*, ſunt omnes illius generis ſpecies. & objectum

jectum actûs facientis *speciem*, sunt omnia individua speciei; ergo actus objectivè præscindens non facit Universale. R. 1. Sequeretur, quod omnes species simul sumptæ essent genus, & individua omnia simul sumpta forent species; adeóque nec genus v. g. *Animal*, prædicari de homine posset, cùm homo non sit omnis species: Nec species v. g. *homo*, prædicari posset de Petro; quia Petrus non est omne individuum humanum. Videant proinde *Formalistæ*, an verum habeant Universale, qui confusè saltem cognoscunt species omnes, & individua omnia. R. 2. Quodnam sit objectum proximum, & quodnam remotum actûs facientis Universale, jam dictum est n. 254. *in obj. & inst.*

Inst. 2. Ex parte objecti non datur ratio generica, vel specifica; ergo natura exercitè abstracta nequit esse objectum proximum. R. D. *Ant.* Non datur per intellectum. N. Ante operam intellectûs. *Subdist.* Non datur actualiter formaliter. C. non datur fundamentaliter. N.

258. *Obj.* 2. Natura est intrinsecè, & physicè multiplex; ergo intrinsecè una fieri nequit. R. D. *Cons.* Pro statu reali & physico. C. pro statu intentionali & objectivo. N. *Si ais*: Natura in statu objectivo est natura abstracta; sed hæc nequit esse Universalis; quia nequit inesse multis, nec prædicari potest de multis, cùm sit à multis abstracta; ergo. R. N. *min. ejus rationem* D. Nequit inesse multis, nec prædicari potest de multis, ùt abstracta. C. quæ abstracta.

ſtracta. N. Natura ùt abſtracta, & cum ſtatu eſt natura in ſenſu compoſito abſtractionis à multis, in quo utique ineſſe multis nequit, nec prædicari de multis poteſt; ſed tamen illa natura, quæ abſtracta eſt, apta eſt ſingularibus ineſſe, & de iis prædicari.

Inſt. 1 Natura Petri & Pauli eſſentialiter ſingularis eſt, & conſequenter multa; ergo nequit una fieri, & univerſalis per intellectum. R. D. *Ant.* Singularis eſt phyſicè, & quoad modum exiſtendi phyſicè. C. eſt ſingularis objectivè. N. *Si ais:* Unitas eſt objecto merè extrinſeca; ergo nequit naturam denominare intrinſecè unam. R. N. *Ant. Probas.* Unitas naturæ Univerſalis eſt unitas præciſionis; ſed hæc eſt merè extrinſeca; ergo. R. D. *maj.* Eſt unitas præciſionis *paſſivæ.* C. præciſionis *activæ. Subdiſt. Cauſaliter*, h. e. Cognitio præſcindens eſt quaſi cauſa efficiens, vel potiùs conditio requiſita adhoc, ut unitas tanquam forma metaphyſica reſultet. C. Eſt unitas præciſionis activæ *formaliter*, h. e. cognitio eſt cauſa formalis intrinſeca ad hanc reſultantiam requiſita. N. Ex his advertes, Unitatem Univerſalis eſſe formam metaphyſicam *intrinſecam* objecto intentionaliter exiſtenti, ab *extrinſeco*, ſcilicet à cognitione activè præſcindente.

259. *Obj.* 3. Natura v. g. humana objectivè præciſa eſt natura omnium hominum; ſed hæc nequit eſſe Univerſale, cùm verè prædicari non poſſit de inferioribus; ergo natura objectivè præciſa nequit eſſe Univerſale. R. D. *maj.*

maj. Est natura omnium hominum *extensivè*, & materialiter sumpta. N. Est natura omnium hominum *intensivè*, & formaliter sumpta. C. Natura omnium hominum *intensivè* & formaliter sumpta sunt prædicata essentialia hominis secundùm se absque individuationibus; nihil autem impedit, quo minùs hæc verè prædicari possit de quocunque individuo humano. Verùm natura omnium hominum *extensivè*, & materialiter talis est natura cum omnibus individuationibus, & differentiis, prout existit à parte rei in singularibus, quæ certè nec una, nec communicabilis pluribus est, nisi *fundamentaliter*, & *remotè*. *Si ais.* Nihil est realiter in Petro, quod sit quoque realiter in Paulo; ergo nihil commune Petro & Paulo datur, adeóque nec prædicatur aliquid de Petro, quod prædicari quoque possit de Paulo. R. D. *Cons.* Ergo nihil commune Petro & Paulo datur per intellectum. N. à parte rei. *Subdist.* nihil commune *proximè*, *formaliter*, *actualiter*. C. nihil commune *fundamentaliter* & *remotè*. N. Petrus & Paulus habent à parte rei naturas similes, quæ similitudo præbet intellectui fundamentum ex duabus his naturis faciendi unam, & aptam pluribus communicari. *Alteram illationem etiam* D. Nec prædicatur aliquid contractum, & extensivè tale de Petro, quod etiam prædicari possit de Paulo. C. Nec prædicatur aliquid abstractum, & intensivè tale de Petro, quod etiam prædicari possit de Paulo. N. *Si inferas:* Ergo Petrus & Paulus erunt

idem inter se, quia sunt idem cum aliquo tertio, scilicet cum natura abstracta. R. 1. N. *Illatum.* Rationem accipe ex n. 209. & 22. ubi hoc principium explicatum reperies. R. 2. D. *Illat.* Sunt idem specie. C. sunt idem numero. N. *Si urgeas.* Natura objectivè præcisa est tantùm in intellectu; ergo nequit esse in inferioribus. R. D. *Ant.* Est tantùm in intellectu, ùt est præcisa, & quoad modum. C. quæ est præcisa, & quoad rem. N.

260. *Obj 4.* Et *quæres:* Utrùm natura âb unico individuo præcisa sit Universale? R. *Affirmativè* (Si nimirùm plura individua saltem possibilia sint) quia & talis natura erit una & apta inesse multis. Adde, quod plerúmque intellectus faciens Universale sibi non proponat omnia omninò individua aut omnes omninò species; & tamen natura in tali casu una est, & apta omnibus omninò inesse; ergo à pari. *Si ais:* Eadem natura erit in mente, quæ fuit à parte rei; sed natura, quæ fuit à parte rei, est apta inesse tantùm uni; ergo & ea, quæ est in mente. R. D. *maj.* Eadem natura erit in mente, quæ fuit à parte rei, *eodem modo, & adæquatè.* N. *Diverso modo & inadæquatè.* C. & *Transmissâ minore* pariter D. *Cons.* Dixi *transmissâ min.* quia ex supposito, quod plura individua saltem possibilia sint, natura, quæ unico etiam individuo à parte rei inest, erit *remotè* prædicabilis de pluribus, & *fundamentaliter* Universalis.

§. III.

§. III.

An Universale fiat per actum Comparativum.

261. *Nota.* Circa Universale tres potissimùm actus habere intellectus potest. *Primò.* Prælucentibus sensibus externis cognoscere potest naturas in multis individuis similes. *Secundò.* Abstrahit naturam âb individuationibus. *Tertiò.* Reflectere se potest supra naturam jam præcisam, & illam actu referre ad inferiora, & sic reflexè cognoscere, an apta reverà sit, inesse inferioribus suis, & de iis prædicari. Actus primus, & tertius absque dubio sunt Comparativi, sed non sunt actus facientes Universale. Non *primus*; quia præcedit ipsam Universalis effectionem. Non *tertius*; quia sequitur Universale jam factum. *Status quæstionis* igitur est de *actu secundo*, qui *formaliter & directè* facit Universale: An nimirùm & hic sit comparativus, h. e. an hic ipse actus comparet naturam exercitè abstractam cum inferioribus, sive individuis, & advertat ad naturæ cum illis convenientiam? An verò sit absolutus, h. e. an naturam simpliciter abstrahat à differentiis individuantibus absque comparatione?

262. *Dico.* Non est comparativus. *Ratio est.* Hoc ipso quod intellectus naturam cognoscat, differentiis individuantibus non cognitis, natura absque ulla comparatione est una, simúlque indifferens, & apta inesse multis, & de illis prædicari, etsi actu non prædicetur, id quod ad essentiam Universalis non requiritur.

Confir.

Confir. Si Universale non esset *essentialiter*, & *proximè* prædicabile (nonnulli enim tantùm ad Universale *in prædicando* actum comparativum exigunt) ante comparationem, ergo nunquam foret prædicabile de omnibus; cùm de omnibus singillatim comparatio fieri non possit.

263. *Obj.* 1. Actus formaliter & directè faciens Universale, debet illud facere; prout dicit ordinem ad inferiora; ergo facere illud debet comparativè ad inferiora. R. T. *Ant* N. *Cons.* Ad hoc enim, ut aliquid in se sit respectivum, necesse non est, illud fieri actione respectivâ, ùt in respectivis patet. *Dixi* T. *Ant.* Quia, si per verba illa: *prout dicit ordinem ad inferiora*, contendas, quod actus faciens Universale debeat id actu ad inferiora referre, tunc falsum est ex ratione conclusionis. *Si ais*: Intellectus faciendo Universale non debet cæco modo procedere; ergo debet illud comparare cum suis inferioribus, ne fortè præscindat naturam, quæ pluribus inesse, aut de iis prædicari non possit. R. Huic periculo satis cautum est per actus prævios.

Inst. Universale essentialiter dicit ordinem ad multa; ergo essentialiter involvit comparationem. R. D. *Ant.* Essentialiter dicit ordinem ad multa, i. e. debet essentialiter in se habere aptitudinem, ut possit referri ad multa. C. i. e. debet actu referri. N. *Si reponas.* Nequit dari prædicatum actu in judicio, nî fiat comparatio actualis ad subjectum; ergo nec datur prædicabile actu, nisi fiat comparatio ad sub-

ſubjicibile actu. R. N. *Conſ. Diſp.* eſt: Relatio, quæ inter prædicatum actuale, & ſubjectum intercedit, eſt prædicamentalis, & contingens, quæ requirit terminum actu exiſtentem, ad quem actu referatur. Econtrà prædicabile, ſive aptum eſſe prædicari, eſt relatio tranſcendentalis, & eſſentialis; igitur âb actu, à quo natura habet, quod ſit una & communicabilis (quæ eſt eſſentia Univerſalis) ab eodem etiam habet, quod ſit tranſcendentaliter reſpectiva; prius autem habet à cognitione abſtractiva abſoluta; ergo & poſterius.

264. *Obj.* 2. Superius, ùt ſuperius ſine relatione ad inferiora concipi nequit; ſed Univerſale logicum eſt ſuperius reſpectu inferiorum; ergo. R. 1. Tramiſſo hoc argumento, nondum ſequitur, Univerſale neceſſariò fieri per comparationem; aliud enim omninò eſt, *Univerſale non poſſe concipi*, & aliud, *Univerſale non poſſe fieri*, ùt conſideranti facilè patebit. R. 2. D. *maj.* Superius *reduplicativè* ſumptum concipi nequit &c. C. Superius *ſpecificativè* ſumptum. N. Dum fit Univerſale, opus non eſt, ut concipiatur *quà* ſuperius, ſed ſatis eſt, ut concipiatur ſine differentiis.

265. *Reflexio* ſupra præcedentes §§. hujus articuli. I. Ad Univerſale tanquam conſtitutiva non requiruntur *Unitas* & *multitudo*, ſed tantùm *Unitas*, & *aptitudo* ineſſendi multis. II. Natura Univerſalis eſt una, & multa in ratione naturæ; non autem multa eſt in ratione individuationum, cùm per individuationes

multa

multa fiat in ratione ipsius naturæ individuatæ: Hinc natura abstracta non prædicatur de individuationibus formaliter, & abstractim sumptis, sed de ipsis individuis; dicere enim non possum: *Petreitas in abstracto est homo*; sed, *Petrus vel Petreitas realiter sumpta est homo.* III. Universale est *Totum potentiale*, quod, licèt non contineat plus, quàm singula individua, *quoad rem*, sicut *totum actuale*, cùm natura abstracta non contineat plura prædicata essentialia, quàm singula illius naturæ individua: Continet tamen plus *quoad modum*, cùm alio modo repræsententur prædicata essentialia in natura abstracta, & alio in contracta. In natura abstracta repræsentantur sine individuationibus, & ùt quid multiplicabile, adeóque ùt quid superius, & Universalius individuis. In natura verò contracta eadem quidem prædicata repræsentantur, sed cum differentiis individuantibus, & ùt quid immultiplicabile. IV. Per actum comparativum natura non fit Universalis in ratione Universalis *absoluti*, vel *transcendentaliter respectivi*; sed fit tantùm Universalis in ratione Universalis *prædicamentaliter respectivi.* h. e. Actus comparativus non dat denominationem *actu & formaliter Universalis*, ad quam se merè per accidens habet; sed præcisè dat denominationem *respectivi.* V. Natura abstracta per actum abstrahentem absolutum est *exercitè* Universalis, estque vel genus, vel species, & proximè apta inesse, & prædicari de multis, vel ùt pars, vel

ùt

ùt tota essentia &c. *exercitè.* Quod autem dicatur *signatè* genus, vel species, hoc habet à cognitione comparativa. His ipsis terminis: *Signatè*, & *exercitè*, solvuntur multa alia. v. g. Natura Universalis *positivam* habere unitatem debet, & aptitudinem ad multa; sed talem non habet per actum absolutum, cùm ille naturæ *negativam* duntaxat aptitudinem tribuat, quæ nil aliud est, quàm non repugnantia accipiendi ordinem vel respectum positivum ad inferiora; ergo. *Item.* Universale actu respicit multa, est actu prædicabile; sed hæc denotant cognitionem comparativam; ergo. *Item*, Natura Universalis habere debet negationem differentiarum; sed hanc non habet, nisi per actum comparativum; ergo. &c. VI. Actus faciens Universale nec copulativus, nec disjunctivus esse potest: Actus enim copulativus conjungit, disjunctivus autem sejungit multa; ergo uterque repræsentat multa ùt multa, & in utroque apparet pluralitas; igitur neuter est faciens Universale.

ARTICULUS IV.

De Actuali Prædicatione, & Affectionibus Universalis.

§. I.

An Universale in actuali prædicatione maneat?

266. NOta. Etsi prædicatio, si ùt judicium formaliter tale spectetur, sit actus entita-

entitativè indivisibilis, vi officii tamen, quo fungitur, virtualiter duplex est; Identificativa scilicet, & repræsentativa, *Identificativa* dicitur, quia connectit prædicatum cum subjecto. *Repræsentativa* nuncupatur, quia subjectum & prædicatum per modum duplicis apprehensionis repræsentat. Potest autem variis modis fieri prædicatio. 1. Quando extrema æquè latè patent, ùt in hâc: *Homo est rationalis.* 2. Quando utrúmque extremum Universale quidem est; Unum tamen latiùs patet, quàm alterum, ùt in hâc: *Homo est animal.* 3. Quando subjectum est singulare, prædicatum autem Universale, ùt in hac: *Petrus est homo. Status quæstionis* potissimùm est de tertio hoc prædicandi modo: An nimirùm, quando natura v. g. humana intentionaliter objectivè per apprehensionem præcisa est, sub hoc conceptu: *Homo*, & deinde formetur mentalis hæc prædicatio: *Petrus est homo*; An, inquam, in hac prædicatione maneat eadem vox. *Homo*, Universale? Sive deinde maneat vi hujus prædicationis, id quod P. Aler *Tract.* 1. *Disp.* 2. c. 4. §. 2. cum pluribus aliis defendit: Sive maneat sub apprehensione præcisiva, ita ut apprehensio hæc præscindens, accedente judicio, quo homo de inferioribus prædicatur, semper remaneat, ùt contendit P. *Jac. Channevelle.* Quidquid enim dicatur, thesèos hujus finis obtinebitur, & utilitas, quæ hæc est: ut Philosophus faciliùs distinguat prædicationes scientificas à non scientificis, identicas à non identicis, directas âb indirectis. 267.

267. *Dico.* Universale manet in actuali prædicatione de singulari. *Ità communiter tum VV. tum RR. Ratio est* 1. Terminus nullam includens singularitatem est Universalis; sed prædicatum hujus prædicationis: *Petrus est homo*, est terminus nullam includens singularitatem, ergo est Universalis. *Prob. min.* Si quandam singularitatem includeret, ergo diversitas nulla foret has inter propositiones: *Petrus est homo, Petrus est aliquis homo, Petrus est hic homo, Petrus est Petrus*; in Adversariorum enim sententia τὸ *Homo*, contrahitur ad Petrum, estque terminus æquè singularis, ac Petrus: Sed falsa est sequela, ergo & id, unde sequitur. *Ratio est* 2. Si prædicatum de subjecto singulari contraheret singularitatem, ergo sicut benè infero: *Petrus est animal rationale*; ergo *est admirativus*; Ita etiam benè inferrem: *Petrus est animal*; ergo *est admirativus*; quia in utraque propositione prædicatum esset æquale subjecto: Sed hæc sequela rursùs falsa est; ergo. *Ratio est* 3. Si Universale in prædicatione actuali non manet; ergo nec genus prædicatur de specie, nec species de individuo. *Prob. sequel.* In his prædicationibus: *Homo est animal, Petrus est homo*, vel *Animal* manet genus, & *Homo* species, vel non? Si manet, habetur intentum. Si non manet, ergo nec genus de specie, nec species de individuo prædicabitur, & consequenter Prædicationes omnes forent identicæ, & præcedentes hunc haberent sensum: *Homo est homo, Petrus est Petrus*; quod nugari po-

tiùs est, quàm Philosophari. Si autem in ejusmodi prædicationibus Universale manet, cur non etiam in iis, in quibus Universale, prædicatur de singulari? *Confir.* Ex ipsis suppositionum regulis (quas in tractatu de judicio dabo) colligitur, quòd prædicatio objectum repræsentare aliter possit *ex parte subjecti*, & aliter *ex parte prædicati*; ergo prædicatio ex se non est principium destructivum Universalitatis ex parte prædicati, licèt subjectum sit singulare. Adstipulatur huic sententiæ D. Thomas. *opusc.* 56. ubi sic: *Homo secundùm quod particulare, non prædicatur de Socrate; sed ipse terminus participat naturam humanam absque omni participatione, & particularizatione.* Similia habet. p. 1. q. 77. a. 1. ad 1.

268. *Obj.* 1. In hâc prædicatione: *Petrus est homo*, de Petro prædicatur talis homo, qualis est ipse; sed ipse est homo singularis; ergo, R. D. *maj.* Prædicatur talis homo, qualis est ipse *cum statu*. N. Sine statu, & âb omni statu præscindens. C. De Petro nec prædicatur homo singularis, nec Universalis *cum statu*, sive *ùt talis*; sed tantùm *qui talis*, sive prædicata essentialia naturæ humanæ. Itaque allata propositio habet hunc sensum formalem: *Natura, quæ est cum Petreitate realiter identificata, est natura humana.* Ex resolutione hâc intelliges, quòd singularitas se tantùm teneat *ex parte subjecti*, & quòd prædicatum realiter duntaxat sit singulare, non verò *objectivè*, & *ex parte prædicati*. *Si ais*: quod prædicatur de Petro, debet

bet esse idem cum Petro; sed natura Universalis non est idem cum Petro; ergo. R. D. *maj.* Debet esse idem cum Petro tum quoad rem, tum quoad modum. N. debet esse idem cum Petro saltem quoad rem, etsi non quoad modum. C. Natura autem Universalis est idem cum Petro saltem quoad rem. *Si reponas:* Natura humana etiam quoad rem spectata est Universalis; ergo nec quoad rem est idem cum Petro. R. D. *Ant* Natura spectata quoad rem *simpliciter*, est Universalis. N. Spectata quoad *talem rem*, nempe ùt substantem cognitioni præscindenti est Universalis. C. Per talem rem denotatur status naturæ sub cognitione præscindente, qui non prædicatur de Petro, nec est idem cum illo. *Si urgeas* Natura Universalis quoad rem spectata, est natura omnium hominum; sed hæc non est idem cum Petro; ergo. R. D. *maj.* Est natura omnium hominum *intensivè*. C. *Extensivè* N. Natura omnium hominum *extensivè* sunt naturæ numericè spectatæ, & prout in pluribus sunt à parte rei. *Intensivè* autem sumpta sunt prædicata essentialia naturæ humanæ, nimirùm *animal rationale.*

269. *Obj.* 2. Dum natura prædicatur de singulari, contrahitur ad singulare; ergo non manet Universale. R. D. *Ant.* Contrahitur *ex parte subjecti.* C. *ex parte prædicati.* N. *Si ais:* In hâc prædicatione: *Petrus est homo*, ipsum prædicatum, quod est natura humana, contrahitur ad singulare subjectum; ergo nequit dici

ex parte prædicati manere Universale. R. D. *Ant.* Ipsum prædicatum contrahitur, i. e. intentionaliter unitur singulari. C. ipsum prædicatum contrahitur, i. e. fit singulare, aut singularitatem exprimit. N. Unio hæc intentionalis, quæ fit in prædicatione, tam parùm obest Universalitati prædicati, quàm parùm spiritualitati animæ officit Unio physica cum corpore: Sicut enim propter Unionem cum corpore anima non fit corporea, nec corpus spirituale efficitur, licèt ratione Unionis physicæ constituant totum physicum. Ita pariter propter Unionem intentionalem in hâc prædicatione: *Petrus est homo*, nec *Petrus*, utpote subjectum singulare, fit Universale, nec *Homo*, utpote prædicatum Universale, singulare constituitur, licèt propter unionem intentionalem totum intentionale, quale est prædicatio objectiva, conficiant. *Si postules*, cur hoc? Rationem do hanc: quia nulla unio facit, sed supponit extrema sibi proportionata, saltem nostro modo concipiendi; cùm igitur *natura humana* ante Unionem intentionalem *cum Petro*, âb omni singularitate per apprehensionem prævia præcisa fuerit, etiamnum præcisa manet, & Universalis *ex parte prædicati*, etsi contracta sit *ex parte subjecti* in Petro.

270. *Inst.* Terminus magìs communis cum minùs communi in unum complexum coalescens restringitur; ergo etiam restringitur terminus Universalis cum singulari coalescens in unam prædicationem. R. N. *Cons. Disp.* est qui

quia ratio significata per terminum complexum tribui iis omnibus non potest, quibus tribui potuit ratio magis communis termini per se, & solitarie accepti; ut patet in complexo hoc termino: *Homo litteratus*, qui dici nequit de iis omnibus, de quibus prædicatur *homo*. Econtrà quando terminus minùs communis constituit subjectum, & magis communis prædicatum, ùt fit in hâc prædicatione: *Petrus est animal*, terminus magis communis non ita restringitur ad Petrum, ut prædicari non possit de aliis omnibus, de quibus prædicari potuit per se, & solitarie acceptus. Cujus ratio ulterior est; eoquòd inferre non liceat: *Petrus est animal*; *ergo est visibilis*; quod tamen inferre nihil prohiberet, si τὸ *animal* restringeretur ad Petrum; cùm sic restrictum idem foret, ac *animal rationale*, ex quo superiorem sequelam legitimè infero. *Si ais:* Prædicatum Universale identificatur subjecto singulari; ergo magis restringitur, quàm terminus magis communis cum minùs communi in unum complexum coalescens. R. D. *Ant.* Identificatur subjecto secundùm prædicata, quæ habet *materialiter*, & *in statu physico*. N. secundùm prædicata, quæ habet *formaliter*, & *in statu intentionali*. *Subdist.* ex parte subjecti. C. ex parte Prædicati N. Hoc ut intelligas, *adverte:* Dum dico: *Petrus est homo*, ad conjungenda intentionaliter prædicationis hujus extrema moveor convenientiâ utriusque extremi; suppono enim, me in dictâ prædicatione ponere *assensum me-*

diatum, qui nititur prævio aliquo ratiocinio. Si verò contendas, me ponere assensum immediatum, & moveri me âb identitate prædicati cum subjecto; etiam hoc gratìs admisso, dico, quòd identitas *Petrum* inter & *hominem* ad duo hæc conjungenda moveat me quoad *humanitatem* duntaxat, quæ tum in Petro, tum in homine apprehenditur. Cujus ratio est, quòd ex parte hominis inadæquatè & intentionaliter sumpti, pro natura humana, præter *humanitatem* aliud prædicatum non detur: ex parte verò Petri licèt singularitas sit, identitas tamen cum hâc Petri singularitate formaliter spectata me ad præfatam conjunctionem movere non potest, quandoquidem nulla est identitas inter hujusmodi singularitatem, & hominem objectivè præcisum. Ex his sic infero: *Ergo identitas inter hominem præcisum, & Petrum nullam infert Singularitatem aut pluralitatem EX PARTE IPSIUS PRÆDICATI, seù hominis abstrahentis à singularitate & pluralitate; sed tantùm EX PARTE SUBJECTI sive ipsius Petri, in quo natura Petreitati identificata est.*

271. *Obj.* 3. Lignum constans duobus palmis, si dividatur in duos palmos, non manet bipalmare; ergo nec prædicatum manet Universale, dum per prædicationem quasi dividitur in singularia. R. N. *Conf. Disp.* est 1. quia Universali, quando in actuali prædicatione quasi dividitur, *ex parte prædicati* nihil demitur, sed tantùm *ex parte subjecti* aliquid additur:

tur: Secùs est in altero casu. 2. Lignum est totum actuale constans partibus actu existentibus, quarum una dum aufertur, utique destruitur totum; cùm totum actuale nil aliud sit, quàm suæ partes unitæ, collectivè sumptæ. Econtrà Universale est totum potentiale, quod inferioribus tanquam partibus actualibus non constat, sed absque sui diminutione totum tribuitur singulis.

272. *Obj.* 4. Termino Universali præfigi potest particula *omnis;* sed termino, *Homo*, in hâc prædicatione: *Petrus est homo*, præfigi nequit particula *omnis*; ergo non est Universalis. R. D. *maj.* Termino Universali Universaliter sumpto præfigi potest particula *omnis*. C. Termino Universali non Universaliter sumpto. N. In propositione autem affirmativa prædicatum non sumitur Universaliter, aliàs supponeret *distributivè*, & præfata propositio haberet hunc sensum: *Petrus est & hic, & iste, & ille homo* &c. quod manifestè falsum est. *Si inferas.* ergo τὸ *homo* in dicta propositione sumetur singulariter. R. N. Quia juxta summulistas terminus communis non sumitur singulariter, nisi ei syncategorema *Hic* præfigatur.

273. *Obj.* 5. & quæres. In qua suppositione sumatur τὸ *Homo*, dum dico: *Petrus est homo?* R. Sumitur in suppositione tum *personali*, tum *simplici*; in *Personali* quidem *signatè*, in *simplici* verò *exercitè*. Hoc sic explico: Terminus sumitur *in suppositione personali signatè*, quando prædicatum de termino formaliter af-

firmatum, illi ante operam intellectûs convenit, licèt hoc ipso, quòd ei prædicatum ejusmodi tribuatur, denominatione quâdam logicâ exercitè denominetur. Terminus sumitur *in suppositione personali exercitè*, quando ei signatè quidem & explicitè convenit denominatio logica, sed præter hanc illi pariter conveniat exercitè aliqua denominatio, quæ non est logica. Terminus sumitur *in suppositione simplici signatè*, quando ei signatè & explicitè convenit denominatio logica. Terminus sumitur *in suppositione simplici exercitè*, dum ei exercitè tantùm & implicitè denominatio logica convenit. *Si ais*, Hanc suppositionem ejusque expositionem ignotam esse Summulistis. R. Nota est iis omnibus, qui hanc thesin attingunt; imò tibi ipsi, qui eam impugnas; quod sic evinco: quæro ex te, an in hac prædicatione: *Petrus est homo*, τὸ *homo* sumatur personaliter vel simpliciter? *Si reponas*, quod sumatur personaliter. *Contra sic instо*: τὸ *homo* in dicta prædicatione est affectum denominatione logicâ, cùm significet prædicatum, ergo nequit sumi personaliter. Quid respondes? nunquid ipse distinguis antecedens cum ejus probatione, dicendo: est affectum denominatione logicâ, & significat prædicatum *exercitè*. C. *Signatè*. N. *Infero*: ergo suppositio personalis & simplex signatè & exercitè talis Philosophis ignota non est.

274. *Inst.* 1. Si in prædicatione hac: *Petrus est animal*, τὸ *animal* sumatur simpliciter, ergo bonus erit hic syllogismus: *Animal est genus*, *Petrus*

Petrus est animal; ergo *est genus*; cùm τὸ animal ubique sumatur simpliciter. R. 1. *retorqueo*: ergo etiam bonus erit hic syllogismus: *Genus est Prædicatum, Animal est Genus*; ergo *Animal est prædicatum.* Cùm τὸ genus ubique sumatur simpliciter. R. 2. N. *Sequel.* ejus rationem D. τὸ animal sumitur *ubique simpliciter exercitè*, vel *ubique signatè*. N. Sumitur in majore *simpliciter signatè*, & in minori *simpliciter exercitè*, & *signatè personaliter*. C. & hæc mutatio suppositionis vitiat syllogismum; Secùs foret, si τὸ *Animal* ubique sumeretur simpliciter exercitè, & ubique personaliter signatè, ùt fit in hoc syllogismo bono: *Omne animal est sensitivum, Petrus est animal*; ergo *Petrus est sensitivus. Si ais.* Petrus essentialiter est animal; ergo in datâ propositione τὸ *animal* nequit sumi simpliciter. R. D. *Cons.* Nequit sumi simpliciter *exercitè*. N. *signatè*. C. *Si reponas.* Animal in suppositione simplici, & substans cognitioni præscindenti accidentaliter tantùm convenit Petro; ergo cùm Petrus essentialiter sit animal, illud nequit de eo prædicari in suppositione simplici. R. D. *Ant.* Animal in suppositione simplici *signatè tali*, & *ùt* substans cognitioni præscindenti accidentaliter tantùm convenit Petro. C. Animal in suppositione simplici *exercitè tali*, & sine statu intentionali. N. Vid n. 268.

275. *Inst.* 2. Prædicatum propositionis affirmativæ, personaliter acceptum, sumitur disjunctivè; ergo prædicatum in hâc propositione:

Petrus est animal, non manet Universale; disjunctio enim, in quâ apparet pluralitas, destruit Universalitatem. R. D. *Ant.* Sumitur disjunctivè, i. e. per alium actum debet posse exponi disjunctivè. C. h. e. per hanc ipsam propositionem necessariò repræsentatur disjunctivè. *Subdist.* Necessariò repræsentatur disjunctivè *formaliter*. N. repræsentatur disjunctivè ad summum *æquivalenter* T. *Dico* T. quia strictè loquendo prædicatum commune in ejusmodi prædicatione, de quâ hìc sermo est, vi hujus prædicationis tantùm præcisivè repræsentatur, in quantùm nimirùm præscindit à quatuor speciebus suppositionis personalis, quæ sunt *distributiva*, *collectiva*, *disjunctiva* & *disjuncta*. *Si ais.* Hæc prædicatio: *Petrus est animal* exigit exponi in sensu disjunctivo. R. D. exigit exponi in sensu disjunctivo vi modi tendendi hujus ipsius prædicationis. N. exigit sic exponi ratione materiæ, in quâ fit. C. h. e. modus tendendi ejusmodi prædicationis indifferens est ad quamcunque resolutionem, per quam verum manet, quod Petrus sit animal, sive dein exponatur *singulariter*, sive *disjunctivè*, sive etiam *copulativè*, ex supposito, quòd per impossibile etiam Petrus sit omnis homo. Verùm materia, in qua fit prædicatio, exigit, ut exponatur disjunctivè, cùm aliàs de facto vera non foret, si copulativè exponeretur. Ad hæc dicta prædicatio non exigit exponi disjunctivè vi actûs, per quem fit, sed tantùm vi actûs, per quem exponitur, ùt suprà in prima responsione jam insinuavi. 276.

276. *Obj.* 6. Dum dico: *Petrus est aliquod animal*, vel *Petrus est hoc animal*, τὸ *animal* non manet Universale; ergo nec manet, dum dico: *Petrus est animal*. R. N. *Conf. Disp. est*, quia τὸ *hoc* juxtà omnes summulistas est signum, quòd terminus, cui immediatè præfigitur, repræsentetur ùt singularis. τὸ *aliquod* verò est signum, quòd terminus, cui præfigitur, repræsentetur ùt multiplex disjunctivè. Econtrà subjectum, etsi aliquo syncategoremate afficiatur, nunquam tamen signum est, quòd prædicatum aut disjunctivè, aut singulariter repræsentetur, ùt ex regulis summulisticis satìs manifestè colligitur. *Si ais.* Ideò τὸ *hoc* prædicatum efficit singulare, quia illud immediatè afficit; sed subjectum singulare etiam immediatè afficit prædicatum, saltem in propositione mentali, quæ est indivisibilis; ergo. R. 1. Sequeretur, quòd, sicut in hac prædicatione: *Omnis homo est animal*, subjectum sumitur distributivè, ita etiam sumatur distributivè prædicatum; quod hucusque, quantùm ego quidem scio, nullus Summulistarum docuit. R. 2. D. *min.* Subjectum singulare etiam immediatè afficit prædicatum, & ei conjungitur quoad formalitatem duntaxat illam, quam actus in prædicato repræsentat. C. quoad formalitates, quas actus in prædicato non repræsentat. N. Ex parte prædicati non plus repræsentatur, quàm natura animalis v. g. secundùm se, & prædicata ejus essentialia, hinc etiam subjectum quoad hæc duntaxat prædicata conjungitur cum

præ-

prædicato. Accedit, quòd in omni prædicatione non identica ſubjectum diſtet à prædicato non quidem phyſicè, ſed intentionaliter, quatenùs aliter repræſentatur, quàm prædicatum. *Si inſtes.* Si in prædicatione actuali prædicatum non fiat æquale ſubjecto, ergo prædicationem hanc: *Homo eſt animal*, poſſem convertere ſimpliciter ſic: *Omne animal eſt homo*; quod tamen eſt contra regulas converſionum. ℟. N. *Sequel.* Ut enim propoſitio Univerſalis converti poſſit ſimpliciter, non ſufficit, ut prædicatum ſit Univerſale; ſed debet etiam ſumi *Univerſaliter* & *diſtributivè*, id quod non fit in citata modò propoſitione. Ratio hujus eſt; quia aliàs procederetur à non diſtributo ad diſtributum. *Si urgeas.* In hâc prædicatione: *Aliquod animal eſt Petrus*, τὸ animal non manet Univerſale; ergo nec in hac: *Petrus eſt animal*, cùm hæ propoſitiones ſint convertens, & converſa, in quibus debet ſervari eadem ſuppoſitio. ℟. D. *Ant.* Non manet Univerſale *exercitè*. N. *Signatè*. C. in utraque propoſitione *animal* ſumitur exercitè in ſuppoſitione ſimplici, & manet exercitè Univerſale; *Signatè* verò ſumitur in ſuppoſitione perſonali, & non manet ſignatè Univerſale. *Vide etiam dicta. n. 275. ſub finem. Si poſtules*, quomodò ergo hæc propoſitio: *Petrus eſt animal*, converti debeat? ℟. Quoad veritatem, ſi exponatur data propoſitio, utique convertenda ſic eſt: Ergo aliquod animal eſt Petrus. Si verò ad modum tendendi propoſitionis converſæ attendas,

das, ejusque exigentiam, potiùs sic eam convertas, necesse est: *Vivens sensitivum, est vivens, quod realiter cum Petreitate identificatum est.* Nam conversa juxtà n. 268. habet hunc sensum: *Vivens, quod realiter cum Petreitate identificatum est, est vivens sensitivum.*

277. *Reflexio* supra datam doctrinam. I. In his prædicationibus: *Petrus, & Paulus, & Joannes est animal.* Item *vel Joannes, vel Petrus est animal*, prædicatum manet Universale; quia eodem modo repræsentatur, quo repræsentatur in hâc prædicatione: *Petrus est animal.* II. Prædicatum etiam manet Universale in hac propositione: *Petrus non est animal*; cùm enim sit contradictoria priori, idem prædicatum habere debet. III. Dum dico: *Equus est animal*, prædicatur *formaliter*, i. e. ratione actûs Judicii, genus de specie; & quando dico: *Petrus est homo*, prædicatur *formaliter* species de individuo. Quia actus Judicii eodem modo repræsentat prædicatum in his propositionibus, quo modo per apprehensionem præviam repræsentatum fuit. Propterea tamen non sequitur, quòd de equo prædicetur animal *ùt genus*, & de Petro prædicetur homo *ùt species*, cùm & animal & homo prædicentur sine statu, secundùm suas naturas *essentialiter* acceptas. Nec sequitur equum esse *genus*, aut Petrum esse *speciem*, cùm subjecto propositionis affirmativæ id solùm conveniat de prædicato, quod prædicato *essentialiter*, & *intrinsecè* convenit; non verò id, quod prædicato accidentaliter dun-

duntaxat convenit, & extrinsecè ; Aliàs equus aut Petrus etiam foret prædicatum. IV. Dum affirmo, Petrum esse hominem, natura humana & contracta, & abstracta est, *contracta* ex parte subjecti, *abstracta* ex parte prædicati. *Nec obstat*, quòd actus judicii sit simplex qualitas; Est enim simplex qualitas, fateor; sed prætereà Virtualiter est duplex; cùm sit repræsentatio prædicati, & subjecti, quæ ratione distinguuntur. V. Dum Universale prædicatur actu, manet adhuc prædicabile, non quidem *potentiâ purâ*, & excludente omnem actum, quale est, antequam actu prædicetur; sed *potentiâ mixtâ*, quæ actum aliquem includit. VI. Sensus externi non faciunt Universale; sensus enim, teste *Aristotele*, est singularium, intellectus Universalium. Quando verò idem Philosophus dicit, quòd objectum oculi non sit color hic, vel ille, sed color. Nihil aliud intendit, quàm quòd oculus non necessariò determinetur ad unum colorem, sed quòd omnes respiciat, & quemlibet in singulari. *Vide etiam* n. 212.

§. II.

Quæ sint Affectiones Universalis?

278. *Dico.* Ex ipso Aristotele variæ assignantur Universalis affectiones, secundùm varias considerationes, quibus spectari potest. 1. Si consideretur in ordine ad tempus, est *æternum*, non quidem *quoad existentiam realem*, & positivè; cùm præter Deum nihil positivè

ab

ab æterno existat: Nec *quoad existentiam objectivam* seu *rationis*, quam âb intellectu accipit; sed *ratione essentiæ*, sive prædicatorum essentialium, quæ omni tempore, quo Universale existit, ei conveniunt. Æternitatem hanc *negativam* appellat D. *Thomas*, dicitque Universalia æterna esse, quatenus nulli tempori addicuntur. Hinc de Universalibus complexis in materia necessaria fiunt propositiones æternæ veritatis; nam verbum *est* in materia necessaria à tempore abstrahit. Unde quocunque tempore hanc proferas propositionem: *Homo est animal rationale*, semper est vera; & velideò juxtà *Aristotelem Universalia sunt semper.*

2. Si spectetur in ordine ad locum, est *ubique, & immensum*, tum *negativè*, quatenùs ex se indifferens est, ut in diversis locis per sua singularia existat, & quatenùs hæc v. g. propositio: *Petrus est animal*, semper vera est, quocunque demum in loco proferatur. Tum *positivè*, non quidem *simpliciter*, sic enim immensum esse soli Deo convenit; sed *secundùm quid*, quatenùs in iis locis omnibus est, in quibus ejus singularia existunt.

3. Si sumatur in ordine ad actionem agentis, *ingenerabile* est, & *incorruptibile*. Universale enim *per se* nec generatur, nec corrumpitur; sed *per accidens*, & ratione singularium, quibus inest, non enim nascitur, aut moritur *animal ùt sic*, sed hoc animal v. g. Petrus, Paulus vel Molossus &c.

4. Si

4. Si spectetur in ordine ad potentiam abstrahentem, est *insensibile*; *per se* enim non sentitur, sed *per accidens* tantùm, & ratione singularium. Inde consequitur, Universale nec per externum, nec per internum sensum fieri per se; versantur enim sensus tantùm circa sensibilia per se.

5. Si consideretur in ordine ad cognitionem, *Universalius, juxtà Arist. 1. phys. c. 1. notius est, quàm minùs Universale quoad se:* Quia cognitio totius actualis distinctè haberi nequit, quin partes ejus essentiales cognoscantur; sed Universaliora sunt partes essentiales minùs Universalium; sic *hominis*, qui est terminus minùs Universalis, partes essentiales sunt *substantia, corpus* &c. quæ Universaliora sunt.

6. Si consideretur in ordine ad singularia, *prius est illis*, non quidem *tempore*, & *existentiâ*, sed *naturâ*, & *existendi consequentiâ*, quatenùs benè argumentor à singularibus ad Universalia, v. g. sic: *Petrus est*, ergo *homo est*; non autem viciſſim.

7. Universale vel *materiale*, vel *immateriale* est, respectu inferiorum, in quibus fundatur. Hæc si materialia sint, etiam Universale materiale dicitur, si spiritualia, spirituale nuncupatur.

8. Relativè ad inferiora est *totum potentiale*, quia multa potentiâ complectitur ùt partes: Sic genus continet potentiâ species, species individua, quibus secundùm se totam intensivè sumptam apta est inesse, & de illis prædicari.

279.

279. Ex his inferes & resolves sequentia *paradoxa*. I. *Universalia semper sunt, & nunquam. Semper*, quatenùs nulli tempori addicuntur, & in materia necessaria de illis fiunt propositiones semper veræ. *Nunquam*, quatenùs ùt talia per se non habent existentiam realem positivam, sed fundamentaliter existunt in singularibus. II. *Universalia ubique sunt & nullibi. Ubique* negativè; *nullibi* per se, sed tantùm per accidens ratione Singularium, quæ fiunt in loco. III. *Universale est ubique positivè, & non est ubique positivè. Est*, nimirùm secundùm quid; *non est*, scilicet simpliciter, ùt Deus. IV. *Universale non est homo, nec nunc, sed semper, & ubique.* ùt inquit *Arist. lib. 1. Poster.* Hoc resolvere ex præcedentibus, pronum est. V. *Universalia magis sunt, quàm particularia*; Eoquòd non sint temporalia per se, nec per se generentur aut corrumpantur, sicut singularia. VI. *Universaliora notiora sunt, quàm minùs Universalia*, ùt fert pronuntiatum philosophicum; & tamen illa *difficiliora cognitu sunt, quæ magis Universalia*, quod alterum est Philosophorum pronuntiatum. *Notiora* sunt quoad se juxtà explicationem suprà affectione quintâ datam. *Difficiliora cognitu* sunt quoad nos, & sensus nostros, à quibus cognitio initium ducit; nam minùs Universalia sensibus propinquiora sunt, quàm magis Universalia (intellige præcipuè prima scientiarum principia, quorum cognitio ex terminis habetur) qui enim viâ inventio-

nis cognitionem scientificam acquirit, âb Universalibus, sensui vicinioribus, ad Universaliora progreditur.

DISPUTATIO III.

De Universalibus in specie & Individuo.

280. Dissertatio de Universalibus in specie alio nomine *Isagoge Porphyrii* appellatur âb εἰσ in, & ἀγωγὴ ductio; propterea quòd *Porphyrius* Phœnix, qui unà cum *Origene* Philosophiæ Platonicæ sub *Plotino* seculo Christi tertio operam navavit suam, & ex Judæo Christianus, ac rursùs ex Christiano Judæus factus est, in *Chrysaorii* discipuli sui gratiam, Tractatum de quinque vocibus, seû prædicabilibus conscripserit, quò perfectiùs eum in notitiam de prædicamentis Aristotelicis introduceret. Tractatum hunc *Porphyrii* à malè scriptis perpurgatum magni semper fecerunt Philosophi etiam Christiani, ac propter multiplicem utilitatem suam publicis etiam prælectionibus censuerunt dignissimum. Horum judicio, eruditísque eorum ac doctissimis in *Isagogen Porphyrii* elucubrationibus non possum, si sapere velim, non acquiescere, eisque suffragari. Ne autem, quod intùs judico, verbisque assevero, factis negem, doctrinam

nam Porphyrii ad modernam Philosophiæ scholasticæ methodum in præsenti disputatione proponam, ita tamen, ut omissis iis, quæ catholicæ fidei contraria, ac prorsus absurda in ipsa *Isagoge* consarcinavit, ea solummodò prosequar, quæ utiliter *de numero prædicabilium, eorúmque naturâ in particulari* complexus est. Postremò subjungam ea, quæ ad notitiam individui magis necessaria videbuntur.

ARTICULUS I.

De numero Prædicabilium, eorúmque Univocatione.

281. *Nota.* Prædicabilia & Universalia hìc idem sonant, licèt in se termini magis & minùs communes rectè dicantur; Omne enim Universale prædicabile est, sed non omne prædicabile Universale, ùt patet in voce *Deus*. De his in præsenti articulo duo sunt pertractanda. *Primum est*: Quot sint Universalia, non quidem *numero* distincta; quis enim omnia enarrabit? Sed quot sint Universalia differentia *specie*, eàque non *physicâ*, quâ illa solùm differunt, quæ differentes notabiliter habent naturas; sed *specie logicâ*, quâ differre dicuntur illa, quæ in consideratione logica notabiliter disconveniunt. Ecce *statum quæstionis* in §. primo decidendæ; *Alterum est*: An ratio Universalis prædicabilibus specie logicâ distinctis conveniat *Univocè?* Ecce statum quæstionis in §. altero discutiendæ!

§. I.

Quot sint Universalia Specie logicâ distincta?

282. *Dico 1.* Divisione tantùm immediatâ rectè duo statuuntur Universalia; alterum *essentiale*, *accidentale* alterum. *Ratio est.* Tot sunt Universalia, si immediatè dividantur, quot sunt modi immediati essendi in multis, & de iis prædicandi, logicè diversi; sed duo duntaxat sunt ejusmodi modi; ergo. *Major exinde patet*; quia modus essendi & prædicandi de multis, est ratio formalis constitutiva Universalis; definitur enim, *unum aptum inesse, & prædicari de multis.* Ex ratione autem formali rerum, optimè desumitur ratio illarum distinctiva. *Min. prob.* Quidquid inest, & prædicatur de multis, inest, & prædicatur vel ùt aliquid essentiale, vel ùt aliquid accidentale; ergo duo duntaxat sunt modi immediati essendi in multis, & de iis prædicandi. *Ita Philosophi complures tum in impressis, tum in manuscriptis.*

283. *Dico 2.* Accedente divisione mediatâ Universalia sunt quinque: *Genus, Species, Differentia, Proprium, Accidens. Hæc conclusio ex ipso Aristotele fundamentum habet, & est communissima. Ratio est.* Tot sunt Universalia accedente divisione mediatâ, quot sunt modi essendi, & prædicandi de multis tum mediati, tum immediati, logicè diversi; sed sunt quinque ejusmodi modi; ergo etiam sunt totidem Universalia. *Rationem majoris desume ex n. 282. Prob. min.* Quidquid est in multis, vel inest iis *essentiali-*

tialiter, vel *accidentaliter*. Si *essentialiter*; ergo vel ineſt ùt tota eſſentia, & eſt *Species*; vel ùt pars generalior, & eſt *Genus*; vel ùt pars ſpecialior, & diſtinctiva, & eſt *Differentia*. Si ineſt *accidentaliter*; ergo vel ineſt neceſſariò, & eſt *Proprium*; vel ineſt contingenter, & eſt *Accidens*. Tot etiam ſunt modi prædicandi nimirùm metaphyſici; Quidquid enim prædicatur, vel prædicatur *in quid*, vel *in quale quid*, vel *in quale*. Si prædicetur *in quid*; ergo vel *in quid completè*, & eſt *Species*; vel *in quid incompletè*, & eſt *Genus*; ſi prædicatur *in quale quid*, eſt *Differentia*. Si autem prædicetur *in quale*; ergo vel *in quale neceſſarium*, & eſt *Proprium*; vel *in quale contingenter*, & eſt *Accidens*. Ecce quinque modos ineſſendi & prædicandi! *Dixi ſuprà hanc concluſionem fundari in Ariſtotele*; hic enim Univerſalia definit in ordine ad ineſſe, & prædicari. Tot igitur âb Ariſtotelicis ſtatuenda ſunt Univerſalia ſpecie logicâ diſtincta, quot ſunt modi eſſendi & prædicandi logicè notabiliter diverſi.

284. *Obj. 1.* Sunt duo tantùm inferiora, nempe ſpecies, & individuum; ergo etiam duo duntaxat ſunt Univerſalia. R. D. *Ant.* Sunt duo tantùm inferiora, & his *eodem modo* Univerſale ineſt, aut de iis prædicatur. N. & his *diverſo logicè modo* ineſt, & de iis prædicatur. C. *Si ais:* Omne Univerſale ineſt & prædicatur vel eſſentialiter, vel accidentaliter; ergo etiam ex modo ineſſendi duo tantùm ſunt Univerſalia. R. D. *Ant.* Ineſt vel eſſentialiter,

ter, vel accidentaliter divisione immediatâ C. Divisione mediatâ. N. Cur autem fiat divisio mediata, duplex est ratio. 1. Quia sic clariùs eluceſcit, quo modo inferioribus suis Universalia insint, & de iis prædicentur. 2. Quia aptior est ad finem Logicæ, qui est directio operationum mentis ad scientias comparandas. *Si reponas.* Universalia sunt vel genera, vel species; ergo divisio illa mediata non datur. *Prob. Ant. 1.* Differentia v.g. *Rationale*, prædicatur de hoc vel illo rationali *in quid completè*, eodem modo prædicatur *Proprium* v.g. *Risibile*, de hoc, & illo risibili; ergo *Differentia* & *Proprium* sunt species. R. D. *Conſ. Differentia* & *Proprium* sunt species respectu suorum inferiorum. C. respectu subjectorum v.g. Petri. N. *Prob. idem Ant. 2. Accidens* v.g. Color prædicatur de albedine, & nigredine tanquam specie differentibus *in quid incompletè*; ergo hoc pertinet ad genus. R. D. *Conſ.* Pertinet ad genus respectu inferiorum. C. respectu subjectorum. N. Respectu quorum subjectorum *accidens* sit quintum prædicabile, *vide infra de accidente.*

285. *Obj. 2.* Non datur Universale, quod non sit species; cùm quodlibet Universale constet genere, & differentiâ, adeóque prædicetur ùt tota essentia, id quod speciei convenit; ergo datur unicum tantùm Universale. R. D. *Ant.* Non datur Universale, quod non sit species saltem *accidentaliter*. C. *essentialiter*. N. Quodlibet Universale concipi ùt species potest,

&

& de ſuis inferioribus ùt tota eſſentia prædicari, v.g. Genus de hoc, vel illo genere &c. Verùm quòd ſic concipiatur, ſpeciesque denominetur, hoc illi eſſentiale non eſt, ſicut eſſentiale generi eſt eſſe genus, differentiæ eſſe differentiam &c.

286. *Obj. 3. Ariſtoteles 3. Top.* Omiſsâ ſpecie, quatuor duntaxat prædicabilia adducit; ergo non ſunt quinque. ℟. N. *Conſ.* Nam ex loco citato nil probatur contra hanc theſin. Quandoquidem *Ariſtoteles* ibi non agit de Univerſali incomplexo, ſed de prædicatis propoſitionum philoſophicarum de ſubjecto Univerſali in ordine ad ſcientias, quæ circa Univerſalia verſantur; omiſit igitur ſpeciem, cùm hæc de ſingularibus prædicatur. *Si ais.* Saltem *Proprium*, & *Accidens* non ſunt duo diverſa ſpecie logicâ Univerſalia; ergo erunt quatuor tantùm. *Probat. ant.* Ex eo quod *Proprium phyſicum*, v. g. Calor reſpectu ignis, ſit *materialiter* tantùm convertibile cum igne; & *Proprium metaphyſicum*, v. g. Riſibile reſpectu hominis ſit *eſſentialiter* convertibile cum homine, hæc duo Propria non faciunt duo Univerſalia; ergo nec *Proprium* & *Accidens* conſtituent duo Univerſalia, licet unum prædicetur *in quale neceſſariò*, alterum *in quale contingenter*. ℟. N. *Conſ. Diſp. eſt:* Quia ad Logicam pertinet præcisè modus prædicandi convertibiliter; cùm igitur in hoc citata duo propria non differant, ratio non eſt, cur duo diverſa logicè Univerſalia conſtituant. Quòd

verò aliquid convertatur materialiter, alterum essentialiter, hoc potiùs ad aliam scientiam pertinet, v. g. ad Physicam. Econtrà modus prædicandi *necessariò* & *contingenter* pertinet ad Logicam; modus enim prædicandi *necessariò*, est modus prædicandi de omnibus individuis ejusdem speciei; v. g. *Omnis homo est risibilis.* Modus autem prædicandi *contingenter* non concernit individua omnia, ùt patet in hac prædicatione: *Aliquis homo est literatus.* Quis igitur neget modos hos esse logicè diversos, & diversa constituere Universalia?

287 *Obj. 4.* Sunt decem prædicamenta; ergo decem quoque sunt prædicabilia. R. N. *Conf. Disp est:* Quia prædicamenta sumuntur ex modis essendi physicis, quorum sunt decem, infrà, ubi de prædicamentis agetur, referendi. Econtrà diversitas specifica Universalium desumitur ex diversis logicè modis essendi metaphysicis, quorum sunt quinque tantùm. *vid n. 283. Si ais.* Diversus modus prædicandi, sequitur diversum modum essendi; ergo si decem sint modi essendi, etiam decem erunt modi prædicandi. R. D. *Ant.* Sequitur modum essendi *logicè* diversum C. *Physicè* diversum. N. Nempe modus prædicandi diversus sequitur modum essendi desumptum à diversâ prædicati cum subjecto connexione, quæ secundùm dicta n 283. quintuplex est. *Si reponas.* In quolibet prædicamento est aliquod prædicabile à prædicabilibus in aliis prædicamentis distinctum; ergo sunt decem prædicabilia.

bilia. R. D. *Ant.* Distinctum *materialiter*. C. *formaliter*. N. Prædicabile *materialiter tale* est res ipsa, quæ prædicatur. Prædicabile *formaliter tale* præter rem dicit modum, quo res ipsa prædicatur, qui modus duntaxat quintuplex est. *Si urgeas. Genus supremum* prædicatur de multis genere differentibus; *Genus infimum* de multis specie tantùm differentibus. *Species subalterna* prædicatur de multis specie differentibus, & numero; *Species* verò *infima* prædicatur de multis numero tantùm differentibus; ergo modus prædicandi non tantùm quintuplex est. R. D. *Ant.* Et hi prædicandi modi *accidentaliter* duntaxat differunt. C. *essentialiter* differunt. N. Ratio essentialis, distinguens Genus à specie, est, quòd genus prædicetur *in quid incompletè*; species autem *in quid completè*, & *ùt tota essentia*. Ità pariter differentia *Generica* v. g. *Sensitivum*, & *Specifica* v. g. *rationale* accidentaliter tantùm differunt; cùm utraque prædicetur *in quale quid*, quæ est ratio essentialis differentiæ. Idem dic de Proprio *Generico* & *Specifico*, quæ pariter in ratione essentiali *Proprii* conveniunt, i. e. prædicantur *in quale necessariò*.

288. *Obj.* 5. Dantur prædicationes ad allatos quinque prædicandi modos non reducibiles; ergo. *Prob. ant.* Adducendo varias prædicationes. *Prima est. Petrus est ens, est unum, est aliquid.* R. Hæ prædicationes reducuntur ad genus, cùm ens ejusque attributa genera sint. *Secunda est: Hoc animal est animal;* item

Homo est animal rationale. R. Hæ prædicationes pertinent ad speciem, eoquòd prædicatur in iis tota subjecti essentia. *Tertia est: Animal est homo.* R. Hæc, & similes inordinatæ prædicationes spectant ad accidens; nam logicè animali accidit, esse hominem. Item reducitur ad accidens hæc prædicatio: *Homo est species*, cùm naturæ humanæ âb extrinseco adveniat, quòd denominetur species. Item hæc: *Deus est homo*; licèt enim τὸ *homo* non prædicetur *adjectivè* de Deo, *contingenter* tamen de Deo affirmatur. Si autem dicas: *Christus est homo*, prædicabis speciem, cùm prædicatum explicet unam naturam Christi specificam. *Quarta est: Rationale est animal.* R. Hæc pertinet ad Proprium, si τὸ *rationale adjectivè* & *formaliter* accipiatur; quia licèt animal non sit de essentia rationalis sic accepti, ei tamen necessariò convenit. Idem dic ad hanc propositionem: *Homo est Persona*, in qua prædicatum se habet ùt proprium physicum, eoquòd simpliciter separari possit à natura humana, ùt patet in Christo. Si verò in prima propositione rationale sumatur *realiter* & *substantivè*, erit prædicatio generis; cùm faciat hunc sensum: *Homo est animal. Quinta est: Petrus est individuum.* R. Hæc rursus est prædicatio Proprii. *Sexta est: Christus est Deus.* Item *Petrus est hic homo.* R. Hæ & similes prædicationes huc non spectant, ubi quæritur de modis prædicandi termini communis; in allatis autem propositionibus prædicatum est terminus singularis.

§. II.

§. II.

An Universale ùt sic, formaliter tale, respectu quinque Universalium in specie sit univocum?

289. *Dico.* Est univocum. *Ratio est:* Quia prædicatur de quinque Universalibus secundùm idem nomen, & eandem rationem; de quolibet enim Universali in specie verè dicitur, quod sit *unum aptum inesse, & prædicari de multis, abstrahendo à modo essentiali vel accidentali,* quæ est ratio essentialis Universalis ùt sic. *Confir.* hæc conclusio authoritate plurimorum Doctorum. D. Thomas. 1. p. q. 2. a 7. *in* ⊙. hæc habet: *Dicendum, quòd Universale dupliciter sumi potest, vel pro natura subjecta intentioni, vel pro ipsa intentione Universalitatis. ... Si accipiatur secundo modo, est ens rationis, & univocè prædicatur de quinque Universalibus.* P. Sylvest. Maurus q. 38. Sic ait: *Sicut omnia animalia conveniunt in hoc, quòd sint animal, differunt verò, quòd homo est animal rationale, equus est animal hinnibile; sic omnia prædicabilia.... Conveniunt in hoc, quòd sunt prædicabilia de pluribus, differunt verò per diversos modos prædicandi.* Ita Conimbricenses. q. 7. in Præfat. Porphyrii. a. i. Ita Toletus & alii, quos in doctissimis suis elucubrationibus sequuntur RR.

290. *Obj.* Ex hac conclusione sequeretur, Universale constituere sextum Universale, in quantùm nimirùm prædicatur de quinque Universalibus. ℟. N. Sed Universale sic acceptum redu-

reducitur ad genus. *Si ais.* Genus nequit prædicari de Universali; ergo nec Universale ad genus reduci potest. R. D. *Ant.* Nequit prædicari de Universali *essentialiter.* C. *accidentaliter* & *denominativè.* N. Hæc propositio: *Universale est genus*, est accidentalis; eoquòd quærenti, *quid est Universale ùt sic?* Non rectè respondes: *est genus*; sed deberes dicere: *Universale ùt sic est unum aptum inesse, & prædicari de multis, præscindendo à modo essentiali vel accidentali, quo inest, vel prædicatur.* Verùm hæc propositio: *Genus est Universale*, est essentialis; quia in hâc genus prædicatur de sua specie; sicuti in hâc prædicatione: *Homo est animal.* Hinc etiam quærenti, *Quid est Genus?* aptè respondes, *est Universale.*

291. *Inst.* Si Universale respectu quinque prædicabilium foret genus; ergo genus, quod est primum prædicabile, esset species; sed genus nequit esse species; ergo. R. D. *Sequel.* Genus &c. esset species *sub eadem abstractione*, sub quâ est genus. N. *Sub diversâ abstractione. Subdist.* Genus essentialiter sumptum esset species *denominativè*, & *accidentariò* C. esset species *essentialiter.* N. D. *etiam min.* Genus essentialiter tale nequit esse species essentialiter. C. nequit esse species *accidentariò*, & *denominativè.* N. *Explico.* Dum à genere, specie &c. essentialiter acceptis (h. e. secundùm suas essentias, quas habent sub cognitione faciente genus aut speciem &c.) abstraho Universale, tunc

tunc Universale ùt sic fit *superius* quinque prædicabilibus essentialiter acceptis, & respectu illorum fit *accidentaliter genus*; ipsa autem quinque prædicabilia fiunt *accidentaliter species*. Si verò hoc ipsum Universale ùt sic cum sua cognitione genereizante, sive essentialiter considerans, illud cum reliquis generibus essentialiter talibus misceam, & alia rursùs abstractione rationem generis abstraham, tunc genus ùt sic fit *species accidentaliter*; ipsum verò Universale ùt sic, & reliqua genera partialia fiunt accidentaliter individua logica, & inferiora. Ex his

292. *Collige* I. Idem respectu ejusdem superius esse potest, & inferius; sed sub diverso respectu, & ratione diversarum abstractionum. II. Genus ùt sic definiri quidem non potest per aliud genus ùt sic; definitur tamen per aliud genus particulare, quale est *Universale*. III. Datur genus superius genere generalissimo non quidem in eâdem, sed in linea diversa. Hæc judico sufficere in hac materia ùt plurimùm speculativâ. Plura qui desiderat, consulat *P. Lingen*, *P. Wietrowsky*, *Conimbricenses*. &c.

ARTICULUS II.

De primo Prædicabili, sive Genere.

293. POrphyrius in sua Isagoge triplicem adducit generis acceptionem; capite enim 1. sic habet: *Dicitur genus, & aliquorum homi-*

hominum aggregatio, qui quidem ad unum quippiam & inter se habent respectum. Quâ significatione Heraclidarum dicitur genus, quod quidem ex respectu, qui est âb uno, i. e. Hercule, & multitudine eorum, qui inter se eam habent conjunctionem, quæ âb illo profluxit, sic est nuncupatum, ut âb aliis generibus sit sejunctum. Dicitur & alio modo genus unius cujusque principium, ortus, tam âb eo, qui genuit, quàm à loco, in quo est quispiam ortus; sic enim Orestem quidem à Tantalo, Hylum autem âb Hercule dicimus genus habere: & rursus Pindarum quidem Thebanum genere, Platonem autem Athenienſem dicimus esse..... Alio modo dicitur genus id, sub quo species collocatur. Acceptâ fortasse similitudine à prioribus vocabuli ejus significatis. Nam & principium quoddam eorum, quæ sub sub se habet genus, tale est. Sic ille. De prima & secunda acceptione generis, quæ potiùs ad Oratores Poëtas & Historicos pertinent, hìc quæstio non est, ùt rursus ipse Porphyrius insinuat; sed solùm de tertia, quæ propriè Philosophica est. Porrò genus hoc Philosophicè acceptum rursus triplex est 1. *Prædicamentale*, quod in aliquo prædicamento locum habet. 2. *Transcendentale*, quod omnia prædicamenta transcendit, ùt *Res*, *ens* &c. 3. *Supertranscendentale*, quod admittitur âb iis, qui entia rationis ab omni ente possibili, & negationes à positivis distinctas admittunt; talia sunt *cognoscibile*, *imaginabile* &c. Hìc agetur tantùm de genere prædicamentali, ac proponetur

primò:

primò: Quid sit, & quotuplex. *Secundò*: An salvari possit in unica specie? *Tertio*: Quomodò tum de speciebus, tum de individuis prædicetur?

§. I.

Quid sit Genus, & quotuplex?

294. *Dico 1.* Genus à Porphyr. *Cap 2. in Isag.* benè definitur sic: *Est, quod de pluribus specie differentibus hoc ipso quid est prædicatur.* Hanc definitionem bonam esse *probat ratio duplex*; 1. est, quòd omni & soli generi conveniat; id quod hucusqne nullus adhuc evertit. 2. est, quòd nihil superflui in se complectatur, ùt in explicatione illius infrà ponendâ probabitur. *Confirmant* eam Aristoteles *lib. 1. Top. Cap. 4.* D. Thomas. *Tract. de Universal.* Cap. 1. & Authores passim. Observant quidem Conimbricenses, quòd in data definitione verba hæc: *hoc ipso quid est*, præferenda sint verbis illis: *de pluribus specie differentibus*; eoquòd differentia, quæ definitum à rebus, à quibus magis distat, separat, in definitione accommodata priùs ponenda sit, quàm illa differentia, quæ definitum separat à rebus, à quibus distat minùs. Verùm per hoc bonitati datæ definitionis nihil derogatum volunt; licèt enim genus magis distet à Differentia, Proprio & Accidente (à quibus differt per τὸ *hoc ipso quid est*) quàm à specie (à quâ separatur per τὸ *speeie differentibus*) ipsi tamen Conimbric. citatam definitionem non solùm

ùt

ùt bonam, sed etiam ùt accommodatam tuentur, non quidem *ordine positionis*, sed *ordine intelligentiæ*. Sequitur

295. *Explicatio definitionis Porphyrianæ. Primò. Definitum* est natura generica, vel affecta denominatione generis, v.g. Animal secundùm esse, quod habet in intellectu. *Ratio est:* Quia id definitur, quod abstractum est à speciebus, & aptum est prædicari de illis *ùt quòd*; sed natura generica, sive genus ùt concretum, dicens naturam & genereitatem, abstractum est à speciebus, & aptum est de illis prædicari. ergo. *Vid. P. Aler Tract. 1. Disp. 3. Cap. 1. §. 3. & 4. Secundò. Genus* definitionis est, *quod prædicatur de pluribus*, sive *Universale. Tertiò. Differentia* sunt reliqua subsequentia, nimirùm τὸ *specie differentibus*; per quæ verba differt à specie, quæ prædicatur tantùm de differentibus solo numero. Perindè autem est, sive illa specie differentia sint ipsæ diversæ species. ùt *Equus* & *Homo*, sive contineantur sub diversis speciebus, ùt *Plato* & *Bucephalus*. Ad differentiam præterea, spectant illa verba: *hoc ipso quid est*; per hæc enim verba genus differt à Differentia, Proprio, Accidente, quæ prædicantur in quale. *Si postules*, quid hoc sit, prædicari *hoc ipso quid est?* R. Illud sic prædicatur, quod aptè redditur ad quæstionem, quid sit res? *Si ulteriùs inquiras*, quid ergo ad hanc quæstionem aptè reddatur? R. Illud, quod duo hæc complectitur: ut sit *essentiale rei*, de qua quæritur,

ritur, quid sit? & ut prædicetur *substantivè*, h. e. *per modum substantis*, non autem *adjectivè*, h. e. *per modum adjacentis*. Cape hoc in exemplo: Genus v. g. *Animal* aptè redditur ad quæstionem, quid sit homo, vel Petrus? tum quia dicitur ut aliquid essentiale, cùm ad speciei & individui constitutionem pertineat; tum quia se habet per modum materiæ subsistentis & sustinentis differentiam. Econtrà differentia v. g. *Rationale* non aptè redditur ad quæstionem, quid sit homo, vel Petrus? licèt enim sit aliquid essentiale, prædicatur tamen ùt aliquid adjacens generi v g. *Animali*, & hinc non prædicatur *simpliciter in quid*, sed *in quid cum addito*, sive *in quale quid*. Si denique desideres regulam, quâ dignoscas, quid prædicetur *adjectivè*, & quid *substantivè*, hanc accipe: Si subjectum est concretum, aut saltem minùs connotativum, prædicatum autem sit connotativum, tunc erit *prædicatio in quale*, ùt hæc: *Homo est rationalis*, in quâ τὸ *rationale* saltem fusè est connotativum: Dico *fusè*; quia non omninò accidentaliter dicitur de homine. Si verò prædicatum & subjectum vel æquè concreta, vel abstracta sint, erit prædicatio in quid; ùt si dicam: *homo est animal, album est Coloratum.*

296 *Obj. 1.* In allata definitione generis omissa est particula *incompletè*; ergo bona non est. R. Benè omissa est; hoc ipso enim quod genus prædicetur de differentibus specie, prædicari non potest in quid completè, cùm entia specie

differentia eandem habere essentiam non possint, nisi incompletè; igitur hæc particula in definitione Porphyrii videtur superflua.

297. *Obj. 2.* Ens per accidens definiri nequit; sed genus est ens per accidens, consurgens ex natura, & genereitate; ergo definiri nequit. R. D. *Maj.* Definiri nequit definitione unicâ explicante naturam singularum partium seorsim. C. Explicante naturam totius ex utraque parte consurgentis. N. Deinde allatum axioma intelligendum tantùm est de entibus, quæ fiunt per accidens, i. e. casu, fortuitò, quæ certam & cognitam causam non habent. *Inst. 1.* Si genus definiri possit, ergo per aliud genus, & hoc rursus per aliud & sic in infinitum. R. Si abstractionibus ejusmodi defatigare te velis, per me licet; sed cave, ne cerebro tuo noceas. Consultiùs ageres, si ad *cognoscibile* saltem deveniens acquiesceres, quod describitur quidem, definiri autem strictè non potest. *Inst. 2.* Si genus definitur per aliud genus, ergo definitum ingreditur definitionem. R. N. *Sequel.* Definitur enim genus essentialiter tale per genus accidentaliter tale, *vide etiam dicta* n. 291.

298. *Obj. 3.* Definitio allegata convenit etiam accidenti; ergo non est bona. Prob. *Ant.* Color est accidens; sed definitio allegata convenit colori; ergo. R. D. *Maj.* Color est accidens respectu subjectorum, C. respectu inferiorum specierum. N. de his enim prædicatur in quid. *Si ais.* Pars nequit prædicari

dicari de toto; ergo genus, quod est pars speciei, nequit prædicari de specie, quæ est totum. R. D. *Ant.* Pars physica: C. Pars metaphysica. *Subdist.* in abstracto. C. in concreto. N. Cur autem pars physica de toto prædicari non possit, sicut pars metaphysica, ratio est, quia pars physica realiter inadæquatè à toto distinguitur, non autem metaphysica. Cæterùm, quomodò genus de specie prædicetur, *Vid.* §. 3. *hujus art. Si reponas.* Genus prædicatur etiam de pluribus genere differentibus; item prædicatur de pluribus numero differentibus; quæ non exprimuntur in data definitione; ergo non est bona. R. N. hæc ponenda esse in definitione generis ùt sic: aliàs nec omni, nec soli generi conveniret. Inprimis non conveniret omni; eoquòd non conveniret generi infimo v. g. *Animali*, quod tantùm prædicatur de specie differentibus, v. g. *Equo* & *Homine*, quæ tamen genere unum sunt, cum idem habeant genus. Deinde non conveniret soli, cùm etiam species prædicetur de differentibus numero. *Si urgeas.* Saltem genus non prædicatur *in quid. Probas* ex Arist. qui *cap. de substantia* inquit, substantias secundas sive Universales non significare propriè *quid*, sed *quale.* Idem genus vocat specierum formam; forma autem prædicatur in *quale quid.* R. N. *Assert.* Aristotelem explico cum distinctione: Dicit substantias Universales non significare propriè *quid*, i. e. substantias primas, quas propriè *quid* vocat. C. alio

sensu. N. Deinde genus vocat formam, quæ significatur per modum per se stantis, quod est totum potentiale respectu specierum; non autem vocat formam, quæ significatur per modum adjacentis.

299. *Dico 2.* Genus ùt sic dividitur in *supremum*, quod in linea prædicamentali non habet genus suprà se, ùt *substantia*. Tot igitur sunt genera suprema, quot sunt prædicamenta, nimirùm decem. In *medium* sive *subalternum*, quod suprà & infrà se genus habet, ùt *corpus*, *vivens* in linea prædicamentali substantiæ. In *infimum*, quod infrà se genus nullum habet, ùt *Animal* in eâdem linea substantiæ. De his *observa* 1. *Supremum* & *medium* vocantur *genera remota*, nimirùm respectu speciei infimæ. *Infimum* autem *genus proximum* nuncupatur. 2. *Superius* illud dicitur, quod latiùs & ad plura inferiora se extendit. *Inferiora* autem (quæ etiam *partes subjectivæ* dicuntur) respectu generis sunt species, & respectu speciei individua.

§. II.

An Genus salvari possit in Unica specie?

Status quæstionis est de genere formaliter tali, an nimirùm in casu, quo unica tantùm species, v. g. *homo*, esset possibilis, alia verò animalia forent impossibilia, an, inquam, in hoc casu genus, v. g. *Animal*, salvaretur, i. e. maneret genus, eique definitio in §. præcedente explicata conveniret?

300. *Dico.* Non ſalvatur. Ita Ariſtoteles. 4. Top. cap. 3. his verbis. *Quoniam inſpiciendum autem omnis generis plures ſpecies; inſpiciendum, ſi non contingit alteram ſpeciem eſſe dicti generis. Nam ſi non eſt, manifeſtum, quoniam non erit genus omninò, quod dictum eſt.* Ita etiam D. Thomas 1. p. q. 3. a. 7. & Alii. *Ratio eſt:* Quia unicâ tantùm ſpecie poſſibili genus prædicari non poſſet de pluribus ſpecie differentibus, in quo tamen eſſentia generis ſita eſt, ut ex definitione illius patet. Accedit, quod genus, utpote ſuperius latiùs extendi debeat, quàm ſpecies; ſed non extenderetur latiùs, ſi unica tantùm ſpecies foret poſſibilis; ergo.

301. *Obj. 1.* Unicâ tantùm ſpecie poſſibili genus prædicaretur adhuc in quid incompletè; ergo adhuc ſalvaretur ratio generis. R. D. *Ant.* Prædicaretur in quid incompletè de ſpecie differentibus, ùt exigit ratio generis. N. Prædicaretur ſimpliciter in quid incompletè. C. Adde, quòd in tali caſu animal non prædicaretur ùt pars determinabilis, & logicè indifferens; ſed neceſſariò connecteretur cum differentia ſpeciei poſſibilis. *Si ais.* In caſu, quo ſolus homo foret poſſibilis, ille haberet adhuc prædicata ſua eſſentialia, quæ nunc habet; ergo Animal in illo caſu foret adhuc genus, ſicut modò. R. D. *Ant.* Haberet adhuc prædicata ſua materialiter, & quoad rem. C. formaliter, & quoad modum.. N. Nimirùm haberet adhuc prædicatum *Animal*, ſed non

esset genus. *Si reponas.* Animal abstractum ab unico individuo hominis, reliquis tamen speciebus possibilibus, erit verè genus; ergo erit pariter genus, si âb unica specie possibili, reliquis impossibilitatis, abstrahatur. R. N. *Cons. Disp. est:* In priori casu animal æquivalenter abstrahitur, ab omnibus, à quibus abstrahi potest, & manet verè prædicabile de specie differentibus. Secùs est in casu posteriori.

302. *Obj. 2.* Unicâ tantùm formâ physicâ possibili materia physica non amittit rationem materiæ & partis determinabilis; ergo nec genus amittet rationem generis & partis determinabilis, licet unica species foret possibilis. R. N. *Cons. Disp. est:* Materialitas, & determinabilitas materiæ sita est in hoc; quòd tanquàm aliquid complebile, physicè indifferens sit ad constituendum cum forma compositum, vel non: tota autem hæc ratio materiæ adhuc manet in casu posito. Econtrà ratio generis, & determinabilitas ejus consistit in eo; quòd sit aliquid magis commune, indifferens ad plures species, & per unam differentiam ad hanc speciem contrahibile, per aliam ad illam: quæ ratio generis, casu, quo Unica species foret possibilis, certè non maneret.

§. III.

Quomodò genus tum de Speciebus, tum de individuis prædicetur?

303. *Nota 1.* Genus considerari potest, vel prout complectitur genus & differentiam, & sic est *Totum actuale.* Vel quatenus in se po-

ten-

tentiâ continet ſpecies inferiores, tanquàm partes ſubjectivas, & ſic eſt *Totum potentiale.* vel prout cum comparte ſua conſtituit actu ſpeciem, & ſic eſt *Pars actualis;* ùt ſi animal conſideretur, prout cum rationali actu conſtituit hominem. Si denique conſideretur, prout poteſt conſtituere ſpeciem, *Pars potentialis* dicitur.

304. *Nota 2.* Individua alia dicuntur *completa*, quæ totam eſſentiam ſpeciei, & individuationem exprimunt, v. g. *Petrus*, *hic leo.* Alia *incompleta* vocantur, quæ exprimunt quidem individuationem, non tamen totam ſpeciei eſſentiam, ſuntque prædicata vel generica, vel differentialia ſpecierum, v. g. *Hoc animal, hoc rationale. Status quæſtionis eſt* 1. Quomodò genus, dum de ſpecie prædicatur, ſe habeat quoad denominationes generi convenientes, & in notamine primo poſitas? 2. An genus de utrisque individuis prædicetur *immediatè*, vel *mediatè?* An *ùt genus*, an *ùt ſpecies?*

305. *Dico 1.* Genus non prædicatur de ſpecie *ùt pars actualis*, ſed ex communi loquendi modo prædicatur *ùt totum potentiale. Ratio primi eſt;* quia nulla pars, *ùt talis*, in recto prædicari poteſt de toto, cum nulla pars ſit idem cum toto, ſive illud ipſum, quod eſt totum; ſed eſt tantùm pars totius. *Ratio ſecundi eſt;* quia prædicatur ùt quid ſuperius, quod quidem actu partes ſuas non continet, habet tamen ſub ſe inferiora, in quæ tanquam partes ſubjectivas dividi poteſt; ſed quod ſic prædicatur,

dicatur, prædicatur *ùt totum potentiale*; ergo. *Dixi: Ex communi loquendi modo*; nolo enim per τὸ *ùt* significare, quòd prædicetur genus cum statu, quod in thesi de actuali prædicatione jam aliquoties negavi

306. *Obj.* 1. Genus prædicatur ùt pars materialis; ergo ùt pars actualis. R. D. *Ant.* ùt pars materialis actualis. N. ùt pars materialis potentialis. T. Si enim velis, quòd genus prædicetur ùt pars potentialis, hoc sensu: quasi prædicatio generis de specie terminaretur *ad rationem formalem partis*, ùt potest cum differentia componere speciem; tecum non sentio, qui per datam distinctionem aliud nihil intendo, quàm prædicationem terminari ad partem *secundùm se*, quæ exercitè potens sit cum differentia componere speciem. *Si ais*: Genus prædicatur in quid incompletè; ergo ùt pars actualis. R. D. *Ant.* Prædicatur in quid incompletè quoad modum prædicandi. N. quoad rem prædicatam. *Subdist.* Si hæc consideretur, prout subsistat actuali prædicationi. N. Si per cognitionem aliam cum differentia tanquam comparte suâ, vel cum specie, quam constituit, comparetur. C. Genus quoad modum prædicandi prædicatur per modum totius, cùm prædicetur substantivè, & in actuali prædicatione de specie Universale maneat, ùt probatum est *in Disp præcedente.*

307. *Obj.* 2. Genus est Compositum actuale; ergo prædicatur ùt totum actuale. R. D. *Cons.* Prædicatur ùt totum actuale secundùm se,

se, & respectu sui. C. respectu speciei. N. *Si ais:* Genus non complectitur omne id, quod habet species; ergo de specie non prædicatur ùt totum. R. D. *Cons.* Non prædicatur ùt totum specificum. C. ùt totum genericum, sine statu tamen. N.

308. *Dico 2.* De utrisque individuis genus prædicatur immediatè, de completis quidem *ùt genus;* de incompletis autem *ùt species. Ratio primi est:* quia genus immediatè abstrahi de utrisque individuis potest; ergo potest etiam immediatè de illis prædicari. *Prob. ant.* Possum cognoscere in Petro vel Bucephalo *ánimal,* quin cognoscam *rationale*, vel *irrationale.* Item possum in individuis incompletis cognoscere v. g. *Animal,* quin cognoscam hæcceitatem; ergo. *Confir.* Animal v. g. his individuis immediatè inest; nam Petrus v. g. immediatè est homo, & consequenter etiam immediatè est id, quod est homo, scilicet animal rationale; ergo etiam immediatè de iis prædicari potest. *Ratio secundi est:* Illud prædicatur ùt genus, quod prædicatur de pluribus specie differentibus in quid; & illud prædicatur ùt species, quod prædicatur ùt tota essentia subjecti; sed quando genus, v. g. *Animal,* prædicatur de individuis completis, v. g. Petro & Bucephalo, prædicatur de pluribus specie differentibus in quid; & quando prædicatur v. g. *Animal* de individuis incompletis, sive de hoc & illo animali, prædicatur ùt tota essentia subjecti; ergo genus de individuis

completis prædicatur ùt genus; de incompletis autem ùt ſpecies. Accedit, quod hoc & illud Animal, in ratione præciſa animalis, non differant ſpecie, ſed numero tantùm; ergo genus de individuis incompletis prædicari nequit ùt Genus.

309. *Obj. 1.* Inter genus & individua mediat ſpecies; ergo genus non prædicatur immediatè de individuis. R. D. *Ant.* Mediat in linea prædicamentali, & mediatione ſubſiſtendi conſequentiâ. C. extra lineam, & mediatione ſubjecti. N. h. e. Dum dico: *Petrus eſt animal*, τὸ *animal* non ſubjectatur priùs in homine tanquam aliquo tertio, quo mediante ſubjectetur deinde in ipſo Petro; ſed Petrus eſt ſubjectum immediatum animalis. Propterea tamen animal non prædicatur de Petro immediatè *immediatione ſubſiſtendi conſequentiâ*, cùm animal non probetur immediatè per Petrum, ſed alia conſequentia intercedere debeat; Non enim ſolemus ſic argumentari: *Petrus eſt*; ergo *animal eſt.* Sed ſic: *Petrus eſt*; ergo *homo eſt*: *homo eſt*; ergo *animal eſt.* *Si ais:* Non datur tranſitus immediatus â gradu ſupremo ad infimum; ergo nec genus tanquam gradus ſupremus prædicari immediatè poteſt de individuo tanquam gradu infimo. R. D. *Aut.* In gradibus materialibus, & phyſicè diſtinctis C. in formalibus formaliter tantùm diſtinctis N. Hujus autem ratio ulterior eſt, quia omnes gradus formales immediatè ſunt in individuo, quod intrinſecè conſtituunt, & ſimul omnes

im-

immediatè âb eo ſingularizantur; ergo etiam immediatè de eo prædicari poſſunt, cùm modus prædicandi ſequatur modum eſſendi. Econtrà gradus materiales ſupremi non continentur in infimo.

310. *Obj. 2.* Genus definitur in ordine ad ſpecies, non ad individua; dicitur enim prædicabile de multis ſpecie differentibus; ergo etiam prædicatur immediatè de ſpeciebus tantùm. R. N. *Ant.* Cùm individua quoque differre poſſint ſpecie, ùt Petrus & Bucephalus. *Si ais:* Sequeretur, genus non differre à ſpecie; cùm ſpeciei proprium ſit prædicari de individuis completis. R. Adhuc ſatis differt, ùt inſpicienti utriusque definitionem ſatis patebit.

ARTICULUS III.

De ſecundo Univerſali, ſive Specie.

POrphyrius de ſpecie ſic orditur: *Species autem dicitur quidem & de unius cujusque forma, quâ ſignificatione dici ſolet, præſtantiſſimam formam dignam eſſe imperio. Dicitur autem & de eo, quod ſub aſſignato genere collocatur ..... Inſuper hoc etiam pacto ſpecies eſt id, quod de pluribus differentibus numero, hoc ipſo quid eſt, prædicatur.* His triplicem inſinuat ſpeciei acceptionem. Prima non eſt hujus loci, quare illam hìc intactam relinquemus, unà cum ſpecie, quæ prætextum aut ſimulationem Logicis incongruam ſignificat, de qua *Virg. lib. 2. Æneid.*

neid. sic: *Non tulit hanc speciem furiata mente Chorœbus.* Secunda verò & tertia speciei acceptio ad Logicam pertinet. De specie logicè accepta proponemus 1. Quid sit, & quotuplex? 2. An salvari possit in unico individuo?

§. I.

Quid sit species, & quotuplex?

311. *Dico 1.* Species logicè accepta, comparata ad genus, quod habet suprà se, dicitur *species subjicibilis*: hæc sic definitur à Porphyrio: *Est id quod subjicitur generi*, scilicet immediatè & directè. Per τὸ *immediatè* differt ab individuis, quæ etiam subjiciuntur generi, sed mediatè tantùm. Per τὸ *directè* differt à differentia, quæ indirectè & in linea laterali generi subjicitur. Ex his advertes, genera omnia in aliquo prædicamento sub genere supremo posita esse species subjicibiles, relatè ad superiora, quibus subjiciuntur.

312. *Obj.* Genus non est notius specie, cùm genus ipsum definiatur in ordine ad speciem, tanquàm aliquid notius; ergo species malè definitur per genus. *ita Cajet.* Rx. 1. Ipse Cajetanus docet, illa solùm in definitione notiora esse debere definito, quæ ipsi sunt intrinseca, cujusmodi non est unum relativum alteri, quale est v. g. species relatè ad genus. Id ipsum insinuat Albertus M. in *Tract. de Relat.* cap. 9. ubi ait: Unum relatum non definiri *per aliud*, sed *ad aliud*; juxtâ cujus mentem negari

negari posset suppositum consequentis. R. 2. D. *ant.* Non est notius, si non præsupponatur cognitio generis ante speciem C. si præsupponatur, & species cognosci non possit, nisi cognito priùs genere. N. *Si ais.* Saltem fieret circulus vitiosus in data definitione; Nam genus dicitur, cui supponuntur species; & species dicitur, quæ supponitur generi. R. N. hunc circulum vitiosum esse; genus enim & species correlativa sunt, quæ propter mutuum ordinem inter se collata lucem sibi mutuò afferunt. Foret autem vitiosus, si fieret in absolutis, ob rationem contrariam. *Si reponas:* Dum dico: *Petrus est animal*, individuum immediatè subjicitur generi; ergo data definitio non convenit soli speciei. R. D. *ant.* Immediatè subjicitur in ordine ad prædicationem quandam. C. in linea prædicamentali, de quâ subjectione hìc agitur. N. *Si urgeas.* Homo est species substantiæ, cui tamen immediatè non subjicitur. R. Satìs est, quod alicui generi immediatè subjiciatur.

313. *Dico 2.* Species logicè accepta, comparata ad individua, de quibus prædicari potest, dicitur *species prædicabilis.* Hanc Porphyrius sic definit: *Species est id, quod de pluribus differentibus numero, hoc ipso quid est prædicatur.* *Genus* hujus definitionis est *Universale*, quod prioribus verbis indicatur. Reliqua obtinent locum *differentiæ*, sic, ut per hæc verba: *hoc ipso quid est*, species differat à *Differentia, Proprio,* & *Accidente*; per illas verò par-

particulas: *Differentibus numero*, ſecernatur à genere: Ubi tamen velim ſubintelligas ſequentia: *Solo numero*, vel *proximè*, *ſive completè*. Aliàs ſpeciem non ſatis diſtingues à genere, quod etiam de pluribus numero differentibus prædicatur, ſed non *tantùm*, nec *completè*.

314. *Obj.* Poſſet aliquis cognoſcere genus in ordine ad unicam tantùm ſpeciem, & ignorare, illud de aliis quoque ſpeciebus prædicari, & conſequenter id prædicaret de ſolo numero differentibus; ergo hoc genus prædicationis non convenit ſoli ſpeciei. R. Ejusmodi deceptio nihil officit definitioni ſpeciei; ſtante enim hâc deceptione, id eſt vera ſpecies, quod de ſolo numero differentibus prædicatur. *Si ais.* Ex ſuppoſito, quod duæ animæ rationales informarent materias ſpecie diverſas, alteram cæleſtem, ſublunarem alteram; de his etiam non ſolo numero differentibus poſſet homo prædicari; ergo ſpecies poſſet prædicari etiam de iis, quæ non ſolo numero differunt. R. Ex ſuppoſito, quod cælum rueret, multæ caperentur alaudæ. *Si inſtes*: Dum dico: *Homo eſt ſpecies*, *Equus eſt ſpecies*, τὸ ſpecies prædicatur etiam de differentibus ſpecie; ergo. R. D. *ant.* τὸ ſpecies, i. e. hic terminus prædicatur de differentibus ſpecie. C. i. e. objectum per hunc terminum ſignificatum, v. g. natura equina, prædicatur &c. N.

315. *Dico 3.* Dividitur prætereà ſpecies in *ſubjicibilem tantùm*, quæ etiam *ſubalterna* dici poteſt, & eſt illa, quæ generi ſubjicitur, ſub

ſe

se autem non individua, sed species habet, ùt *Corpus*, *Vivens*, *Animal*. In *Prædicabilem tantùm*, quæ suprà se non habet genus, nec aliam speciem infrà se, sed individua duntaxat. Talis est *Rationale*, respectu suorum inferiorum, hujus scilicet & illius rationalis. In Prædicabilem & subjicibilem simul; hæc etiam *Species infima*, *atoma*, seù *specialissima* nuncupatur, estque illa, quæ subjicitur quidem generi, sed alias sub se species non habet, ùt *Homo*. In hâc specie juxtà effatum Platonis subsistendum est, eoquòd individua ejus sint infinita. Hinc non immeritò speciei huic subscribes illud: *Hìc jabet Plato quiescere.*

316. *Reflexio I.* Species subjicibilis formaliter sumpta, & ùt talis præcisè, non est Universale saltem positivè; eoquòd non sit quid superius, nec ordinem ad inferiora dicat. Propterea tamen singularis dici nequit; cùm formaliter accepta ab utroque hoc prædicato præscindat. *Nec obstat*, quod inferius participet prædicata superioris: hoc enim intelligendum tantùm est de iis prædicatis, quæ superiori essentialia sunt; non autem de iis, quæ superiori accidunt. *Si contendas*, Universale esse prædicatum essentiale generi. R. Est quidem essentiale generi *ùt tali*, signatè, & in suppositione simplici accepto; essentiale autem non est generi, *quod tale* est, & sumpto in suppositione personali. Genus autem non participatur à speciebus *ùt signate genus est*, sed ùt exercitè natura genus est. II. Species subjici-

jicibilis *specificativè* accepta, & *quæ* talis est, in creatis est Universale; Sic enim vel genus subalternum est, vel species prædicabilis, quæ ambo Universalia sunt. Dixi *in creatis*; Deus enim licèt species subjicibilis sit, prædicabilis tamen esse non potest. III. Ex his consectaneum est, quod species prædicabilis pro secundo Universali ritè assignetur. IV. Allata ex Porphyrio speciei prædicabilis definitio bona est, cùm nihil superflui complectatur, & omni ac soli definito conveniat; prætereà utilis est, & speciem benè explicat, ùt usus hucusque in scholis probavit; illi proinde hìc acquiescimus, sive descriptiva sit, ùt cum aliis P. Aler. contendit *Tract.* 1. *Disp.* 3. *Cap.* 2. §. 1. Sive quidditativa, ùt videtur probare P. Lynceus *lib.* 9. *Dial. Tract.* 1. *à Cap.* 1. *usque ad* 3.

§. II.

An species salvari possit in unico individuo?

317. *Nota.* Thomistæ quidam docent, quod species spirituales, v. g. naturæ Angelicæ, numero sint immultiplicabiles; eoquòd materia careant. Contendunt nihilominùs in ejusmodi individuis salvari speciem, i. e. naturam v. g. Michaëlis, cui juxtà ipsos repugnat multiplicari physicè, esse speciem prædicabilem, & logicè Universalem. Duplex igitur hìc est *status quæstionis*: 1. An naturæ Angelicæ sint immultiplicabiles numero? 2. An natura unica, immultiplicabilis numero, possit esse species, ùt est secundùm Universale, & totum potentiale?

318.

318. *Dico 1.* Naturæ Angelicæ non sunt numero immultiplicabiles. Ita *S. Bonavent. Scotistæ, & nobiliores Thomistæ, Ferrara, Bannes, Capreolus, Soncinas, Javellus, Vasquez, Suarez* &c. *Ratio est 1* Quia animæ rationales, & Personæ divinæ carent materiâ, & tamen numero multiplicabiles sunt; ergo & Angeli, licèt materiâ careant. 2. Nulli creaturæ repugnat habere sibi simile; ergo nec Angelis, qui etiam creaturæ sunt. 3. Hoc potissimùm argumento ex ratione deducto probatur unitas Dei, quòd propter infinitam perfectionem suam sibi simile habere non possit; ergo id creaturæ tribui nequit. 4. D. Thomas. *1. p. q. 14, a. 1. in* ⊙. docet, Deum esse in summo gradu immaterialitatis, quia, ùt alibi tradit, nulla est in Deo potentialitas. Ex quo sic *infero:* ergo quæcunque sunt aliquo modo in potentia, illa participant aliquid de ratione materiæ, saltem analogicè. *Subsumo:* Sed Angeli habent aliquid potentialitatis; ergo & aliquid materialitatis. Ergo ex ipso D. Thoma Thomistarum fundamentum ruit, consequenter & thesis. Hoc argumentum benè urget P. Semery *in Log. Disp. 3. q. 3. a. 2. & a. 1. ex D. Thoma aliud adducit.*

319. *Obj.* Ex Aristotele contrarium eruitur. R. mirum non est; nam, utpote ethnicus naturas Angelicas non penetrans, admisit, quòd omnis individuationis principium sit materia affecta quantitate. *Si ais:* Individua multiplicantur ob conservationem naturæ; cùm igitur

Angeli incorruptibiles sint, multiplicari non possunt. R. 1. Etiam animæ rationales sunt incorruptibiles, & tamen multiplicabiles. R. 2. Nihil implicat, quominùs Deus ob alium finem multiplicare possit naturas incorruptibiles. Plura de hâc materia, quam hìc occasionaliter tantùm attigimus, qui desiderat, legat P. Semery *loc. suprà cit.* & P. Aler. *Tract. 1. Disp. 3. c. 2. §. 3.*

320. *Dico 2.* Natura unica numero immultiplicabilis nequit esse species; sive, quod idem est, species nequit salvari in unico individuo possibili. *Ratio est:* Species prædicabilis, seû universalis est unum aptum prædicari de pluribus numero differentibus in quid; sed natura âb unico individuo possibili abstracta non est prædicabilis de pluribus numero differentibus; ergo. *Prob. min.* Tum quia plura numero differentia essent impossibilia; tum quia de Paulo & cæteris prædicari nequit ille homo, qui terminat cognitionem abstrahentem rationem hominis â solo v. g. Petro possibili; cùm homo abstractus in hoc casu non est alius homo, nisi solus Petrus; igitur affirmari nequit de non Petro. Adde, quod juxta multos Thomistas genus non salvetur in unica specie; ergo nec species in unico individuo. *Confirmant* hanc conclusionem Ant. Ruvius *q. 4. cap. 3. de specie.* Gabriel Boyvinus *1. p. Log. Sect. 2. c. 2.* P. Suarez *Disp. 5. Metaphys. Sect. 2. n. 28.* Arriaga *Disp. 7. Log. Sect. 3. Subs. 2. n. 42.* ubi ait: *Adeò certum videtur ex ipsa definitione speciei requiri pluralitatem individuorum, ut â nemine id*

in

in dubium revocatum fuisset, nisi Cajetanus pro opposita opinione stetisset contra mentem Angelici Doctoris, qui 1. p. q. 53. a. 9. in ⊙ expressè docet, nomen DEus esse incommunicabile, ideóque non universale, nisi summùm in sententia eorum, qui fingunt plures Deos.

321. *Obj. 1.* Natura abstracta âb unico individuo possibili non est singularis; ergo universalis erit. ℟. *D. ant.* Non est singularis formaliter, i. e. non concipitur ùt singularis C. non est singularis radicaliter, quia est immultiplicabilis, & determinata ad unum individuum. N. D. *etiam Cons.* ergo erit universalis ad summum *negativè*, h. e. non cognoscitur singularitas. C. *positivè*, h. e. erit apta inesse multis. N. *Si ais:* Natura abstracta âb unicó individuo possibili posset definiri, & contineret genus & differentiam; ergo foret species prædicabilis. ℟. 1. Etiam Deus & individuum continet definitionem, quin propterea sit species prædicabilis. ℟. 2. Continet genus & differentiam incommunicabilem. C. communicabilem. N. *Si reponas:* Talis natura saltem conditionatè posset esse in multis, si nimirùm plura individua essent possibilia. ℟. Ergo erit quoque conditionatè tantùm universalis, & species, quod totum concedo. Sic pariter Deum posses facere universale, & quid non?

322. *Obj. 2.* Natura in tali casu foret communicabilis pluribus per rationem, prout multa similia concipi possunt, quasi essent similia. ℟. Hoc esset fingere universale, vel speciem,

non autem facere, ut aliquid in se sit universale, vel species. *Si ais*: D. Thomas hoc universale asserit, dum universale dividit in universale *secundùm rem*, & *secundùm rationem*. R. Hæc divisio nihil favet Thomistis; eoquòd D. Thomas per universale *secundùm rem* nihil aliud intelligat, quàm illud, quod actu habet inferiora, ùt *homo*; per universale autem *secundùm rationem* illud intelligit, quod quidem actu plura inferiora non habet, habere tamen potest, ùt *Sol Luna* &c. quæ exempla ipse Doctor Angelicus adducit Tract. 2. de universalibus, & p. 1. q. 13 a 9. in ⊙. *Si reponas*. Permissâ Thomistarum hypothesi Michaël & Gabriel adhuc differrent specie; ergo in quolibet salvaretur species. R. D. *ant*. Differrent specie physicâ & materiali. T. Logicâ & formali. N. Dixi: *Transeat*; inquirere enim, an Angeli specie differant, non est hujus loci.

323. *Observanda* de specie adhuc sunt sequentia. I. Species perfectior est genere formaliter spectato; species enim est tota essentia rei, genus autem est tantùm pars essentiæ. *Nec obstat*, quòd genus sit totum actuale, & suam quoque differentiam includat; nam species præter differentiam suam etiam totum genus includit, v. g. homo non modò rationale, sed etiam vivens sentivum complectitur; genus autem non includit totam suam speciem. II. Rem specificari *intrinsecè* âb altera, nil aliud est, quàm illam âb altera constitui intrinsecè secundùm essentiam, quod fieri potest vel secundùm essen-

tiam

tiam physicam, sic homo specificatur intrinsecè â corpore & anima; vel secundùm essentiam metaphysicam, sic idem homo specificatur intrinsecè âb animali & rationali. III. Res dicitur specificari *extrinsecè* âb alia, quando res quædam essentialiter respicit aliam, & per ordinem ad illam aliam cognoscitur secundùm speciem, vel essentiam; sic cognitio, cujus essentia explicari nequit nisi per ordinem ad suas causas, & objectum, dicitur âb iis specificari extrinsecè. IV. Dum Aristoteles *in categ. cap.* de *Subst.* inquit, *genera & species prædicari in quale quid*, nihil aliud intendit, quàm quòd substantiæ secundæ sive universales, significent essentiam secundùm aliquam ejus qualitatem, quæ est communitas. V. Species est posterior genere, non physicè, sed logicè, & subsistendi consequentiâ.

ARTICULUS IV.

De tertio universali, sive Differentia.

POrphyrius de differentia agens duo præstat. Inprimis varias illius divisiones proponit, dein totidem definitiones assignat. Hæc ipsa hìc exponam, simúlque resolvam 1. Respectu quorum differentia tertium universale dici possit? 2. An differentia inferior includat formaliter superiorem, vel genus, quod dividit? quæ duæ quæstiones viris de Philosophia genuina, orbeque literario optimè meritis nunquam non utiles visæ sunt.

§. I.

Quid & quotuplex sit Differentia, & quo respectu sit tertium universale?

324. *Dico 1.* Differentia ùt sic est *prædicatum, quo unum differt âb alio.* Ita Porphyrius, & Philosophi communiter: *Ratio est,* quia differentia est forma sive actus rei; sicut autem juxtà commune effatum, *Potentia*, sive *materia confundit*, ita *forma* sive *actus separat, & distinguit.* Ex hoc advertes tot esse differentias, quot sunt formæ. Hinc

325. *Dico 2. Differentia* (verba sunt Porphyrii) *& communiter, & propriè, & propriissimè dicitur.* Differentia *communis* est accidens, quo unum differt ab alio, aut â se ipso contingenter, ùt *Petrus albus â Petro nigro; Socrates â se ipso puero vir factus. Propria* est, quâ unum differt âb alio necessariò, vel inseparabili accidente. Sic homo differt per *risibile* &c. *Propriissima* est, quâ unum ab alio essentialiter differt, ùt *rationale. Propriissima*, servit ad definiendum, & dividendum. Definitio enim per genus fit, & differentiam maximè propriam; Genus autem dividitur in suas species per differentias essentiales. *Communis & Propria* ad describendas res, assignandásque dissimilitudines valent. Ex his simul intelliges, quod communis *separabilem*, propria verò & propriissima inseparabilem differentiam contineant. Præterea à differentia propriissima *ratione muneris* dividitur in divisivam generis, & constitutivam speciei. *Divisiva generis* est, quæ tanquam

quam pars formalis metaphysica dividit, h. e. contrahit, & determinat genus tanquam partem materialem & indeterminatam ad certam speciem; sic *rationale* determinat *animal* ad esse hominis. *Constitutiva speciei* est, quæ tanquàm pars formalis metaphysica & determinans cum genere constituit speciem, ita ut speciei essentialis sit, non autem generi. Sic *rationale* constituit *hominem*. Denique *ratione eorum, de quibus prædicatur*, in genericam & specificam dividitur. *Generica* est, quæ prædicatur de pluribus specie differentibus, ùt *sensitivum*. *Specifica* est, quæ de pluribus numero tantùm differentibus prædicatur, ùt *rationale*. Alii hanc ultimam divisionem sic explicant: Differentia *generica* constituit speciem subalternam, *specifica* infimam.

326. *Dico 3.* Differentia, ùt est tertium universale, est *unum aptum prædicari de pluribus specie, vel numero differentibus in quale quid*. Est hæc definitio desumpta ex Porphyr. Qui tamen τὸ *vel numero* omisit, id quod authores quidam ipsi vitio vertunt; alii verò, quos citat hìc P. Lynceus, eum defendunt, & benignè explicant. Quòd posita modò definitio legitima sit, probatur rursus ex eo, quòd conveniat differentiæ *omni*, scilicèt tam genericæ, quàm specificæ; & *soli*, eoquòd præter differentiam nihil est, quod prædicatur *in quale quid*. Per τὸ *quale* â Genere & Specie distinguitur; per τὸ *quid* â Proprio & Accidente. Prædicari autem *in quale quid*, est prædicari in

quale essentiale, h. e. in quæstione facta, qualis sit res essentialiter. Convenit autem differentiæ, prædicari *in quale quid*, & non simpliciter *in quid*, quia, licèt pars sit essentialis speciei, quam constituit, prædicatur tamen per modum adjacentis, cùm sit actus metaphysicus determinans genus ac modificans; modificare autem & determinare munus est formæ adjacentis, & qualitatis. Ex hac ratione differentia âb Aristotele dicitur qualitas, sed essentialis. *vid. dicta* n. 295.

327. *Obj.* Differentia constare nequit genere; hoc enim est ratio conveniendi, differentia autem est ratio disconveniendi; nec constare potest differentiâ, aliàs hæc secunda differentia rursus constaret aliâ, & sic deinceps in infinitum, adeóque non dabitur differentia ultima; ergo definiri nequit. ℟. N. *ant.* Quoad utramque partem. *Rationem primam* D. Differentia directè cognita est ratio disconveniendi. C. reflexè cognita. N. sic enim consideratur ùt aliquid prædicabile de aliis, & cum aliis prædicabilibus convenit. *Ad rationem alteram* ℟. quòd differentia definiatur per aliam, quæ sit terminus notior, idque tamdiu, quamdiu termini notiores reperiuntur. Cæterùm differentia ultima non inde nomen hoc accepit, quòd definiri non possit; sed quòd ultimò dividat genus. *Si ais.* Saltem differentia nequit prædicari *in quale quid*; quia aliàs prædicaretur essentialiter, & accidentaliter, substantivè, & adjectivè, quod videtur implicare.

℟. D.

R. D. assert. nequit prædicari *in quale quid* conjunctim. N. *in quale* Et *quid* divisim. C. Prædicari *in quid tantùm*, est prædicari essentialiter substantivè; & prædicari *in quale tantùm*, est prædicari accidentaliter adjectivè. Verùm prædicari *in quale quid conjunctim*, est prædicari essentialiter, sed per nomen adjectivum, quod certè non implicat, sicut juxtà plurimorum sententiam non implicat, eundem actum esse scientiæ, fidei & opinionis simul, licèt scientia tantùm, fides tantùm &c. simul esse non possit.

328. *Dico 4.* Differentia non est tertium universale respectu generis, quod dividit, nec respectu speciei, quam constituit; sed respectu inferiorum generis, aut speciei; h. e. si differentia sit *generica*, erit tertium universale respectu specierum, quas genus sub se continet, ùt *sensitivum* respectu *hominis & bruti.* Si sit *specifica*, erit tertium universale respectu individuorum speciei, ùt *rationale* respectu *Petri & Pauli. Ratio primi est:* Universale quà tale superius esse debet respectu illius, respectu cujus est universale; sed differentia, v. g. *rationale*, non est quid superius respectu generis, v. g. *Animalis*, quod dividit, cùm hoc latiùs pateat, quàm rationale; ergo respectu illius nequit esse universale. Adde, quod de tali genere differentia non prædicetur in quale quid, sive essentialiter; cùm animali logicè accidentale sit, esse rationale. *Hæc ipsa est ratio secundi:* Nam *homo*, quem constituit rationale,

nale, æquè latè patet, ac ipsum rationale, & convertibiliter cum eo prædicatur. *Ratio tertii est*, quia respectu assignatorum inferiorum est quid superius, & de iis prædicatur ùt pars formalis *in quale quid.*

329. *Obj. 1.* Dum differentia prædicatur de specie, v.g. rationale de homine, prædicatur illa in quale quid. R. Concedo. *Infers*, ergo ùt universale. R. N. *Illat.* Prædicatur quidem ùt pars formalis determinativa essentiæ, sed non ùt quid superius, igitur nec ùt universale. *Si ais:* Dum dico: *Homo est rationalis*, τὸ rationale non involvit singularitatem; ergo erit universale. R. D. *Cons.* erit universale respectu subjecti, sive hominis, de quo prædicatur. N. respectu hujus & illius rationalis. C. *Si inferas.* Ergo differentia universale quoque est respectu suorum inferiorum, quod videtur esse contrà conclusionem. R. D. *illat.* Est universale secundum, sive species respectu suorum inferiorum. C. Est universale tertium respectu suorum inferiorum. N. Nimirùm rationale respectu hujus, & illius rationalis prædicatur *in quid completè*, adeóque ùt species; hìc autem non agitur de specie, sed de tertio universali, quod *in quale quid* prædicatur.

330. *Obj. 2.* Differentia tantùm respectu generis superioris prædicatur in quale; nam huic tantùm adjacet: Sic *rationale* adjacet *animali*, non autem *Petro*, cui essentiale est; ergo tantùm respectu generis prædicabilis est ùt

diffe-

differentia. R. N. *ant. cum ejus probat.* Nam hæc prædicatio: *Animal est rationale*, non ad tertium, sed ad quintum universale, sive ad accidens refertur. Deinde rationale adjacet etiam Petro, quia animali alteri comparti, quæ est in Petro, adjacet. *vide etiam dicta n. 327.*

331. *Observa I.* Divisio, quâ animal dividitur in rationale & irrationale, non est divisio generis in suas species, sed subjecti in sua accidentia; quia nostro concipiendi modo animali per accidens est, quòd contrahatur ad rationale, aut irrationale. Nec benè dicitur genus dividi in suas differentias, sed per differentias in species. II. *Differentia infima, sive atoma, & subalterna, sive media* non constituunt duo universalia specie logicâ distincta; eoquòd eundem habeant prædicandi modum, scilicèt *in quale quid.* Est autem *differentia atoma*, quæ non habet differentiam infrà se, & cum specie atoma convertitur. *Differentia subalterna* est, quæ mediat inter supremam, & infimam, & convertitur cum specie subalterna.

§. II.

An Differentia inferior formaliter includat superiorem, vel genus, quod dividit?

332. *Nota.* Differentia *inferior* est prædicatum differentiale paucioribus commune, ùt *rationale* commune solis hominibus. *Superior* est prædicatum differentiale pluribus commune, ùt *sensitivum*, quod & hominibus & brutis convenit. Prætereà extrà controversiam est,

est, differentiam inferiorem præsupponere superiores; sic nullum est rationale vel irrationale, quod non sit sensitivum saltem præsuppositivè. Nec disceptatur, an differentia inferior complectatur differentias superiores, & genera in sensu & statu reali; constat enim rationale realiter, & adæquatè sumptum esse animal, vivens, sensitivum &c. *Status proinde quæstionis* solùm hic est: An differentia inferior inadæquatè sumpta in recto formaliter includat genus, quod dividit, aut differentiam superiorem, ita, ut formari non possit conceptus differentiæ inferioris, v. g. *rationalis*, quin genus, aut differentia superior, v. g. *animal*, aut *sensitivum*, in eo exprimatur in recto, & dici verè possit, *rationale* v. g. *formaliter est animal, rationale formaliter est sensitivum?*

333. *Dico.* Differentia inferior non includit formaliter genus, quod dividit, nec differentiam superiorem. Est communior. *Ratio primi* est; quia *rationale* v. g. in suo conceptu formali id solùm dicit, per quod homo superat, & excedit animal; sed illud per quod homo superat, & excedit animal, non involvit formaliter ipsum animal; ergo. *Confir.* Ex genere & differentia fit compositio metaphysica; consequenter genus & differentia sunt partes compositi metaphysici; sed partes se invicem formaliter non includunt; ergo. *Ratio secundi* est; quia aliàs *rationale* v. g. & *irrationale* convenirent in aliquo attributo, v. g. in

sen-

sensitivo, cùm illud âb utroque includeretur; sed hoc dici non potest, quia rationale & irrationale sunt differentiæ ultimæ, quæ inter se adæquatè diversæ esse debent. *Confir.* Si *rationale* v. g. includeret *sensitivum*, ergo includeret quoque *vivens*; si *vivens*, ergo *animal*, quia hoc nil aliud est, quàm vivens sensitivum; sed hoc dici nequit ex ratione primi; ergo.

334. *Obj. 1.* Differentia est tota rei essentia, ùt inquit Arist.; ergo includit genus. R. D. *ant.* Est tota rei essentia *formaliter constitutivè*. N. Tota *determinativè* & *completivè*. C. Differentia tanquam pars formalis determinans genus ad certam speciem, dicitur tota rei essentia, h. e. pars ejus præcipua. *Si ais:* Differentia definitur; ergo includit genus. R. D. *Cons.* Genus, quod dividit, respectu cujus est ultima ratio differendi. N. Per quod definitur, & intrinsecè constituitur, quod est *principium*, respectu cujus fit species. C. *Si reponas:* Divisum continetur in membris dividentibus; sed genus est divisum, differentiæ inferiores sunt membra dividentia; ergo. R. D. maj. Continetur in membris dividentibus *ùt quod*. C. in membris dividentibus *ùt quo*. N. Species sunt illa membra, *in quæ* fit divisio generis; differentiæ autem sunt membra, *quibus*, sive *per quæ* fit divisio, ùt n. 331. jam insinuavi. *Si urgeas.* Inferius in suo conceptu formaliter includit superius; ergo & differentia tanquam inferius, formaliter includit genus utpote superius. R. D. *ant.* Si inferius ponatur directè

in

in linea recta sub superiori. C. Si indirectè & in linea laterali ponatur. N. Hujus distinctionis ratio ulterior est hæc: Quia inferiora in linea recta prædicamenti posita sunt tota, & species respectu superiorum, ex quibus componuntur; totum autem formaliter includit suas partes, cùm nihil aliud sit, quam suæ partes simul sumptæ. Econtrà posita in linea laterali differentiæ sunt, quæ non componuntur ex aliis, sed ipsæ cum generibus componunt alia. *Si inferas.* Ergo rationale formaliter non erit substantia, & consequenter erit accidens. R. Rationale formaliter nec est substantia, nec accidens; sed âb utroque præscindit, & est præcisè differentia alicujus, cui adjacet. Hinc nec est substantia, nec accidens, nec ens &c. *in recto*, sed hæc omnia *in obliquo* tantùm involvit, h. e. Rationale formaliter est taleitas substantiæ, taleitas accidentis &c. Idem respondeas, si dicatur, quòd curvitas, & similia concipi non possint sine quantitate; intellectivum â se, & ab alio, sine intellectivo. Nam etiam ejusmodi formæ formaliter nil aliud sunt, quàm taleitates quantitatis, taleitates intellectivi &c.

335. *Obj. 2.* Rationale hominis in conceptu suo formali differt â rationali Angeli; ergo debet includere sensitivum. R. N. *Cons.* Quod nimirùm debeat includere sensitivum in recto. Cæterùm satis adhuc differt 1. eoquòd rationale hominis realiter & adæquatè sumptum dependeat â sensibus, non item rationale Angeli. 2. Quòd rationale hominis formaliter & inadæquatè

æquatè ſumptum præſcindat â ſenſibus; rationale vero Angeli neget ſenſus. *Inſt. 1.* Ratiocinari eſt formaliter vivere; ergo rationale includit formaliter vivens, & conſequenter genus. ℟ D. *Ant.* Ratiocinari *adæquatè*, & materialiter ſumptum eſt formaliter vivere. C. *Inadæquatè*, & differentialiter ſumptum. N. *Ratiocinari adæquatè ſumptum* dicit duo, nimirùm actionem vitalem, & immanentem, deinde taleitatem, quæ eſt modificatio actionis vitalis. *Ratiocinari inadæquatè ſpectatum* dicit tantùm taleitatem. Pariter ſolve hæc argumenta 1. Anima rationalis eſt formaliter ſenſitiva, & vegetativa. 2. In linea prædicamentali quantitatis differentiæ lineæ, ſuperficiei, Corporis ìncludunt quantitatem, quia nequeunt concipi ſine extenſione in longum, latum & profundum. &c. *Inſt. 2.* Homo eſt vivens formaliter; ergo & partes ejus. ℟. D. *ant.* Homo ſumptus tam ſecundùm genus, quàm ſecundùm differentiam. N. Sumptus quoad genus tantùm C. Homo quoad rationale tantùm non eſt formaliter vivens; cùm enim ſit modificatio viventis, illud in obliquo tantùm connotat.

336. *Obj. 3.* Saltem rugibile includit formaliter ſenſitivum. *Prob.* Rugibile eſt principium ſenſationis; ergo includit formaliter ſenſitivum. *Prob. ant.* Rugitus eſt formaliter ſenſatio; ergo illius principium, quod eſt rugibile, eſt principium ſenſationis. ℟. N. *ant.* Rugitus enim formaliter eſt tantùm modificatio

tio ſenſationis, cujus principium eſt rugibile. Hoc ut intelligas, adverte, quòd rugitio (idem de reliquis ejusmodi operationibus dicendum) habeat formalitatem *vitalitatis*, *ſenſationis*, & *actionis leoninæ;* quatenus *actio vitalis* eſt, principium illius eſt vivens, ùt *ſenſatio* eſt, principium ejus eſt *ſenſitivum*, in quantùm verò *talis ſenſatio* eſt, vel *actio leonina*, *rugibile* ejus principium dicitur, quæ tria principia non quidem materialiter, ſed formaliter tantùm diſtinguuntur, ſicut & tres dictæ formalitates. *Inſt. 1.* Ex hoc ſequeretur, quod ſonus ſimilis rugitui, quem dæmon in cadavere leonis ederet, non differret â rugitione leonis formaliter ſumptâ. R. N. *Sequel.* Rugitio enim leonis præſupponit, & connotat ſenſationem, cùm ſit forma metaphyſica ſenſationis, ei tanquam ſubjecto metaphyſico noſtro concipiendi modo ſuperveniens, eámque determinans, ut ſit propria leoni; hæc autem ſono â dæmone edito non conveniunt. *Inſt. 2.* Rugibile nec eſt, nec concipi poteſt ſine ſenſatione; ergo eſt formaliter ſenſitivum. R. D. *ant.* Rugibile *adæquatè* & *materialiter* ſumptum. C. *inadæquatè* & *differentialiter* ſumptum. *Subd.* Nec eſt, nec concipi poteſt ſine ſenſitivo tanquam connotato præſuppoſito. C. tanquam prædicato formaliter conſtitutivo. N. *Inſt. 3.* Rugibile definitur per ſenſitivum; ergo. R. D. *ant.* ut præcisè differentia, & taleitas eſt. N. ut ſpecies eſt. C. ùt rugibile differentia præcisè & taleitas eſt, nequit definiri per prædicata ejus-

dem

dem lineæ v. g. ſubſtantiæ. *Inſt. 4.* Hìc ſyllogismus in *Darapti* bonus eſt: *Omnis leo eſt formaliter ſenſitivus; omnis leo eſt formaliter rugibilis;* ergo *aliquod rugibile eſt formaliter ſenſitivum.* Ergo rugibile formaliter includet ſenſitivum. R. N. *ant.* Quia habet quatuor terminos; nam medium ſemper ſumitur inadæquatè ſecundùm diverſas formalitates; in *majore* quidem τὸ leo ſumitur, *ùt ſimpliciter animal;* in *minore* verò ſumitur *ùt tale animal*, ſive *rugibile.* Si autem ſic ponatur præfatus ſyllogismus: *Omnis leo, quà tale animal, eſt formaliter ſenſitivus; omnis leo, quà tale animal, eſt formaliter rugibilis;* ergo *aliquod formaliter rugibile, eſt formaliter ſenſitivum;* erit quidem bonus vi formæ, ſed negatur major. *Inſt. 5.* Et probas conſequentiam in ſuperiore ſyllogismo negatam, illum reducendo per impoſſibile ſic: *Nullum rugibile eſt formaliter ſenſitivum; omnis leo eſt formaliter rugibilis;* ergo *nullus leo eſt formaliter ſenſitivus.* R. N. rurſus *Conſ.* Nam & hìc ſyllogismus habet quatuor terminos, cùm minus extremum in *minore* ſumatur *inadæquatè*, in concluſione autem *adæquatè.* Ecce ſyllogismum primo ſyllogismo tuo ſimilem falſum: *Omnis homo eſt anima; omnis homo eſt corpus;* ergo *aliquod corpus eſt anima.* Ecce quoque ſimilem reductionem falſam: *Nullum corpus eſt anima; omnis homo eſt corpus;* ergo *nullus homo eſt anima.* *Adverte* præterea, quod Adverſarii nobiscum negent, quod

 diffe-

differentia ſuperior, aut genus formaliter includat differentiam inferiorem; igitur citatus in inſtantia quarta ſyllogismus primus retorqueri poſſet ſic: *Omnis homo eſt formaliter rationalis; omnis homo eſt formaliter animal;* ergo *aliquod animal eſt formaliter rationale.*

337. *Reflexio* ad præcedentes §§. I. Negativum nequit eſſe differentia entis poſitivi; differentia enim eſt pars conſtitutiva, negativum autem conſtituere nequit ens poſitivum. Hinc advertes, quòd irrationale, immortale, infinitum & ſimiles differentiæ non ſint quid negativum quoad rem; ſed quòd tantùm quoad captum noſtrum negativè explicentur. II. Et genus, & differentia â tota enitate phyſica deſumuntur; hæc enim conſiderata ût aliis ſimilis dat intellectui fundamentum abſtrahendi genus; conſiderata ût aliis diſſimilis dat fundamentum abſtrahendi differentiam. III. Differentiæ non ſuſcipiunt magìs & minùs, cùm eſſentiæ conſiſtant in indiviſibili, nec intenſionem aut remiſſionem admittant. IV. Differentia, dum definitur, fit ſpecies ſubjicibilis extraprædicamentalis. V. Exinde, quòd differentiæ ponantur in prædicamento ſubſtantiæ, non bene infertur, quòd ſint ſubſtantiæ formaliter; ad hoc enim, ût aliquid poni in prædicamento ſubſtantiæ poſſit, ſufficit, quòd realiter ſit ſubſtantia. Excipe ea, quæ in linea recta ſubſtantiæ collocantur. VI. Dum Ariſtoteles ait, differen-

tias

tias superiores includi in inferioribus, & de iis prædicari posse, intelligendus est de differentiis inferioribus realiter, aut materialiter, non autem formaliter spectatis; aliàs *homo* v. g. formaliter conveniret, & disconveniret cum bruto per rationale, quod certè Aristoteles nullibi docuit. Adhæc data explicatio satìs manifestè colligitur ex 4. Top. cap. 2.

ARTICULUS V.

De quarto Universali, sive Proprio, & quinto, sive Accidente.

§. I.

Quid & quotuplex sit Proprium, & respectu quorum sit quartum universale?

338. Dico 1. Proprium *latissimè sumptum* dici potest illud prædicatum, quod alicui rei aliquo modo peculiare est, & quandam cum essentia connexionem habet. *Strictè sumptum* rectè dicitur *accidens necessariò fluens ab essentia*; vel ùt inquit Arist. 1. Top. cap. 4. *Proprium est, quod non declarat rei essentiam, soli autem inest, & conversim prædicatur de re.* Ex his advertes ad proprium requiri hæc duo: 1. ùt adveniat essentiæ jam completæ, & in suo esse constitutæ; hinc dicitur *accidens*. 2. Debet subjectum vel essentia exigere, & emanare illud, & cum eo converti: ex hac ratione non dicitur *accidens commune*,

mune, sed *accidens proprium.* Porphyrius quatuor adducit propria, quæ vide in Dialect. P. Du Trieu. *Tract. 1. p. 2. cap. 3. a. 2.* Dividitur prætereà in physicum, & metaphysicum. *Physicum* est, quod physicè âb essentia fluit, & connaturalem cum ea connexionem habet, ùt *calor in igne.* Hoc proprium realiter âb essentia distinguitur, cùm saltem supernaturaliter âb ea separari possit. *Metaphysicum sive logicum* est, quod secundùm nostrum concipiendi modum necessariò fluit âb essentia metaphysica, quod, licèt de primo conceptu, seû essentia rei metaphysica non sit, rei tamen realiter identificatur, ùt *risibile.* Hoc nequidem supernaturaliter âb essentia abesse potest: unde natum est illud effatum Philosophis admodùm familiare: *Qui tollit proprietates, tollit essentiam, consecutivè* scilicèt, non autem *formaliter.* Denique proprium strictè tale aliud est genericum, aliud specificum. *Genericum* est, quod convertitur cum specie subalterna, & ex prædicato generico profluit, ut *progressivum, appetitivum* respectu *animalis. Specificum* est, quod convertitur cum specie, & ex prædicato differentiali profluit, ut *risibile* respectu *hominis.*

339. *Dico* 2. Proprium, ùt est quartum universale, definitur sic: *Unum aptum inesse & prædicari de multis specie vel numero differentibus in quale necessariò.* Bona est hæc definitio, quia convenit omni & soli proprio strictè tali. Dicitur autem 1. *de multis*, i. e. inferio-

ferioribus subjectis, vel denominatis. Dicitur 2. *specie vel numero differentibus*, quia proprium *genericum* prædicatur de speciebus; *specificum* autem de individuis. Dicitur 3. *in quale necessariò*, per quæ verba distinguitur â reliquis universalibus. Adverte, quod data modò definitio concernat proprium quarto modo, & secundò intentionaliter sumptum, pro quarto scilicet universali.

340. *Dico 3.* Proprium est quartum universale respectu inferiorum speciei, non autem respectu ipsius speciei. *Ratio primi* est, quia respectu inferiorum speciei proprium est superius, & magìs latè patens. *Ratio secundi* est, quia proprium cum specie convertitur; igitur respectu ipsius speciei non est superius, adeóque nec universale.

341. *Obj.* Dum dico: *Homo est risibilis*, τὸ *risibile* prædicatur in quale necessariò; ergo respectu speciei prædicatur ùt quartum universale. R. N. *Cons.* Prædicatur quidem ùt proprium, sed non ùt universale, quia non est quid superius respectu hominis. *Si ais:* Dum dico: *Homo est appetitivus*, τὸ *appetitivus* non solùm ùt proprium, sed etiam ùt universale prædicatur respectu hominis; ergo etiam in altera prædicatione τὸ *risibile* sic prædicabitur. R. N. *Cons. Disp.* est, quia τὸ *appetitivum* est proprium genericum, quod est universale respectu inferiorum generis, seû speciei subalternæ; inferiora autem generis, ni-

mirùm animalis, ſunt ſpecies, *Homo*, *Equus* &c. Econtrà *riſibile* eſt proprium *ſpecificum*, quod eſt univerſale reſpectu inferiorum ſpeciei, nimirùm hominis, quæ ſunt individua v. g. *Petrus*, *Paulus* &c. *Si reponas.* Riſibile convenit individuis tantùm per accidens, quia mediante eſſentia emanat âb individuis; ergo reſpectu eorum nequit eſſe quartum univerſale. ℟. N. *ant.* quod ratio addita non probat ſufficienter. Hoc ipſo enim quod riſibile conveniat individuis ratione naturæ vel ſpeciei, non convenit illis per accidens; quandoquidem immediatè connexum eſt cum eſſentia, & ex ea fluit. Sicut igitur Petrus eſt homo per ſe, ſic quoque riſibilis eſt per ſe. *Si urgeas.* Quod eſt proprium nequit eſſe commune; ergo nec univerſale. ℟. D. *ant.* Nequit eſſe commune reſpectu ejusdem termini, reſpectu cujus eſt proprium, & eodem modo. C. Nequit eſſe commune diverſo modo, & reſpectu alterius. N. Sic *riſibile* proprium eſt reſpectu ſpeciei, cum quâ convertitur; commune autem eſt reſpectu individuorum, cum quibus non convertitur.

342. *Reflexio I.* Proprium primariò convenit ſpeciei, ſecundariò & ratione ſpeciei convenit individuis vel inferioribus; ſic *riſibile* non convenit Petro, quia Petrus eſt, ſed quia homo eſt. Econtrà accidens primariò individuis, & ratione individuorum ſpeciei convenit; nam ideò homo currit, quia Petrus currit. Horum ratio eſt, eoquòd proprium

prium immediatè connexum est cum essentia tanquam radice sua, non autem accidens. II. Proprium respectu suorum inferiorum, i. e. hujus & illius risibilis, est secundum universale. III. Proprium physicum prædicatur *in concreto*, non *in abstracto*; sic benè dico: *ignis est calidus*; malè autem dicerem: *ignis est calor*. Ratio est, quia proprium physicum realiter ab essentia distinguitur. Aliter loquendum est de proprio metaphysico realiter indistincto âb essentia.

§. II.

Quid & quotuplex sit Accidens, & respectu quorum sit quintum universale.

343. *Dico 1.* Accidens in genere dicitur, quod advenit rei in suo esse substantiali constitutæ. Aliud est *separabile*, quod naturaliter, & facilè â subjecto avelli potest, sine ejus corruptione, ùt *albedo â pariete*. Aliud est *inseparabile*, quod separari â subjecto non potest, vel ægrè admodùm, sine ejus corruptione, ùt *nigredo â corvo*. Propterea tamen ejusmodi accidens non transit in proprium; quia, licèt realiter separari â subjecto non possit, quin illud destruatur, potest tamen separari per mentem, i. e. negari, quin subjecti essentia pereat. *Nec obstat*, quod hæc propositio: *Nix non est alba*, falsa sit; nam falsa tantùm est, si intendam negare albedinem inesse nivi; vera autem est, si negem albedinem pertinere ad essentiam nivis. Econtrà

proprium præscindi quidem potest, sed non negari de essentia, quin pereat saltem consecutivè. Prætereà accidens dividitur in physicum & logicum. *Physicum* sive *prædicamentale* est ens in alio, tanquam in subjecto inhæsionis. Ejusmodi accidentia sunt opposita substantiæ, collocanturque in reliquis novem prædicamentis. *Logicum* est prædicatum contingens subjecto, sivè hoc sit substantia, sive aliquid positivum, sive negativum, sive sit aliquid realiter identificatum, nostro tamen concipiendi modo superveniens alteri. *Adverte*, huc etiam revocari morbum, mortem, combustionem alicujus rei; licèt enim hæc, & similia adesse rei non possint sine corruptione essentiæ physicæ, adsunt tamen sine corruptione essentiæ metaphysicæ, quæ est âb æterno; huic enim essentiæ metaphysicæ ejusmodi accidentia nec conferunt, nec âb ea tollunt aliquid. Et hìc est sensus definitionis, quæ dicit: Accidens est, *quod potest adesse vel abesse sine subjecti corruptione.*

344. *Dico 2.* Accidens, ùt est quintum universale, est *unum aptum inesse, & prædicari de multis specie vel numero differentibus in quale contingenter.* Tò *quale* indicat accidens non esse partem essentiæ inferiorum. To *contingenter* significat accidens non necessariò inesse illi, de quo prædicatur, nec convertibiliter de illo prædicari posse; hæc duo proinde faciunt accidens differre â reliquis quatuor universalibus. Prætereà benè observes necesse est,

quod

quod hìc definiatur accidens *in concreto*, non *in abstracto*, v. g. Album, non albedinem: Nam albedo de suis inferioribus, vel albedine A. B. C. prædicatur essentialiter, & ùt species; de subjectis vero prædicari in recto non potest; malè enim diceres: *Paries est albedo*, bene autem sic: *Paries est albus.*

345. *Dico 3.* Accidens commune est quintum universale respectu subjectorum, quibus inest, v.g. *album* respectu *nivis*, *lactis* &c. *Ratio est*, quia respectu horum est quid superius, & contingenter de illis prædicatur. Si enim prædicetur accidens de inferioribus directis, v. g. Nigredo de hac & illa nigredine, non prædicatur contingenter, ùt modò suprà observatum est; si verò accidens ùt sic prædicetur de speciebus, v. g. *color* de *albedine* & *nigredine*, rursus non prædicatur contingenter, sed *in quid incompletè*, & ùt genus; igitur non nisi respectu subjectorum, sive inferiorum indirectorum, aut denominatorum quintum prædicabile esse potest.

346. *Obj.* Accidens est ens in alio; ergo necessariò inest subjecto, & potiùs proprium, quàm accidens respectu subjecti dicendum est. R. D. *Cons.* Necessariò inest subjecto, quantùm est ex parte accidentis. C. quantùm est ex parte subjecti. N. Ad proprium autem strictè tale requiritur, ut subjecto conveniat necessariò tam ex parte sui, quàm ex parte subjecti essentialiter sumpti. *Inst. 1.* Accidens non inest subjecto per identitatem; ergo re-

ſpectu ſubjecti nequit eſſe quintum prædicabile. R. D. *ant.* Accidens *in abſtracto*, ſive *quoad obliquum* non ineſt per identitatem. C. *in concreto*, ſive *quoad rectum*. N. *Inſt. 2.* In reliquis univerſalibus eſt adæquata identitas; ergo etiam in accidente talis ſit, neceſſe eſt. R. N. *Conſ. diſp. eſt*, quia reliqua univerſalia ſunt prædicata rei metaphyſica, realiter indiſtincta; hinc in ſenſu reali & in concreto, & in abſtracto prædicari poſſunt. Econtrà in concretis accidentalibus phyſicis forma importata in obliquo realiter â ſubjecto diſtinguitur. *Inſt. 3.* Accidens in concreto non eſt quid abſtractum â ſubjectis, de quibus prædicatur; ergo reſpectu illorum non eſt univerſale. R. D. *ant.* Non eſt quid abſtractum â ſubjectis inhæſionis. C. â ſubjectis contractionis. N. h. e. nequit concipi *album* v. g. ſine ſubjecto, concipi tamen poteſt absque *hoc & illo* ſubjecto; ſicut concretum *homo* dicit quidem ſubjectum humanitatis, non dicit autem *hoc vel illud* ſubjectum determinatè. *Inſt. 4.* Album v. g. abſtrahitur tantùm âb hoc & illo albo, & non â Pariete, lacte &c.; ergo non abſtrahitur â ſubjectis. R. D. *ant.* Album, ùt eſt ſecundum univerſale, abſtrahitur âb hoc & illo albo formaliter tali. C. ùt eſt quintum prædicabile N. Sic enim præſcinditur â ſubjectis, quibus albedo contingenter ineſt. *Inſt. 5.* Album non abſtrahitur v. g. â nive, ùt ſubjectum eſt, ſed ùt alba eſt; ergo ùt quintum prædicabile abſtrahitur âb albo formaliter tali. R. D. *ant.* ùt alba eſt

mate-

materiáliter & *denominativè*, sive ùt contingenter albedinem habet. C. ùt alba est formaliter. N. Sic pariter accidens in concreto, & ùt quintum prædicabile, prædicatur de hoc & illo albo, ùt *materialiter* album, & subjectum albedinis est, non autem ùt *formaliter* album est, sic, ut albedo sit subjectum ejusmodi prædicationis; sic enim prædicaretur ùt species. *Inst. 6.* Accidens in concrero non est res unius naturæ, quia dicit substantiam sive subjectum, & accidens; ergo nequit esse universale. R. N. quòd absolutè ad universale requiratur, ùt sit res unius naturæ. vid. Dialect. Tract. 1. P. 1. cap. 1. *de Universali.* fol. 33. n. 10. & 11.

ARTICULUS VI.

De Termino ultimo in linea prædicamentali, sive de Individuo.

DOctrinam de individuo utilem, & nullatenus prætermittendam esse, judicârunt nullo non tempore ii, qui inter Philosophos & famam, & laudem consecuti sunt immortalem. Sive enim (antiquiores lubens prætereo) S. Augustinos, sive D. Thomas, sive Scotos, sive Suaresios, aliósque benè multos, etiam recentiores pervolvas, ea, quæ ad individui notitiam faciunt, non obiter modò, sed summâ industriâ elaborata âb iis conscriptáque esse deprehendes. Hos imitaturus, de individuo breviter hìc agam, illóque materiam de universalibus concludam, quod totius prædicamenti finis est.

§. I.

§. I.

Quid & quotuplex sit individuum, & quodnam sit principium individuationis?

347. *Dico 1.* Individuum vel est physicum, & primointentionale, vel logicum, & secundointentionale. *Physicum* â Porphyrio describitur sic: *Quod proprietatibus constat, quarum collectio nunquam in alio erit eadem.* Eas autem proprietates intelligit, quæ versu n. 251. citato comprehenduntur. Verùm cùm ejusmodi proprietates, & circumstantiæ non sint ipsa formalis ratio individuationis, ùt dictum est numero modò allegato, hinc plerique Authores magìs probant definitionem D. Thomæ *p. 1. q. 29. a. 4.* ubi ait, quod individuum sit *indivisum in se*, h. e. unum, quod dividi nequit in plura talia, quale est ipsum. *Logicum* est ipsum individuum physicum, ùt subsìtans conceptui logico, â quo accipit denominationem individui. Hoc rursus duplex est: *Subjicibile*, quod subest speciei; & *Prædicabile*, quod de uno solo prædicari potest. Reliquas individui divisiones vide in *Dialect.* vulgata fol. 35. De *individuo vago* hæc duo solùm adhuc observes velim: 1. *Individuum vagum formaliter* tale non datur â parte rei; quidquid enim â parte rei existit, determinatè existit: igitur individuum ex eo tantùm dicitur vagum, quòd intellectus aliquid in se determinatum cognoscat modo indeterminato, ita, ut vi hujus cognitionis non sciat, an sit determinatè Petrus,

trus, vel Paulus. Datur tamen â parte rei *materialiter*, quia verificatur per aliquid existens â parte rei. 2. Hoc individuum non est universale; exprimit enim singularitatem, &, licèt de pluribus prædicetur, non verificatur tamen in pluribus, sed in uno tantùm; hinc non *distributivè*, ùt universale requirit, prædicatur, sed *disjunctivè*. *Nec inferas* ex his, quod ergo falsa sit hæc propositio: *Aliquis homo currit â parte rei.* Nam *nego illat.* Cùm per ejusmodi propositionem non significetur, cursum indeterminatum hominis indeterminati esse â parte rei; sed cursum, & subjectum currens indeterminatè cognosci.

348. *Dico 2.* Res constituitur *intrinsecè* in ratione individui per suam entitatem, proùt est incommunicabilis ad plura entia completa, quæ sint adæquatè id, quod est ipsa. Est sententia D. Thomæ. Nam p. 1. q. 29. a. 1. in ⊙ sic habet: *Substantia individuatur per se ipsam.* Colligitur etiam ex illius definitione individui suprà *n. 347. cit.* *Ratio* conclusionis est, quia nulla res esse potest hæc sua res per aliquid â se distinctum; ergo ipsa rei entitas est hæc sua res. *Confir.* Res quælibet â sua entitate *intrinsecè* habet, quod sit; ergo etiam âb ea habet, quod *hæc res* sit. Plura hìc si desideres inspice P. Lingen.

349. *Observa.* Ubi D. Thomas huic secundæ conclusioni videtur contrarius, v. g. quando dicit, rem individuari per materiam quantitate,

titate, & diversis accidentibus signatam, commodè explicari potest de principio individuationis *extrinseco*, *arguitivè tali*, & *quoad nos*, qui rerum essentias intuitivè non videmus, sed eas per accidentia discernimus.

§. II.

Utrùm âb Individuis abstrahi possit ratio communis & univoca?

350. *Dico.* Potest abstrahi. *Ratio est.* Quia omnia individua conveniunt in hoc, quòd sint individua, quòd sint indivisum in se, quòd de uno solo prædicari possint &c. Sicut plures homines conveniunt in hoc, quod sint animal rationale. *Adverte*, hanc conclusionem intelligendam tantùm esse de individuis *inadæquatè* spectatis, sive quatenùs præcisè individua sunt. Quodsi verò individua *adæquatè* spectentur, sive ùt sunt hoc numero individuum, illud numero individuum v. g. Socrates, Plato &c. Sic abstrahi âb illis ratio communis non potest, quia ratio individui â Socrate quà tali abstracta non nisi de uno Socrate prædicari potest. *Confirmant* superiorem conclusionem S. Thomas p. 1. q. 30. a. 4. in ⊙. ubi docet, quod τὸ *Persona* sit conceptus communis respectu personarum divinarum. Joannes â S. Thoma, Hurtadus, qui *Disp. 5. Log. Sect. 7.* asserit, quòd hanc sententiam affirmet *major ac melior Philosophorum pars.*

351. *Obj.* Idem nequit esse ratio formalis conveniendi & disconveniendi; sed individua-

tio

tio est ratio formalis disconveniendi; ergo nequit esse ratio conveniendi, & universale. R. D. *min.* Individuatio contracta est ratio formalis disconveniendi. C. Individuatio abstracta. N. Petrus formaliter differt â Paulo per hoc, quod sit *hoc individuum*, Paulus sit *illud individuum*; at non differunt inter se per hoc præcisè, quod quilibet eorum sit individuum. Ex his colligis, quod idem possit esse ratio formalis conveniendi, & disconveniendi *sub diverso conceptu*. *Si ais.* Nequit homo per differentiam specificam, nimirùm *rationale*, convenire cum bruto & disconvenire; ergo nec Petrus per differentiam individualem poterit convenire & disconvenire cum Paulo. R. N. *Cons. Disp* est, quia brutum nec nomen, nec rationem nominis per rationale importatam participat. Econtrà Petrus & Paulus participant idem nomen individui, & eandem hujus nominis rationem, cùm quilibet sit indivisus in se &c. *Si postules* ad quod universale pertineat ejusmodi ratio âb individuis abstracta? R. reducitur ad *Proprium*, cùm sit unum aptum prædicari de pluribus specie vel numero differentibus in quale necessariò, ùt si dicam: *Petrus est individuum*, *Paulus est individuum*, *Bucephalus est individuum*. In his autem prædicationibus: Hoc *individuum est individuum*, *illud individuum est individuum*, ad speciem reducitur &c.

352. *Obj. 2.* Si âb individuis abstrahi possit ratio communis, ergo etiam abstrahi poterit

terit ab hæcceitatibus; consequens admitti non potest; ergo nec antecedens. *Prob. Sequel.* Etiam hæcceitates conveniunt in hoc, quod sint hæcceitates; ergo âb iis quoque abstrahi poterit ratio communis hæcceitatis ùt sic. R. cum P. Lingen: Poteris id omninò facere toties, quoties tibi placuerit, modò tibi, tuoque cerebro nullum afferas nocumentum quod lædere in ejusmodi materia, quæ plus speculationis, utilitatis verò nihil, aut certè parum admodùm habet, nemo æqui bonique consulet. *Si postules*, quid ergo abstrahatur in hoc casu, & â quo? R. abstrahitur ratio individuationis, quam actus attingit, ab hæcceitate individuationis, quam relinquit intactam. *Si inferas.* Ergo ratio communis individui erit universalis, & consequenter individuum erit Universale, quod implicare videtur. R. Hoc non magis implicat, quàm quòd ab hominibus singularibus abstrahi possit natura communis, quæ sit verum universale.

DISPUTATIO IV.

De Ante-Prædicamentis.

INter libros, secundùm Diogenis Laërtii computum, centum quadraginta octo, quos Aristoteles in omnem Philosophiæ partem conscripsit, ordine primus est liber, qui â græco Κατηγορέω, prædico, *Categoriæ*, sive *Prædicamenta* nuncupatur. Divisit hunc librum in partes tres, quarum primam *Protheorias*, i. e. Principia, sive *Ante-Prædicamenta*, partem alteram *Prædicamenta*, tertiam denique *Hypotheorias*, sive *Postprædicamenta* appellavit. Divisionem hanc, & ordinem Aristotelis observantes in præsenti disputatione de *Ante-Prædicamentis* agemus. Spectant autem huc potissimùm ea, quæ ad meliorem prædicamentorum intelligentiam plurimùm conferunt, ùt sunt *Univoca*, *Æquivoca*, *Analoga*, *Denominativa*, *Concreta* &c. quæ in sequentibus articulis explicabimus.

ARTICULUS I.

De Univocis, Æquivocis, & Analogis.

§. I.

Quid & quotuplicia sint Univoca, sive Synonima?

353. DIco 1. *Univoca dicuntur, quorum nomen commune est, & ratio substantiæ nomini accommodata eadem est.* Ita Arist. *in Ca-*

teg. cap. 1. *Dicitur* 1mò *Quorum nomen commune eſt.* i.e. Univoca idem debent habere nomen, v. g. *Petrus* & *Paulus* Univoca ſunt, cùm iis tribuatur idem nomen *Homo.* *Dicitur* 2dò *Ratio ſubſtantiæ nomini accommodata.* Per τὸ *Ratio ſubſtantiæ* intelligitur conceptus rei eſſentiam exprimens. Per τὸ *Nomini accommodata* indicatur, quòd ratio ſubſtantiæ debeat ſignificari per ipſum nomen, quod pluribus commune eſt. *Dicitur* 3tiò *Eadem eſt;* quia ad univoca non ſufficit, ut habeant Unitatem nominis; hoc enim æquivocis quoque convenit: ſed neceſſe inſuper eſt, ut habeant unitatem rationis per nomen importatæ. Sic *homo* & *brutum* Univoca ſunt, non ſolùm ideò, quòd participent idem nomen v. g. *animal*, ſed quia eadem inſuper ratio per *animal* importata eis convenit; ſi enim quæratur ex te, cur *Homo*, cur *brutum* ſit animal? ad utramque quæſtionem aptè reſpondebis: quia eſt *vivens ſenſitivum.* *Adverte* hìc, quod unitas & identitas rationis non alia ſit, quàm unitas præciſionis, quæ fit per operationem intellectûs, ùt in *Diſp. 2. de univerſ. in genere* dictum eſt.

354. *Dico 2.* Univoca alia ſunt ***Univocata***, alia *univocantia.* ***Univocata*** ſunt ipſæ res ſimiles in ratione per nomen ſignificatæ, v. g. *Petrus*, *Paulus*, & reliqua individua per τὸ *Homo* ſignificata. Hæc ipſa ex Ariſt. in præcedente concluſione definivimus, & explicavimus. ***Univocantia*** ſunt ipſa nomina, quæ pluribus in eadem ſignificatione tribuuntur, v. g. *Homo*, *Ani-*

Animal respectu suorum significatorum. Porrò alia univoca dicuntur *Participata*, suntque ipsæ rationes participatæ inferioribus, v. g. *ratio hominis* participata â *Joanne*, *Andrea* &c. Alia *Participantia* appellantur, quæ sunt ipsamet inferiora v. g. *Joannes*, *Andreas* &c., participantia ejusmodi rationes, v. g. *Hominis*. Denique alia sunt *essentialia*, alia *accidentalia*, prout ratio per nomen importata vel essentialis inferioribus est, vel accidentalis. Sic *Columba* & *paries* univocè conveniunt in ratione *albi*, sed *accidentaliter*. Econtrà *Homo* & *Equus* conveniunt univocè in ratione *animalis*, sed *essentialiter*.

355. *Obj.* Univoca debent esse ejusdem substantiæ; sed *Columba* v. g. & *paries* significata per τὸ *album* non sunt ejusdem substantiæ; ergo nec sunt univoca. ℟. D. *maj.* Debent esse ejusdem substantiæ, h. e. debent habere identitatem substantiæ *simpliciter*. N. h. e. debent habere identitatem substantiæ *nomini accommodatæ*, sive similitudinem & convenientiam in ratione per nomen significatâ. C. Nimirùm ad hoc, ut *Columba* & *paries* sint univoca univocata respectu *albi*, necesse non est, ut *Columba* sit ejusdem omninò substantiæ, cujus est *paries*; sed sufficit, quòd in ratione per τὸ album significatâ conveniant. *Si ais*: *Album* est accidens in concreto; sed hoc nequit dici univocè de suis inferioribus, cùm non sit terminus simplex; quandoquidem formam simul significat, & subjectum; ergo.

℟. N. *min.* Ad rationem additam dico; quòd τὸ *album* sit *voce* saltem terminus simplex, quod hìc sufficit; vox enim propriè Univoca dicitur, res autem univocata. *Si reponas:* Ex data definitione univocorum sequeretur, quòd etiam τὸ *Petrus* sit Univocum; cùm pluribus tribuatur ob eandem rationem, v. g. quia nati sunt in festo S. Petri. ℟. N. sequel. Rationem additam D. tribuitur pluribus ob eandem rationem, quæ per nomen, *Petrus*, exprimitur. N. quæ se habet merè per accidens. C.

356. *Observa I.* Idem terminus & univocus, & æquivocus esse potest diverso respectu, ùt videre est in voce *canis*, quæ, si sumatur secundùm significationem inadæquatam, v. g. *pro animali latrabili*, est Univoca respectu hujus & illius canis terrestris; æquivoca verò respectu canis terrestris v. g. & marini, si secundùm adæquatam significationem sumatur, prout nimirum *animal latrabile*, & *natabile* &c. significat. II. Univoca *Univocantia* sunt idem cum *univocatis*, si spectentur *materialiter*; idem verò non sunt, si sumantur *secundùm modum concipiendi.* Sic *Homo* v. g. materialiter est idem cum Petro & Paulo; verùm secundùm modum concipiendi abstrahit, an sit idem cum Petro & Paulo, nec ne. III. Terminus univocus non est necessariò strictè universalis, ùt patet in voce *Deus*, quæ tribuitur pluribus personis in eadem significatione, quin sit strictè universalis. Ex quo colligis terminum univocum, & universalem esse terminos

minos magìs & minùs communes. IV. Vox univoca, quæ communis dicitur, debet esse invariata quoad *syllabas, accentum, quantitatem* &c. aliàs non manet eadem vox. Hinc *Populus* v.g. respectu *arboris*, & *multitudinis* non est vox communis; dum enim arborem significat, primam producit; dum verò multitudinem denotat, primam corripit.

§. II.

Quid sint Æquivoca sive Homonyma, quid Analoga?

357. *Dico 1.* Arist. *in Categ. cap. 1.* æquivoca sic definit: *Æquivoca sunt, quorum nomen solùm commune est, ratio verò substantiæ, nomini accommodata diversa. Explico.* Per τὸ *Nomen commune* intelligitur nomen *materialiter* acceptum, secundùm materialem sonum, quantitatem, genus &c. Si enim *formaliter* pro significatione accipitur, non erit unum nomen, nec commune, quandoquidem duplicem habet significationem. Per Verba hæc: *Ratio substantiæ nomini accommodata diversa* indicatur, quod ratio per tale nomen significata diversimodè inesse debeat iis, quibus nomen tribuitur. Sic *Gallus* dicitur æquivocum respectu *hominis Galli*, & respectu *Galli avis*; cùm his ratio per nomen, *Gallus*, significata diversimodè insit. Adverte, hìc rursùs definita fuisse âb Aristotele *Æquivoca æquivocata*, sive ipsas res, quibus nomen commune sub diversa ratione tribuitur; *Æquivocum* autem *æqui-*

vocans dicitur ipsum nomen, quod pluribus tribuitur sub diversa ratione, per ipsum importatum.

358. *Obj.* Quæ non sunt univoca, Unicâ definitione definiri non possunt; sed æquivoca non sunt univoca; ergo. R. D. *maj.* Quæ non sunt univoca, nec *directè*, nec *reflexè* non possunt definiri unicâ definitione. C. quæ non sunt univoca *directè*, sunt tamen reflexè. N. Æquivoca autem, si *reflexè* sumantur, sunt univoca, h. e. hic terminus *Æquivocum ùt sic*, respectu omnium æquivocorum in particulari, est *reflexè* terminus univocus; quia iis tribuitur in eadem significatione. *Si ais.* Æquivoca secundùm essentiam sunt plura; ergo unicâ definitione nequeunt definiri. R. D. *ant.* Sunt plura, si *materialiter* spectentur. C. si *formaliter*. N. sic enim spectata Univocè conveniunt in hoc, quod sint æquivoca. *Si reponas:* Æquivoca habent nomen multiplex, quia participant nomen, plures habens significationes; ergo definiri nequeunt. R. N. *ant.* Quod nec addita ratio sufficienter probat: licèt enim significationes sint formæ nominis, propterea tamen ipsum nomen non multiplicant; cùm concreta non semper multiplicentur multiplicatis formis, ùt in sequenti articulo fusiùs tradetur.

359. *Dico 2.* Ἀναλογία secundùm ipsam vocem indicat quandam plurium inter se proportionem; *Proportio* autem similitudo rationum dicitur. Per τὸ *Ratio* ad mentem Euclidis

dis intelligitur hìc mutua plurium quantitatum ejusdem generis ſecundùm quantitatem habitudo. v. g. *Habitudo trium ad ſex, dimidii ad duplum.* A quantitate ad ſubſtantiam aliásque categorias â Philoſophis tradućta eſt proportio; â quibus *Analoga* communiter ſic definiuntur: *Analoga ſunt, quorum nomen commune, & ratio ſubſtantiæ nomini accommodata partim eadem, partim diverſa.* Quatenus eandem habent rationem, cum univocis; quatenus verò habent diverſam, cum æquivocis conveniunt. Terminus qui tribuitur pluribus ſub ratione non omninò eâdem, nec omninò diversâ, ſive (ùt P. Du Trieu *in Dialect. fol. 17.* inquit) uni *propriè*, & *primariò*, alteri verò *impropriè*, & *ſecundariò*, dicitur *Analogus analogans*, ùt *homo* reſpectu hominis veri, & picti: illa autem quibus tribuitur, dicuntur *Analoga analogata.* Analoga dividuntur prætereà in analoga *Proportionis*, & *Attributionis.*

Analoga attributionis ſunt, *quorum nomen commune eſt, ratio verò per nomen ſignificata in uno eſt intrinſecè, & formaliter, in aliis verò extrinſecè, & per reſpectum ad aliud, cui ineſt formaliter.* Hæc dicuntur âb Ariſtotele *Analoga ab uno*, vel *ad unum.* Allatam definitionem ut pleniùs intelligas, accipe exemplum: Τὸ *ſanum* v. g. dicitur de *animali*, *medicinâ*, *colore*, *deambulatione* &c. igitur hæc dicuntur habere nomen commune, ſcilicet τὸ *ſanum*; Ratio autem per hoc nomen ſignificata, nimirùm *ſanitas*, *intrinſecè*, & *formaliter* eſt in ani-

animali, quod propterea *primarium analogatum* dicitur: in reliquis verò *extrinsecè* tantùm est, & per ordinem ad animal. Nam *medicina* ideò sana appellatur, quòd animali efficienter sanitatem restituat; *deambulatio*, quòd eam conservet; *color*, quod illam indicet. Hinc *sanitas* omnibus quidem analogatis communis est, diverso tamen modo; ad *animal* enim pertinet, ùt forma ad subjectum; ad *medicinam*, & *deambulationem*, ùt effectus ad causam; ad *colorem*, ùt res significata ad signum, quæ tres habitudines sunt diversæ. *Adverte* Sanitas dicitur esse *extrinsecè* in reliquis, & secundariis analogatis, qualia sunt *medicina*, *color* &c. non ideò, quòd hæc nullam habeant virtutem intrinsecam aliquid conferendi ad primarium analogatum, quale hìc est *animal*; medicina enim per virtutem sibi intrinsecam sanat; sed ideò, quòd *sanitas* formaliter accepta in animali duntaxat tanquam in subjecto sit intrinsecè.

Analoga proportionis sunt, *quorum nomen commune est, ratio verò per nomen significata simpliciter diversa est, eadem tamen secundùm proportionem.* E. g. *Pes* respectu mensæ & hominis est analogum proportionis; sicut enim se habet pars infima hominis ad hominem, quem sustentat; sic pars infima mensæ se habet ad mensam, quam sustinet, qui modus, quo de utroque pes affirmatur, proportio vocatur. De his duobus Analogis natum est hoc apud Philosophos axioma: *Analogum*

logum pro se sumptum stat semper pro famosiore analogato. v. g. *Pes* pro homine, *sanum* pro animali. His analogis addunt Thomistæ tertium analogorum genus, scilicet *analoga inæqualitatis*, quæ sic definiunt: *Quorum nomen commune est, & ratio per nomen significata omninò eadem, inæqualiter tamen participata âb analogatis ob differentias.* Tale est v. g. *Animal* respectu *hominis*, & *bruti*; homo enim est perfectius animal, quàm brutum. Verùm ejusmodi analoga videntur potiùs esse univoca, quàm strictè analoga; quia inæqualitas ex differentiis orta, non significatur per ipsum nomen commune. Adde, quòd admissis ejusmodi analogis vix ulla darentur univoca, quandoquidem differentiæ contrahentes genus plerumque quoad perfectionem sunt inæquales.

360. *Quæres.* An æquivocatio detur in mente? R. 1. cum Soto *cap. 4.* cum Casilio *lib. 1* cap. 3. & aliis communiter, quòd æquivocatio propriè non detur in mente, sed in vocibus. *Ratio est*, quia ad æquivocationem propriè talem requiritur, ut terminus æquivocans indeterminatè significare possit vel hoc, vel illud, ita, ut in mente audientis generare valeat confusionem, & dubium sensum; sed in mente alicujus sibi ipsi per conceptus loquentis nequit esse confusio, vel dubius sensus; quandoquidem conceptus formales indifferentes non sunt, ad hoc, vel illud, sub hac, vel illa ratione significandum; sed necessariò

in objecta ſua eodem modo feruntur; ergo. Accedit, quòd, licèt ſubinde eodem conceptu diverſa objecta inter ſe non connexa, & eodem nomine prolata cognoſcantur; intellectus tamen illa, quibus nomen ejusmodi applicat, diſtinctè cognoſcat; ergo hærere ambiguus non poteſt. R. 2. Si quis verò cum Compt. *Diſp 39. Log.* Sect. 1. n. 6. & cum Arriaga *Diſp. 10.* Log. Sect. 1. tueri velit, ad conceptum æquivocum ſufficere, ſi repræſentet plura, ùt plura quomodocunque, tunc utique dabitur æquivocatio in mente, ſiquidem nihil impediat, quominùs cognitio hoc modo plura repræſentare valeat; ſed hæc locutio juxta Arriagam impropria eſt.

ARTICULUS II.

De Denominativis & Concretis.

§. I.

Quid ſint Denominativa, ſive Paronyma, & quotuplicia?

361. *Dico 1.* Denominativa ſtrictè dicta juxta Ariſtotelem *de Anteprædic. cap. 1.* ſunt, *quæ âb aliquo nominis appellationem habent, ſolo differentia caſu.* h e. Denominativa dicuntur illa, quæ âb alio derivata eandem ſignificationem retinent, & ſecundùm finalem terminationem ſolum differunt. Sic *albus* derivatur âb *albedine*, â *juſtitia juſtus*, â quâ ſola finali terminatione diſcrepat. Terminus derivatus dici-

dicitur *Denominativus*; terminus â quo derivatur, appellatur *Denominans*; terminus, cui denominativus tribuitur, *Denominatus* nuncupatur. *Adverte* præterea imò τὸ *Denominatio* hìc non ſumitur pro mera nominis impoſitione, ùt ſi quis relicto nomine Pauli, aſſumeret nomen Joannis; ſed importat hìc formam afficientem quodammodo ſubjectum, illudque immutans, formalémque effectum ſuum, qui denominatio dicitur, illi communicans. v.g. ut *paries* denominetur *albus*, neceſſe eſt, ut albedo tanquàm forma afficiat parietem, illumque immutet, & ex non albo faciat album, illique tribuat ſuum effectum formalem, qui eſt denominatio albi. 2do P. Joan. Bapt. de Benedictis, & P. Heimbach ad terminum denominativum ſtrictè talem benè requirunt, ut denominationem ſuam habeat â forma accidentali, & diſtincta, ùt *juſtus* â *juſtitia*; aliàs etiam *homo* âb *humanitate* dictus, terminus denominativus foret.

362. *Dico 2.* Denominativa latiùs ſumpta, prout iis frequenter utuntur Philoſophi, ſunt illa, quæ alteri denominationem tribuunt, ſive unum derivetur âb altero ſive non. Eſt autem denominatio varia, *Phyſica*, *Metaphyſica*, *Logica*, *Intrinſeca*, *Extrinſeca*, *Phyſica*, & *Moralis*. *Phyſica* eſt, quæ habetur a forma phyſica realiter â ſubjecto vel denominato diſtinctâ; talis eſt denominatio *albi*, quæ habetur âb *albedine* â re, cui inhæret, realiter diſtincta. *Metaphyſica* eſt, quæ habetur â forma rea-

realiter â ſubjecto indiſtincta; ſic *homo* denominatur âb *humanitate* non realiter âb homine diſtincta. *Logica* præcipuè illa dicitur, quæ habetur â forma, quam Logica ſpecialiter conſiderat; ſic *Univerſale* denominatur âb univerſalitate. *Intrinſeca* eſt, quæ habetur â forma, quæ realiter eſt in ſubjecto denominato, ùt *albedo*, quæ eſt in *pariete*. *Extrinſeca* eſt, cùm forma realiter eſt extra ſubjectum, v. g. *homo viſus*. *Phyſica*, prout morali opponitur, eſt, quæ habetur â forma realiter exiſtente, absque reſpectu ad æſtimationem hominum, aut mores; talis eſt denominatio *Colorati*, *albi*, *ignei* &c. *Moralis* eſt, cujus forma vel eſt aliquid ad mores pertinens, & â libera dependens voluntate; vel non phyſicè ampliùs, ſed moraliter tantùm, & ſecundùm hominum æſtimationem exiſtit, v. g. Denominatio *Principis*, *Prætoris* &c. quæ habetur âb electione aut volitione Regis, ſeû Magiſtratûs, quæ non ampliùs phyſicè, ſed moraliter exiſtit. Item denominatio *amici*, vel *hoſtis*, quæ habetur âb amore, vel odio, quæ pertinent ad mores. Ex his inſuper colliges, denominativa non tantùm âb abſtractis, ſed etiam â concretis derivari poſſe, v. g. *veſtitum*, *igneum*, *terreum* &c. quæ â *veſte*, *terra*, *igne* derivantur, & quamvis hæc concreta formæ non ſint, ſignificantur tamen ad modum formarum.

363. *Reflexio* I. Ad denominationem tria hæc ferè requiruntur. *Forma*, *ſubjectum capax*, *& debita formæ ad ſubjectum applicatio.*

Hæc

Hæc autem applicatio vel est identitas formæ cum subjecto, ùt fit in denominationibus metaphysicis; vel est Unio intrinseca, ùt in physicis contingit; vel est connexio quædam formæ cum subjecto, aut respectus illius, & tendentia ad subjectum, qualis est plerúmque in moralibus, & denominationibus extrinsecis. II. Quando datur in rérum natura nova denominatio, quæ anteà non fuit, etiam aliqua datur mutatio, quæ fit vel per productionem, vel per rei cujusdam destructionem; quia forma tunc denominare incipit, quando incipit esse; sed non potest incipere esse, nisi per mutationem; ergo. Hinc nata sunt hæc axiomata: *Idem manens idem, semper facit idem. Nihil potest transire â contradictorio ad contradictorium sine mutatione.*

§. II.

Quid & quotuplex sit concretum?

364. *Dico 1.* Terminus concretus est, *qui significat subjectum & formam. Subjectum* dicitur id, quod accipit denominationem, vocatúrque *significatum materiale. Forma*, sive *significatum formale concreti* est id, quod denominationem tribuit. v. g. *Doctus* est concretum; in quo subjectum est res, quæ dicitur docta: Forma est doctrina, quæ rem doctam denominat.

365. *Dico 2.* Concretum aliud est *Physicum*, quod formam dicit realiter â subjecto distinctam, ùt *album.* Aliud *Metaphysicum*, cujus

cujus forma metaphysicè tantùm â subjecto distinguitur, ùt *homo*. Aliud est *Logicum*, cujus forma specialiter â Logica consideratur, ùt *Universale*, *genus* &c. Prætereà concretum dividitur in substantiale & accidentale. *Substantiale* est, cujus forma est substantia; sive nomine substantivo exprimatur, ùt *Homo*, *Lapis*; sive adjectivo, ùt *Animatum*. *Accidentale* est, cujus forma est accidens, sive substantivum sit, sive adjectivum, ùt *Dulce*, *Justum*, *Pictor* &c. Accidentale rursus est vel physicè, vel logicè accidentale. *Physicè accidentale* est, quando forma realiter essentiæ accidit, ùt *album*. *Logicè accidentale* est, quando forma logicè, vel nostro concipiendi modo essentiæ accidit, sic *risibile* accidit homini.

366. *Obj.* Quando dico: *Album quà album est disgregativum visûs*, τὸ album significat solam formam, sive albedinem; ergo non omne concretum significat subjectum & formam. ℟. D. *Conf.* Non omne concretum sumptum in ratione concreti significat subjectum & formam. N. si sumatur pro abstracto, & pro sola forma, ùt fit in data prædicatione. C. *Inst. 1.* Si concretum dicat formam, ergo vel physicam, vel logicam, vel metaphysicam; sed nihil horum dici potest; ergo. ℟. N. min. & dico, talem esse formam, quale est concretum: si hoc sit physicum, dicit formam physicam, si metaphysicum, metaphysicam, si morale moralem &c. *Inst. 2.* Sequeretur, quòd etiam terminus denominativus sit terminus concretus.

tus. R. Quid tum? *Si ais.* Denominativa, & concreta differunt definitionibus; ergo denominativa nequeunt esse concreta. R. D. *ant.* Differunt definitionibus objectivis. N. formalibus. C. Etiam *substantia* & *vivens* in homine differunt definitionibus, & tamen realiter, ac objectivè sunt idem.

§. III.

Quid concreta in Recto importent, quid in Obliquo?

367. *Nota 1.* Terminus ille importatur *in Recto*, qui exprimitur in nominativo casu, vel *formaliter*, ùt si dicam: *Petrus est homo*; vel *æquivalenter*, ùt in hâc propositione: *Materia cum forma debitè applicatâ constituit compositum*; in qua propositione etiam τὸ *cum forma* &c. *Rectus* dici potest, quia æquivalet *Recto*, & æquè sic dici potuisset: *Materia, & forma &c. constituunt compositum.* Terminus autem importatur *in Obliquo*, qui exprimitur in aliquo alio casu, ùt τὸ *Sempronii* in hâc propositione: *Filius Sempronii mortuus est.* Hic advertendum, quòd â parte rei nec *Rectus*, nec *Obliquus* detur *formaliter*; cùm formaliter proveniant â nostris conceptibus, dum rem quampiam concipimus *ùt aliquid per se stans*, & ideò per nominativum exprimimus: Aliam verò concipimus *ùt aliquid adjacens*, seû *adveniens*, & hinc eam per obliquum indicamus. Datur tamen & *Rectus*, & *Obliquus* â parte rei *fundamentaliter*, h. e. datur â parte rei in ipsis rebus fun-

da-

damentum, ſive ratio, propter quam res aliqua in recto; alia verò in obliquo importari meretur. Conſiſtit autem fundamentum hoc in connexione rei unius cum alia, ſive hæc connexio ſit identitas realis, aut ficta, ſive ſit unio phyſica, aut moralis, ſive relatio realis, vel rationis; ex quâ fit, ùt, dum res una per ſe attingitur & ratione ſuî, ſimul attingatur & altera, ad priorem pertinens, & cum illa connexa. E. g. in hâc propoſitione: *Petrus eſt doctus*, prædicatum ſignificat duo, ſcilicet *Rem habentem*, ſive ſubjectum doctrinæ, & ipſam *Doctrinam*; ita tamen, ut *Res habens* affirmetur de Petro per ſe; *Doctrina* autem concomitanter, & in obliquo propter connexionem cum Petro, quæ per datam prædicationem ſignificatur. Hinc propoſitio hæc ſic reſolvenda eſt: *Petrus eſt res habens doctrinam.*

368. *Nota 2.* Concretum ſumi poteſt vel ſpecificativè, vel reduplicativè. *Specificativè*, ſive *materialiter* aut *denominativè* ſumitur, quando illi in propoſitione prædicatum tantùm ratione ſignificati materialis tribuitur; ùt ſi dicam: *Album eſt dulce*, το *Album* ſpecificativè ſumitur, quia τὸ Dulce non prædicatur de albo ratione formæ, ſive albedinis, ſed ratione ſignificati materialis, i. e. ratione illius quod eſt album, ita, ut ſenſus ſit: *Id (ſcilicet Lac, vel Saccharum) quod eſt album, eſt dulce.* Hinc colliges, ſignum, quòd concretum ſumatur ſpecificativè, eſſe hoc: ſi in expoſitione propoſitionis adhibendum ſit Relativum *qui*,

qui, *quæ*, *quod*. *Reduplicativè* concretum sumitur, quando per particulas reduplicantes (quales sunt *ùt*, *prout*, *quà*, *quantùm* &c.) illud designatur, ratione cujus prædicatum specialiter convenit subjecto. v. g. *Ignis ùt calidus urit*, *Album quà dulce sapit*. Quibus loquendi modis indicamus, cur ignis urat, nimirùm quia calidus, & cur album sapiat, nempe quia dulce. Quoniam verò ipsæ etiam particulæ reduplicantes in sensu specificativo quandoque usurpantur; hinc ad dignoscendam reduplicationem strictè talem Haunoldus *in Log. Pract. p. 1. cap. 1.* tradit sequentes regulas. *Prima est.* Particula reduplicans habet sensum reduplicativum, sive designat rationem, propter quam prædicatum subjecto conveniat, quando prædicatum vel ad conceptum, vel saltem ad integritatem illius pertinet, quod reduplicatur; v. g. *Christus, quà homo, est rationalis*, in qua prædicatione τὸ *Rationale* est de conceptu hominis. Vel *Christus, quà homo, habet manus, pedes*; ubi *pedes*, *manus* ad integritatem hominis pertinent. Proinde sensus harum propositionum est: *Humanitas Christi est rationalis*; *Humanitas Christi habet pedes* &c. *Secunda regula est.* Particula reduplicans habet sensum reduplicativum, si id, quod reduplicatur, est causa, vel radix prædicati; v. g. *Homo quà Logicus artificialiter discurrit. Homo in quantùm rationalis videt.* Huc etiam spectant illæ propositiones, in quibus particula reduplicativa designat solam conditionem; v. g. *Ignis*

ùt approximatus urit. Item illæ, in quibus particula reduplicans denotat rationem *ſub qua*; v. g. *Operationes mentis quà dirigibiles ſunt objectum materiale Logicæ.* Item illæ, in quibus reduplicatio ſignificat motivum; v. g. *Deus quà bonus amatur. Tertia regula eſt* Particula reduplicativa ſenſum ſpecificativum habere poteſt, quando deſignat tantùm non repugnantiam prædicati cum ſubjecto, ùt ſi dicam: *Homo quà juſtus venialiter peccare poteſt*; ubi ſenſus non eſt hic: *Juſtitia hominis peccare poteſt*; ſed hic: *Juſtus homo peccare poteſt, quin perdat juſtitiam.* Porrò particula reduplicativa ſenſum ſpecificativum habet, quando prædicatum ſubjecto non convenit ſimpliciter, ſed tantùm ſecundùm quid, vel ſaltem accidentaliter duntaxat. v. g. *Æthiops in quantùm dentatus eſt albus: Chriſtus quà homo eſt albus, vel veſtitus &c.*

369 *Dico 1.* Concretum, ſi *ſpecificativè*, aut *denominativè* ſumatur, in recto dicit id, quod in ejus reſolutione ſe habet per modum recipientis, ſive ſtantis & habentis; in obliquo verò importat id, quod ſe habet per modum recepti, habiti, aut advenientis, quod ſignificatur aliquo modo connexum cum eo, cum quo fit identificatio. v. g. Hæc propoſitio: *Corvus eſt niger*, ſic reſolvitur: *Corvus eſt res habens nigredinem*; in qua reſolutione *Res habens* tanquam aliquid recipiens importatur in recto: *Nigredo* verò utpote receptum importatur in obliquo, & non identificatur cum corvo;

vo; sed per prædicatum significatur connecti aliquo modo, & pertinere ad rem habentem. *Ratio est*, quia ad id, quod se habet per modum stantis, aut subsstrati, primò & per se cognitio terminatur; id quod significare recti est. Illud verò, quod se habet per modum advenientis, dicitur terminare intuitum mentis obliquum, consequenter exprimitur per obliquos, quorum est rem significare ùt alteri adjacentem.

370. *Ex his inferes*, quòd concreta tum accidentalia, tum substantialia, sive substantiva sint, sive adjectiva, si sumantur *specificativè*, in recto importent subjectum, in obliquo formam, *saltem in purè creatis*. Hinc concreta hæc: *Album*, *Rationale*, *Homo* &c. Sic resolves: *Res habens albedinem*, *Res habens rationalitatem*, *Res habens humanitatem*. &c. *Si dicas 1*, quòd *rationalitas*, & *humanitas* realiter veniant in recto; R. Veniunt quidem realiter in recto, sed ùt subjecta, non autem ùt formæ, cùm sint tantùm formæ metaphysicæ. Verum proinde manet, quod subjecta in his etiam concretis veniant in recto, formæ autem in obliquo. Eodem modo hoc concretum, *Deus*, resolves sic: *Res habens Deitatem*. Licèt enim Deitas realiter sit ipse Deus, cùm in Deo compositio realis implicet; tamen non est ipse Deus formaliter, ex suppposito, quod compositionem rationis in Deo admittas. Si verò & hanc in Deo negare velis, Deus tamen terminus concretus manet, non quidem se-

cundùm rem significatam; sed secundùm modum significandi; quandòquidem τὸ *Deus* non significat per modum formæ, sicut τὸ *Deitas*. *Si dicas 2*, quòd *Humanitas* significet compositum ex corpore & anima, adeóque sit terminus concretus. R. Licèt significet compositum, i. e. rem compositam; non tamen significat modo composito. Adhæc τὸ *Homo* non ideò terminus concretus est, quia compositum ex corpore & anima significat; sed ideò, quia significatum ejus metaphysicum est humanitas; vel certè ideò, quia in consideratione physicâ in recto dicit naturam, ùt subjectum, in obliquo subsistentiam, ùt formam.

371. Dixi supra, *saltem in purè creatis*. Quamvis enim conclusio n. 369. posita de concretis etiam non purè creatis intelligi possit; Philosophus tamen consultiùs ea, quæ ad mysterium Trinitatis, & Incarnationis spectant, Theologis enucleatiùs discutienda relinquit. Ut tamen advertas, quid in ejusmodi concretis juxta citatam conclusionem importetur in recto, & quid in obliquo, propositiones quasdam unà cum suis resolutionibus subjungo. 1ma est: *Deus est unus*. Hanc sic resolves: *Natura divina habens tres personalitates est una*. 2da est: *Deus est Trinus*. Hæc sic resolvitur: *Personalitates habentes naturam divinam sunt tres*. 3tia est: *Deus est homo*. Hæc resolvenda est in hunc modum: *Suppositum habens Deitatem est suppositum habens humanitatem* &c. In his resolutionibus vides, jam naturam, jam sup-

ſuppoſitum importari in recto, prout nimirùm jam hæc, jam illud ſe habet per modum ſtantis, vel habentis, id quod colligitur ex ratione formali, propter quam in ejusmodi propoſitionibus prædicatum convenit ſubjecto. Ita ferè Arriaga, Joan. de Benedictis, Caſilius &c.

372. *Dico 2.* In concreto *reduplicativè* ſumpto illud importatur in recto, quod per particulam reduplicantem volumus expreſſius deſignare tanquam illud, propter quod prædicatum ſubjecto convenit. Hinc fieri poteſt, ut modò ſubjectum, modò forma, modò utrumque ſignificetur in recto, prout nimirum exigit propoſitionis veritas. Ecce tibi exempla. 1. Si dico: *Bonum ùt cognitum amatur*, in recto importatur ſubjectum; nam cognitio non eſt id, quod amatur; ſed per reduplicationem ſolùm indicatur, quòd bonum, ut ametur, cognoſci debeat. 2. Dum dico: *Peccatum ùt agnitum placet Deo, Album ùt album diſgregat viſum*, in recto importatur forma; nam non placet Deo ipſum peccatum, quod agnoſcitur, nec ſubjectum albedinis diſgregat viſum; ſed Deo placet agnitio, & viſum diſgregat albedo. 3. Dum dico: *Album ùt album eſt compoſitum accidentale*, & ſubjectum & forma importatur in recto; quia nec ſubjectum ſolum, nec ſola forma eſt compoſitum, ſed ſubjectum & forma unita. Econtrà dum dico: *Album ùt album eſt concretum*, in recto importatur ſubjectum, in obliquo forma, dataque propoſitio

sic resolvenda est: *Res ùt habens albedinem est concretum.* Ex hoc advertes discrimen concretum inter, & compositum: Compositum enim non est sola forma, nec solum subjectum, nec res habens formam; sed est res, & forma unita; quia in recto importat omnes partes suas; concretum verò unum dicit in recto, scilicet subjectum, alterum verò nempe formam in obliquo, id quod est de essentia concreti, prout concretum est, ùt inquit Dicastillo *De Sacram. Disp. 1. n. 323.*

373. *Obj.* Concretum indifferens est, ut vel formam vel subjectum in recto dicat; cùm nihil exigat subjectum præ forma importari in recto; ergo malè dicitur, quod concretum in recto necessariò dicat subjectum, in obliquo formam. R. N. *ant. cum ejus probat.* Nam veritas propositionum exigit, ut id, quod in resolutione se habet per modum stantis, vel habentis, ponatur in recto; id verò, quod se habet per modum advenientis, vel habiti proferatur in obliquo. Sic ut vera sit hæc propositio: *Paries est albus*, nequit importari in recto *albedo*, ita, ut sensus sit: *Paries est albedo*; sed debet importari in recto subjectum, & dici: *Paries est res habens albedinem. Si ais:* Forma non est de essentia concreti; ergo non benè definitur in ordine ad formam. R. D. *ant.* Non est de essentia concreti *materialiter* accepti. C. *Formaliter*, & *adæquatè* spectati. N. *Si urgeas:* In hac propositione: *Corvus est niger*, concretum materialiter sumptum est *Corvus;*

vus; sed de essentia corvi est forma, sive nigredo; ergo forma est de essentia concreti etiam materialiter accepti. *Prob. min.* Prædicatum in propositione affirmativa vera debet esse idem cum subjecto; ergo pariter nigredo, quæ venit ex parte prædicati, erit idem cum subjecto, & consequenter de ejus essentia. R. D. *ant. probat.* Prædicatum debet esse idem saltem quoad rectum. C. etiam quoad obliquum, qui hìc est nigredo. N.

§. IV.

Quomodo concreta multiplicentur, & de se invicem, nec non de abstractis prædicari possint?

374. *Dico 1.* Concreta multiplicantur multiplicato recto. Ita Authores communiter. *Ratio est*, quia concreta supponunt pro rectis; ergo his multiplicatis, ipsa quoque concreta multiplicari necesse est. Ita Casil. *Summul. lib. 1. cap. 4 n. 24.* Joan. de Benedictis. *lib. 2. cap. 3. sub finem.* Ex his colliges, quòd, si ponerentur *tres albedines* in uno subjecto, non forent *tria alba*; sed subjectum appellandum potiùs foret *ter album*: quia non multiplicaretur id, pro quo concretum supponit. Econtrà si *eadem albedo* in tribus poneretur subjectis, essent *tria alba*, ob rationem oppositam; quamvis illa tria alba inadæquatè idem essent, nimirùm quoad obliquum. Sic pariter Christus est unum tantùm concretum, licet duæ sint in eo naturæ; econtrà si tres Personæ divinæ eandem assumerent humanitatem, tres essent ho-

mines, id quod Nominales, Marsilius, Gabriel, Cajetanus, Medina, Joan. de Benedictis defendunt. Si verò D. Thomam *3. p. q. 3. a. 6. ad 1.* & Suaresium *Tom. 1. in 3. p. Disp. 13. Sect. 2. & 3.* sequi velis, dices, quòd, in casu, quo tres Personæ eandem assumerent humanitatem, unicus tantùm foret homo, sicut tres Personæ eandem habentes naturam divinam sunt unus Deus. Quæ posterior sententia ab Authoritate fortè firmior est; Prior autem Uniformiter magis multiplicationem concretorum explicat.

375. *Dico 2.* Concreta tum de se invicem, tum de abstractis prædicari possunt sequentibus modis. I. Concreta physica de physicis, & metaphysica de metaphysicis rectè prædicantur in sensu reali, & specificativo. v. g. *Album est dulce; Homo est animal. Ratio est*, quia est identitas inter rectos; id quod ex resolutione dictarum propositionum facilè intelliges; faciunt enim hunc sensum: *Res habens albedinem, est res habens dulcedinem. Res habens humanitatem, est res habens animalitatem.* II. Abstracta physica de physicis malè prædicantur. Sic malè dico: *Albedo est dulcedo. Ratio est*, quòd has inter formas identitas non detur, sed tantùm Unio. Excipiuntur abstracta superiora, quæ de abstractis inferioribus benè prædicari possunt. v. g. *Albedo est color, color est qualitas. Ratio est*, quia albedo in colore, color in qualitate ceû genere identicè includitur. III. Abstracta metaphysica de metaphysi-

physicis in sensu reali bene prædicantur, non autem in sensu formali. Sic benè dicitur: *Rationalitas Petri realiter est animalitas Petri:* malè autem sic diceretur in sensu formali, cùm rationalitas non sit formaliter animalitas. Excipiuntur hìc rursus abstracta metaphysica superiora, quæ etiam in sensu formali de inferioribus benè prædicantur. Sic benè dico: *Petreitas formaliter est humanitas*, cùm Petreitas nil aliud sit, quàm hæc singularis humanitas. IV. Concreta physica malè prædicantur de abstractis physicis, & viciſſim. Sic falsa est hæc prædicatio: *Album est albedo.* Si autem sint concreta metaphysica, verè prædicari possunt, saltem in sensu reali. v. g. *Animalitas realiter est animal.* Plura de his si desideres, Consule. P. Channevelle. *Part. 2. Log. Disp. 2. append. ad art. 5.* P. Haunold. & Aler.

ARTICULUS III.

Variorum adhuc Terminorum Explicatio.

MEns non est, distinctionum terminos hìc denuò vocare ad examen, qui suis locis partim explicati jam sunt, & adhuc explicabuntur: Nec ea pluribus hìc prosequar, quæ de reliquis termini divisionibus ex pervulgata Dialectica Tyronibus Philosophis prælegi, & & præambulis exercitationibus explicari, inculcarique solent. Sed suppositis iis, quæ â studii philosophici exordio de terminis agitantur, illos hìc terminos per quæstiones quasdam

explicabo, quorum notitia maximè necessaria, & ad præsens institutum plurimùm inservit.

376. *Quæres 1. Quid sit Terminus Primò-, quid Secundò Intentionalis?* R. *Terminus Primò-Intentionalis*, sive *Primæ intentionis* est, qui significat rem secundùm suum esse, quod habet in se, absque cognitione logica, quæ â cognitione logicè artificiali superveniat. Perinde autem est, sive significet rem strictè talem, & extra intellectum existentem, sive cognitionem, sive positivam, & veram, sive negativam & fictam. Termini ejusmodi sunt *Equus*, *Homo*, *Cognitio*, *Tenebræ*, *Negatio*. *Terminus secundò-Intentionalis*, sive *secundæ Intentionis* est, qui significat rem ùt affectam denominatione logicâ, proveniente âb intellectu artificialiter, & logicè operante. v. g. *Subjectum*, *Prædicatum*, *Genus*, &c.

377. *Obj.* Equus est terminus primò-intentionalis; sed Equus significat rem ùt affectam cognitione logicâ, scilicet speciem; ergo etiam terminus primò-intentionalis significat rem ùt affectam denominatione logica. R. D. *min.* Significat rem ùt affectam denominatione logicâ, si sumatur primò-intentionaliter. N. si sumatur secundò-intentionaliter. C. Ex hâc distinctione advertes, aliud esse, terminum esse *1mò- & 2dò-intentionalem*; & aliud, *terminum 1mò- & 2dò-intentionaliter sumi.* Hoc ut dignoscas, observa sequentes regulas. 1. Si prædicatum propositionis sit logicum, tunc subjectum, quod aliàs foret terminus *imæ-in-*

ten-

tentionis, ſumitur *2dò-intentionaliter*; quia tunc ſubjectum per accidens, & ratione prædicati ſignificat rem ùt affectam cognitione logicâ. v. g. *Animal eſt Genus.* 2. Terminus *2dæ intentionis* ſumitur *1mò-intentionaliter*, quandò ſumitur pro ſuo ſignificato ſecundùm ſe, abſque alia denominatione logica, â cognitione artificiali reflexa priori ſuperveniente: ùt fit in his propoſitionibus: *Homo eſt ſpecies*, in qua prædicatum ſumitur 1mò-intentionaliter. *Univerſale eſt prædicabile de pluribus*, in qua ſubjectum, licèt ſit terminus 2dæ-intentionis, 1mò-intentionaliter ſumitur. *Genus eſt univerſale*, in qua ſubjectum & prædicatum, licèt termini 2dæ-intentionis ſint, 1mò-intentionaliter ſumuntur, ex ratione ſuperiùs aſſignata. Signum pro termino 1mo-intentionaliter ſumpto dignoſcendo Summuliſtæ communiter aſſignant hoc: ſi ei ſignum aliquod vel univerſale vel particulare præfigi poſſit. *Si ais*: Omnis terminus in propoſitione poſitus, denominatione logica affectus eſt; cùm ſit vel ſubjectum, vel prædicarum; ergo omnis terminus eſt ſecundò-intentionalis. R. N. *ant.* Rationem D. Eſt ſubjectum vel prædicatum reflexè. N. directè & exercitè C. Non quivis terminus reflexè cognoſcitur ùt ſubjectum, aut ùt prædicatum, etſi alterutrum reipsà ſit.

378. *Quæres 2. Quid ſit terminus Tranſcendentalis, & Non tranſcendentalis?* R. *Tranſcendentalis* eſt, qui de omni ente reali, & poſſibili dici poteſt. Horum ſunt ſex, in voce REU-

REUBAV literis initialibus memoriæ gratiâ indicati; Nimirùm *Res*, quæ vox significat rei cujuslibet essentiam. *Ens*, quod significat aptitudinem ad existendum. *Unum*, quod denotat rei unitatem. *Bonum*, quod intrinsecam rei perfectionem significat. *Aliquid*, sive *Aliud quid*, quod rei indicat distinctionem. *Verum*, quod cognoscibilitatem denotat. *Non transcendentalis* est, qui non convenit omni enti, ùt *Homo*, *Lapis*.

379. *Quæres 3. Quid sit terminus finitus, quid infinitus?* R. *Terminus finitus*, sive *finitans* est, qui aliquid determinatè significat, ùt *Homo*, *Arbor*. *Terminus infinitus*, sive *infinitans* est, qui præfixam habet infinitantem particulam *Non*, per quam â suo significato trahitur ad significandum indeterminatè omne â se distinctum, ita, ut dici de rebus infinitis possit, adeóque significationem non finiat, v. g. *Non Brutum*. *Adverte*, quòd ejusmodi non faciant propositionem negativam, ùt videre est in his propositionibus: *Non arbor est lapis*. *Arbor est non lapis*. *Non arbor est non lapis*. Quæ propositiones affirmativæ sunt, cùm copula principalis affirmetur; id quod ex earum resolutione colligitur: 1ma enim facit hunc sensum: *Aliquid, quod non est arbor, est lapis*. 2da sic resolvitur: *Arbor est aliquid, quod non est lapis*. 3tia sic: *Aliquid, quod non est arbor, est aliquid, quod non est lapis*. Ut autem propositio sit negativa, particula *Non* immediatè ponatur ante copulam principalem, eamque afficiat,

afficiat, neceſſe eſt. v. g. *Arbor non eſt lapis.* Vel, ſi ponatur particula *Non* ante ſubjectum, efficere unam dictionem cum illo non debet, ſed afficere totam propoſitionem, ut negativa fiat, ùt rectè advertit Semery *in ſummulis.* Prætereà P. Dedelley in ſummulis *q. 1. art. 2. §. 6.* notat, quòd omnes termini categorematici evadere poſſint infiniti, non autem ſyncategorematici, quales ſunt: *Nullus*, *Aliquis.* Hi enim cùm finiti non ſint, nec infiniti reddi poſſunt. Nec verba (ùt idem inquit) infinitantur, niſi fortaſſis rariſſimè; quia aliàs prodiret ſenſus â communi acceptione omninò alienus. v. g. Hæc propoſitio: *Petrus non ambulat*, quæ juxta Communem acceptionem negativa eſt, foret affirmativa, facerétque hunc ſenſum: *Petrus eſt aliquid non ambulans.* Ex his facile colliges, quòd particula *Non* ſubinde *infinitanter* ſumatur, faciátque propoſitionem infinitam; ſi nimirùm ſubjectum aut prædicatum immediatè afficiat: ſubinde autem *negantèr* accipiatur, faciátque propoſitionem negativam, quando ſcilicet vel totam propoſitionem, vel copulam principalem immediatè afficit.

380. *Quæres 4. Quid ſit terminus Poſitivus, Negativus, & Privativus?* R. *Poſitivus* eſt, qui ſignificat aliquid reale, & verum ens, v. g. *Deus*, *Angelus*, *Homo.* *Negativus* ſtrictè talis eſt, qui ſignificat negationem formæ in ſubjecto incapaci, ùt *Non videns* reſpectu lapidis. *Privativus* eſt, qui ſignificat carentiam formæ in ſubjecto capaci, ut *Cæcitas* reſpectu hominis.

DISPU-

DISPUTATIO V.
De Prædicamentis.

DOctrinam *Prædicamentorum*, sive *Categoriarum* propriam esse Logicæ, totiusque Philosophiæ principium, nemo facilè in dubium vocabit. Sentit hoc Galenus de Prædicamentis ita differens: Τὸ διαιρεῖν τὰς κατηγορίας, ἀρχὴ τῆς λογικῆς ἐστι θεωρίας. *Divisio Categoriarum principium est logicæ considerationis.* Hoc ipsum asserit Alexander his verbis: Τὰ πρῶτα τῆς Φιλοσοφίας καὶ ἀρχὴ τῆς λογικῆς πραγματείας. *Quod est in Philosophia primum, & logicæ tractationis principium.* Quantæ verò utilitatis sit, exinde facilè dignosces, quod series prædicamentorum res propè infinitas in ordinem digerat, definitionum fontes detegat, manifestet, quid subjici debeat in propositione, quid prædicari; quid rei cuique conveniat, quid non &c.: ita, ut prædicamentum meritò dici possit ordo rerum, & operationum in mente, naturæ index, tabula universitatis, quæ res varias uno veluti obtutu menti nostræ spectandas proponit. Igitur in præsenti disputatione per quæstiones varias explicabo primùm ea, quæ ad prædicamenta in genere spectant; deinde de prædicamentis in specie maximè necessaria pertractabo.

ARTI-

ARTICULUS I.

De iis, quæ circa Prædicamenta in genere expendenda sunt.

381. *Quæres 1. Quid sit Prædicamentum?* R. Est ordo, sive series terminorum magis & minùs communium, quæ sub genere summo multa includit genera, & species subalternas, speciem infimam, & individuum. Vocatur *prædicamentum*, quia rei alicujus prædicata continet, ostenditque, quodnam prædicatum sit aptius subjici, quodnam prædicari. Constat hic ordo tribus lineis: *Rectâ*, sive *Mediâ*, & *duabus Collateralibus*. In *linea recta*, sive *directè* ponuntur prædicata quidditativa, i. e. quæ prædicantur in quid; ùt *genera*, & *species*. In *lineis lateralibus*, sive *indirectè* ponuntur illa, quæ prædicantur in quale quid, nimirùm differentiæ divisivæ generis, & constitutivæ speciei. Alia dicuntur *reductivè* poni in prædicamento, quæ scilicet respectum habent ad directè posita, ùt sunt partes physicæ, sive essentiales sint, sive integrales.

382. *Quæres 2. Quæ, & quot conditiones requirantur, ut aliquid directè poni possit in prædicamento?* R. Conditiones sex his versibus comprehensæ:

Ens, Verum, Per se, Incomplexum, Synonimúmque
Completumque capit scema categoriæ.

imò.

1mò. Debet esse *Ens*, nimirùm *positivum*. Hinc exulare â Categoriis debent Privationes, & negationes. 2dò. Requiritur *Ens verum*, h. e. *Reale*; unde entia ficta, & chimærica in iis locum non habent, nec entia moralia v. g. *Valor monetæ*. Nam prædicamenta ordinantur de rebus physicis, iisque perfectionibus, quas ex natura habent, non verò ex taxatione, & æstimatione hominum, quæ admodùm variabilis est, nec apud omnes gentes eadem. 3tiò. *Ens per se*: Nam entia per accidens, ùt sunt artefacta v. g. *Domus*, *sedes* &c., invehunt confusionem prædicatorum, eoquòd componantur ex rebus ad diversa prædicamenta spectantibus. 4tò. *Incomplexum*. Nam termini complexi, & orationes plures & diversos explicitè etiam generant in mente conceptus. 5tò. *Synonimum*, h. e. *Univocum*. Hinc amandanda â prædicamentis sunt *Æquivoca*, *Analoga*. Cùm enim priora diversis rebus, posteriora verò rebus diverso saltem modo conveniant, hinc intellectus unum facilè cum altero confunderet, ac proinde non satis tutè dirigeretur ad rectè cogitandum. 6tò. *Completum*, h. e. *Totum*. Per hoc excluduntur partes physicæ essentiales, ùt *Materia*, & *Forma physica*, item partes integrantes v. g. *Manus*, *Pedes* &c. Item partes metaphysicæ, quæ substantivè non efferuntur, ùt *Differentiæ*. Genera autem licèt uno respectu partes metaphysicæ sint, ponuntur tamen in linea recta; quia alio respectu sunt tota potentialia, & substantivè efferuntur.

Præ-

Prætereà adverte, quòd termini in prædicamento *Subſtantiæ* poſiti ſignificent concreta; in prædicamento verò *Accidentis* abſtracta. Sic in prædicamento ſubſtantiæ ponitur *Animal*, non *Animalitas*; cùm abſtracta *ſubſtantiæ* propriè non ſint, ſed *ſubſtantialitates*. In prædicamentis autem accidentium ponitur *Quantitas*, *Qualitas* &c., non *Quantum*, *Quale* &c. Cujus ratio hæc eſt: quòd abſtracta propriè accidentia ſint, non autem concreta, quæ ſubjectum ſimul, adeoque ſubſtantiam involvunt. Accedit, quôd in prædicamentis non niſi genera, & ſpecies directè ponantur: cùm igitur ſubſtantiæ in concreto prædicari poſſunt eſſentialiter, & tanquam genera, vel ſpecies; Accidentia verò in abſtracto tantùm eſſentialiter & ùt genera, vel ſpecies prædicari valeant; hinc in prædicamento ſubſtantiæ directè ponuntur concreta; in prædicamentis autem accidentium abſtracta.

383. *Quæres 3. Quæ ſint cauſæ alicujus Prædicamenti?* R. *Cauſa efficiens* eſt intellectus, qui cum fundamento in re prædicata ſuperiora à ſuis differentiis abſtrahit, & in ordinatam prædicamentorum ſeriem redigit. *Cauſa finalis* eſt, ut diſcernantur res. *Cauſa formalis* eſt ipſa ordinatio prædicatorum. *Cauſa materialis* ſunt res per mentem ordinabiles. Inde colliges, quòd res in prædicamento ponantur *in recto*, & *ùt quod*; conceptus verò res repræſentantes *in obliquo*, & *ùt quo:* Id enim ponitur *ùt quod* in prædicamento, in quod ens, &

reliqua genera dividuntur; sed dividuntur in res, & non in conceptus, quandoquidem sint tantùm id, quo ens dividitur; ergo.

384. *Quæres 4. Quot sint Prædicamenta?* R. Aristoteles *lib. de Categor. cap. 4* recenset decem his verbis: *Eorum, quæ sine complexione* (h. e. per quæstiones simplices) *dicuntur, unumquodque aut substantiam significat, aut quantum, aut quale, aut ad aliquid, aut ubi, aut quando, aut situm, aut habere, aut agere, aut pati.* Memoriæ gratia redacta sunt in hos versus, quos superimpositæ voces explicant:

Substantia, Quantitas, Relatio, Qualitas,
Arbor sex servos ardore
Actio, Passio,
refrigerat ustos.
Ubi, Quando, Situs, Habitus.
Ruri cras stabo, sed tunicatus ero.

Decem hæc prædicamenta potissimùm respectu individui humani ordinavit Philosophus, eoquòd dicta de homine, qui Micro-Cosmus est, & aliorum entium perfectiones in se continet, aliis entibus secundùm proportionem facilè applicari possint. In divisione hac prædicamentorum sequuntur Aristotelem Philosophi passim, non tamen ùt Grus gruem; sufficienti enim ratione nituntur, quæ hæc est: quia pluribus quæstionibus simplicibus ratio entis, aut ejus perfectiones in individuo humano reperiri non possunt. Nam *1mò* quæritur: quid est Socrates? *2dò* quantus est? *3tiò* qua-

qualis est? *4tò* respicitne aliud ens? *5tò* agitne aliquid? *6tò* patiturne aliquid. *7timò* ubi est? *8tavò* quando est. *9nò* an est vestitus? *10mò* quomodò in loco positus est? præter has quæstiones interrogatio alia simplex non datur, quæ ad has saltem reductivè non pertineat. Dixi *Interrogatio simplex*: Nam quæstiones complexæ, cùm modis innumeris conjungibiles sint, seriem certam non nanciscuntur. *Si ais*, quòd quæstio: *An sit*, in præfatis quæstionibus non contineatur. R. Hæc præsupponitur; cùm quæstiones prædicamentales simplices fiant de re jam existente

385. *Obj.* In prædicamentis Aristotelicis nulla fit mentio rerum spiritualium; ergo non sunt admittenda. R. N. *ant.* Quid enim *Incorporeum*, aut *Immateriale* denotat aliud, quàm spirituale? Adde, quòd prædicamenta Aristotelis præcipuè ordinentur ad individuum humanum, quod spirituale denominari nequit; ac proinde spiritualitatis mentio in iis adeò necessaria non est. *Inst. 1.* Aristotelis Categoriæ negativas complectuntur differentias, quales sunt: *Incorporeum*, *Irrationale* &c. ergo. R. D. *ant.* Complectuntur differentias negativas quoad modum explicandi. C. quoad rem. N. Nam per differentias negativè explicatas indicantur rationes positivæ. Adhæc idem solvendum est Adversariis, qui pro differentia corporis ponunt *Non vivens*, & pro differentia viventis *Vim progrediendi non habens*, ùt videre est in linea prædicamentali Carteſii.

Inst. 2. In categoriis peripateticis *Homo* ponitur sub *corpore*, tanquàm sub genere; cùm tamen æquè sub *Mente* tanquam genere poni possit. R. 1. Si æquè poni sub mente possit, ergo non est potior ratio pro uno, quàm pro altero. R. 2. *Homo* non bene poneretur sub mente; quia secundùm ea genera, & differentias poni in prædicamento debet, quibus in sensu philosophico denominatur; cum igitur malè diceretur: *Homo est spiritualis*, quandoquidem spirituale excludit omne materiale; hinc non ponendus est sub *Mente*, sive *Spiritu*, tanquàm genere. *Inst. 3.* Aristoteles in categoriis omisit motum. R. Arist. de motu locali agit in prædicamento *Ubi*, de motu alterativo in prædicamento *Qualitatis* &c. ergo non omisit motum.

386. *Quæres 5. Quid sentiendum de decem categoriis Epicuri his versibus contentis:*

Intervalla, viæ, connexus, pondera, plagæ,
Concursus, motus, ordo, positura, figura,
Cùm permutantur, mutari res quoque debent.

R. Has categorias non subsistere; 1mò quia falso nituntur fundamento; docent enim Epicuri sequaces, omnia in mundo ex atomis ac corpusculis variè & fortuitò permixtis conflata esse, quod, quàm alienum â veritate sit, in Physica declarabitur. 2dò quia in illis Angelus non comprehenditur: quis enim connexus in Angelo, aut quod pondus, quæ figura, positura? Idem judicium ferendum est de aliis

septem

septem categoriis, quas ponunt Sectatores Platonis, & his versibus exprimunt:

Mens, mensura, quies, motus, positura, figura,
Sunt cum materia cunctarum exordia rerum.

Per τὸ *Mens* intelligunt substantiam spiritualem. Per τὸ *Mensura* quantitatem. Per τὸ *Quies* permansionem in loco. Per τὸ *Motus* translationem de loco in locum. Per τὸ *Positura* situm partium: si sit partium majorum situs, ùt *stare, jacere*, vocant eum accidentarium corpori; si verò sit partium tenuissimarum situs, illum corpori determinato essentialem docent. Per τὸ *Figura* intelligunt exteriorem corporis terminationem, quæ corpori accidentalis est; vel intimam tenuissimarum particularum dispositionem, per quam constitui volunt corporis determinati naturam. Per τὸ *Materia* corpus significant. Verùm quâ ratione *Quies* in prædicamentorum numerum venit? cùm sit mera carentia motûs. Quâ ratione erit genus supremum? quomodo species & differentiæ quietis usque ad individuum ordinabuntur? dicant hoc Neoterici. Ordinent deinde prædicamenta *Posituræ*, & *Figuræ*, in quantùm tenuissimas particulas respiciunt. Certè ipse Purchotius *in parte 1. Log. cap 5. sub finem* ait: *Difficile dictu est, quænam propriè sit partium configuratio, quæ lignum â ferro discriminat.* Sicut igitur Neoterici juxta principia Cartesii particulas intimas cum configuratione & situ confingunt; ita pariter figurarum ac positura-

rum prædicamenta fictè tantùm ordinant, si tamen ordinare possint. Proinde non video, cur relictis categoriis peripateticis ejusmodi Neotericorum prædicamenta sint amplectenda.

387. Pro meliori intelligentia eorum, quæ hìc de Prædicamentis peripateticis, ac supra de universalibus dicta sunt arborem Porphyrianam, quam hic subjungo, sæpiùs inspice.

ARTICULUS II.

De Substantia.

388. *Nota 1.* Substantia nomen accepit à subsstando, vel quod subsstet accidentibus, vel quod per se stet, nec exigat esse in subjecto inhæsionis; quod ultimum bene observandum, eoquòd etiam accidentia esse sine subjecto inhæsionis possint, saltem *supernaturaliter*; propterea tamen substantiæ non sunt: quia licèt actu non sint, semper tamen exigunt esse in subjecto inhæsionis. Dicitur autem *Subjectum inhæsionis* illud, quod recipit formam accidentalem, ex se eductam, h. e. talem, cùm qua facere non potest compositum ultimatò completum, quod sit primum, & radicale operationum, & proprietatum principium. *Subjectum denominationis* est, quod denominationem quandam accipit â forma, licèt hæc non recipiatur in omni parte subjecti. Sic homo denominatur videns, licèt visio in oculo tantùm, & non in toto homine recipiatur. *Subjectum sustentationis* est, quod formam substantia-

tialem recipit ex se eductam, cum qua facit ens per se, & ultimò completum, ita, ut sit principium primum, & radicale proprietatum, accidentium, & operationum. Sic omnis forma substantialis materialis recipitur in materia. Prætereà hic observandum, quòd substantia substet accidentibus *ùt quod*: Hinc quantitas, quæ substat accidentibus tantùm *ùt quo*, cum substantia nondum convenit.

389. *Nota 2.* Substantia variè accipitur; 1. Pro cujusque rei entitate, & natura: Sic habitus fidei dicitur quoad substantiam supernaturalis, licèt sit accidens. 2. Pro entitate aliqua substante accidentibus physicis; hoc sensu S. Augustinus, & alii Ss. PP. negârunt Deum esse substantiam. 3. Sumitur strictè, prout sub genere entis est membrum accidenti oppositum. De substantia strictè dicta hìc quæritur 1. Quid sit? 2. Quotuplex sit? 3. Quæ ejus proprietates? 4. Quomodo illius Prædicamentum sit Ordinandum?

390. *Dico 1.* Substantia est *Ens per se subsistens.* Ita cum Arist. communis Philosophorum. Est bona definitio, quia fit per prædicata prima, & omni ac soli substantiæ convenit. Ab Oviedo *Ens per se* sic explicatur: *Quod â natura primariò, & proter se intenditur, & non propter aliud â se adæquatè distinctum.* Sic substantiæ *completæ* non intenduntur propter alias substantias, in quêis stent; sed stant se ipsis. *Incompletæ* verò substantiæ, v. g. *Materia*, inadæquatè tantùm â toto substantiali di-

stinguuntur, consequenter etiam propter se saltem partialiter intenduntur. Arriaga *Ens per se* illud dicit, quod est *primum & radicale principium proprietatum & operationum connaturaliter, & stabiliter convenientium toti.*

391. *Obj.* Forma substantialis sive anima bruti est in materia tanquam in subjecto; ergo non omnis substantia est ens per se. R. D *ant.* Est in materia tanquam in subjecto inhæsionis, N. tanquam in subjecto sustentationis C. *Vid.* n. 388. *Inst. 1.* Et quæris: An idem de anima rationali dici possit, quod modò de anima bruti dictum est? R. Negativè; nam materia nec subjectum inhæsionis, nec sustentationis est respectu animæ rationalis; sed est subjectum *informationis*, h. e. tale, quod recipit quidem formam substantialem, sed creatam, & non eductam ex se, cum qua tamen totum substantiale constituit. *Inst. 2.* Forma substantialis bruti est in materia bruti, sicut quantitas; ergo sicut quantitas non est substantia, sic nec forma substantialis bruti. R. N. tò sicut. Nam forma bruti facit cum ejus materia totum, quod est principium primum, & radicale proprietatum, & operationum convenientium bruto. Econtrà quantitas cum materia non facit ejusmodi totum. *Inst. 3.* Quantitas facit hoc compositum: *Quantum*, quod etiam proprietates suas habet; ergo si forma bruti est substantia, etiam quantitas talis erit. R. D. *ant.* Facit hoc compositum: *Quantum*, quod tamen non est principium primum illarum pro-

proprietatum. C. Quod est principium primum. N. Nimirùm quantitas non complet ultimatò materiam; sed eam relinquit adhuc indifferentem ad quamcunque aliam formam substantialem, quæ materiam certa quantitate affectam exigit, eámque ultimatò complet; igitur hæc principium primum, & radicale est proprietatum, & operationum. *Inst. 4.* Humanitas Christi est in alio, & tamen est substantia. R. D. Est in alio ùt in subjecto inhæsionis. N. ùt in suppositò Theandrico. C. *Inst. 5.* Potest Deus creare substantiam non operativam; ergo substantia non est necessariò principium operationum. R. D. *ant.* Potest creare substantiam non operativam *ad extra.* T. *ad intra.* N. Nimirùm ejusmodi substantia esset saltem emanativa suarum proprietatum.

392. *Dico 2.* Substantia alia est 1ma, alia 2da. *Prima est* substantia singularis, quam Aristoteles ita definit: *Quæ nec est in subjecto* (scilicet inhæsionis) *nec dicitur de subjecto* (nempe prædicationis) ùt *Petrus*; nam individuum non est prædicatum prædicationis. *Secunda est* substantia universalis. Hæc juxta Aristotelem *dicitur de subjecto, sed non est in subjecto*; subintellige priores parentheses. Porrò substantia dividitur in completam, & incompletam. *Completa physicè* est, quæ non exigit uniri alteri, ùt *Deus*, *Angelus* &c. *Incompleta physicè* est, quæ exigit uniri alteri substantiæ, ùt *Materia formæ*, *Anima rationalis corpori*. *Completa metaphysicè* est, quæ concipitur ùt

totum actuale, v g. *Species infima*: vel ùt totum potentiale, v. g. *Genus*. *Incompleta metaphysicè* est, quæ concipitur instar partis, ùt *Differentia*. Denique substantia alia est *composita*, ùt *Homo*, qui physicè ex corpore & anima componitur, metaphysicè autem ex genere & differentia. Alia est *simplex physicè*, quæ partes physicas non habet, ùt Deus.

393. *Dico 3.* Proprietates substantiæ sunt sequentes. *1ma.* Substantia non suscipit magis, & minùs in ratione substantiæ, sic *David* non fuit minùs homo, quàm *Goliath*, etsi fuerit minor. *Nec obstat*, quòd Aristoteles speciem vocet magis substantiam, quàm genus: nam hoc non facit præcisè ratione substantiæ; sed ratione accidentalis affectionis, quatenùs pluribus prædicatis subjicitur. *2da.* Substantia ratione suî non est alteri contraria; nam solæ qualitates, ùt ex Dialectica constat, sibi contrariantur. *3tia.* Substantia creata manens substantia tanquam *subjectum ultimum*, & *ùt quod* suscipit contraria, cum accidentali sui mutatione. Sic idem homo jam est calidus, jam frigidus. Dixi *ùt subjectum ultimum*, & *ùt quod*, quia juxta multos etiam quantitas suscipit contraria, sed tantùm *ùt quo*. *4ta.* Substantia non est in subjecto inhæsionis, quæ proprietas si *Radicaliter* sumatur est ipsa substantiæ essentia.

394 *Dico 4.* Quomodò prædicamentum substantiæ ordinandum sit, ex superiori tabula velim dignoscas. Pro ea autem formanda assignatur duplex regula. *Prima est: Quidquid*

essen-

essentialiter dicitur de attributo alicujus subjecti, id rectè dicitur de ipso subjecto. Sic quia de attributo seû prædicato hujus propositionis: *Socrates est homo*, essentialiter dicitur *Animal, Vivens, Corpus, Substantia*, cuncta hæc rectè quoque dicuntur de Socrate. Hæc regula concernit lineam rectam. Altera inservit pro lineis lateralibus, & est hæc: *Diversorum generum non subalternatim positorum diversæ specie sunt differentiæ; Generum verò subalternorum nihil prohibet easdem esse differentias.* Sic *Animalis* differentia constitutiva est sensitivum, divisiva rationale & irrationale. Ex his nullam participat *Planta* non subalterna animali. Econtrà quia *Animal* est genus subalternum *Viventi*, hinc idem *Sensitivum*, quod dividit *Vivens*, constituit quoque *Animal.*

395. *Quæres: An Deus poni possit in prædicamento substantiæ Aristotelis?* R. Affirmativè. *Probatur imò negativè:* Nequit ostendi ubi Aristoteles requisierit ad prædicamenta *Ens finitum. Probatur 2do positivè.* Ipse Aristoteles *Lib. 1. Ethic. cap. 6 apud Sylv. Maurum* inter exempla categoriarum pro exemplis substantiæ affert Deum & mentem: Sic enim ait: *Præterea, cùm bonum totidem modis dicatur, quot illud, quod est (Nam & in SUBSTANTIA dicitur, ùt DEUS, & MENS: & in qualitate virtus: & in quantitate mediocre* &c.) Adhæc, quid impedit, quò minùs & nomen, & ratio substantiæ, quæ est *Ens per se subsistens*, Deo & creaturis communis sit? cùm sententia

satis communis ac fundata (ùt in Metaphysica tradetur) doceat Ens esse univocum ac genus respectu Dei, & creaturæ, substantiæ, & accidentis. *Confir.* Ex fine categoriarum, qui est discretio rerum dissimilium; cui fini profectò non obstat, si in prædicamento ponatur ens infinitum.

396. *Obj.* Deus non est substantia; ergo nec poni potest in prædicamento substantiæ. *Prob. ant.* Substantia dicitur â substando; sed Deus nulli rei substat; ergo. ℟. D *maj.* Substantia dicitur â substando, vel quòd substet accidentibus, vel quòd per se stet. C. Præcisè quòd substet accidentibus. N. *maj.* & *concessâ min.* D. *eodem modo Conf.* Quod autem ipse Aristoteles per Tò *substantia* non semper intelligat substantiam creatam, quæ substet accidentibus, hoc satis manifestè declarat *12. Metaphys.* cap. 7. *apud Sylv. Maurum*, ubi tex. 41. sic: *Quòd itaque est quædam æterna, immobilisque substantia, & â sensibilibus separata, constat ex dictis.* Et tex. 39. de hâc substantiâ ita differit: *Ille verò est actus: Actus verò per se illius vita optima, & perpetua est. Dicimus itaque Deum sempiternum optimúmque vivens esse.* Si autem Deus juxta Aristotelem est actus purus, quomodò substare poterit accidentibus, saltem physicis? *Inst. 1.* Substantiæ proprium est, recipere contraria; sed hoc Deo non convenit; ergo. ℟. D. *maj.* Substantiæ creatæ. C. substantiæ increatæ. N. *maj.* & *concessâ min.* D. *pariter Conf.* *Inst. 2.* Nequit dici, an Deus pona

ponatur in prædicamento ùt genus, vel ùt ſpecies, vel ùt individuum; ergo R. N *ant* Et dico, Deum poni ùt ſpeciem ſubjicibilem, quæ immediatè ſubjicitur generi. Poſſet etiam dici, quòd ponatur ùt individuum: Licèt enim immediatè poni ſub genere, individuo creato, & finito non conveniat; id tamen individuo increato & infinito negari non debet, cùm ſpecies prædicabilis eſſe non poſſit. *Inſt. 3.* Subjici injurioſum eſt Deo; ergo. R. D. *ant.* Subjici civiliter & phyſicè. C Logicè N *Inſt. 4.* Species componitur ex partibus metaphyſicis; ſed hoc Deo non convenit, cùm ſit ens ſimpliciſſimum; ergo. R. N *min.* Compoſitio metaphyſica, quæ ſolùm eſt juxta noſtrum concipiendi modum, non officit ſimplicitati divinæ ſed phyſica. *Inſt. 5.* S. Auguſtinus deploravit, quòd Deum poſuerit in prædicamento ſubſtantiæ. R. D. Deploravit, quòd Deum poſuerit in prædicamento ſubſtantiæ, quaſi ſubſtaret accidentibus abſolutis. C. alio ſenſu. N. Eodem modo doluit idem S. Pater, quòd magnitudinem Dei poſuerit in prædicamento quantitatis; ejus pulchritudinem autem in prædicamento qualitatis; acſi hæ duæ perfectiones forent accidentia abſoluta in Deo. *Adverte*, quòd ea, quæ dicta hìc ſunt de Deo, intelligenda quoque ſint de Chriſto, ſi vel ùt *Deus*, vel ùt *Homo* ſpectetur; item de Angelis.

ARTI-

ARTICULUS III.

De Quantitate.

397. *Dico 1.* Quantitas latè sumpta benè dicitur id, quo aptè respondetur ad quæstionem quanta sit res, vel quot sint. Sic quia quærenti, quantum sit lignum? aptè respondes: est bipedale; & quia sciscitanti, quot sint res? aptè reponis: sunt duæ: Hinc *Bipedalitas*, *Dualitas* dicitur quantitas. Vocatur præterea *forma denominans rem quantam*; item, *Mensura substantiæ materialis*, seû *modus magnitudinis*. Si autem propriè & essentialiter sumatur, *est accidens reddens rem impenetrabilem*, de quo pluribus agetur in physica.

398. *Dico 2.* Quantitas alia est virtutis, alia molis. *Quantitas virtutis* est, quâ res dicuntur magnæ, vel parvæ in perfectione, sive hæc perfectio sit essentialis, sive accidentalis. Sic *Deus* dicitur *ter Optimus, terque Maximus*. Sic *Frigus* intensum *ùt septem* dicitur majus frigore intenso *ùt tria*. *Quantitas molis* est *Extensio partium*. Præterea dividitur quantitas in continuam, & discretam. *Continua* est, cujus partes communi termino uniuntur, ùt *Lignum* bipalmare constans duobus palmis *unitis*. *Discreta* est, cujus partes inter se non uniuntur termino communi, ùt *Numerus*, *Oratio*. Nam duo, tria &c. non copulantur communi termino, nec verba orationis, sed sunt tantùm unum unitate ordinis quatenùs ordinantur ad ultimum. Porrò quantitas continua subdividitur

ditur in permanentem, & ſucceſſivam. *Permanens* eſt, cujus partes exiſtunt ſimul, vel actu, vel potentia; ſive eſt extenſio partium permanentium in ordine ad locum, quem occupant; ùt *Ulna*. *Succeſſiva* eſt, cujus partes ſibi neceſſariò ſuccedunt; ſive eſt extenſio partium ſucceſſivarum in ordine ad tempus; ùt *Hora*, *Dies* &c. Quantitas permanens iterum ſubdividitur in *Lineam*, quæ eſt extenſio longa duntaxat, cujus partes puncto copulantur. In *ſuperficiem*, quæ eſt extenſio longa & lata tantùm, cujus partes copulat linea. In *Corpus*, quæ eſt extenſio longa, lata & profunda, cujus partes copulantur ſuperficie. Hoc corpus dicitur corpus mathematicum, quia â matheſi ſpectatur triplex hæc menſurabilitas. Ex his patet, quomodò prædicamentum quantitatis ordinari debeat, quod claritatis gratiâ inſpicere poteris in Dialectica.

399. *Obj.* Species entis categorici debet eſſe quid completum; ſed *Linea*, & *Superficies* non ſunt completa; ergo non poſſunt eſſe ſpecies entis categorici. R. D. *min.* Non ſunt completa, i. e. ſunt ſimpliciter incompleta, ùt *materia*, & *forma*. N. i. e. ſunt incompleta ſecundùm quid. C. nimirum Linea & Superficies ſunt incompleta, quatenùs *Linea* componit ſuperficiem, & ſuperficies corpus. Sunt autem completa, *Linea* quidem in ratione longitudinis, & *ſuperficies* in ratione latitudinis. *Inſt. 1.* Una ſpecies non includit aliam; ergo linea non eſt ſpecies diſtincta â ſuperficie, nec

ſuper-

ſuperficies â corpore, quod componit. R. D. *ant.* Non includit aliam præſuppoſitivè & materialiter. N. formaliter C. *Inſt. 2.* Superficies eſt formaliter longa, & corpus eſt formaliter longum, latum & profundum; ergo ſuperficies formaliter includit lineam, & corpus ſuperficiem. R. D. *ant.* Superficies eſt formaliter longa longitudine propriâ lineæ formaliter tali, quæ non eſt præcisè longitudo, ſed longitudo excludens latitudinem. N. Eſt formaliter longa longitudine non propriâ lineæ. C. Eandem reſponſionem applica alteri parti antecedentis. *Adverte* poſtremò, quòd Ariſtoteles quantitatem non dividat in continuam, & diſcretam, tanquam in ſpecies univocas, ſed analogas. Nam quantitas diſcreta non eſt propriè, & ſtrictè quantitas, cùm non habeat impenetrabilitatem, & ſit ens per accidens. Proinde in rigore & propriè quantitas continua locum ſummi generis in prædicamento meretur, ad quam diſcreta quantitas ob extenſionem, aliasque qproprietates quantitati continuæ affines refertur: ita, ut Philoſophus potiùs ex mente vulgi, quàm in rigore Philoſophico quantitatem diſcretam in prædicamento quantitatis poſuiſſe videatur.

400. *Dico 3.* Proprietates præcipuæ quantitatis ſunt ſequentes. *Prima. Quantitati nil eſt contrarium*, nimirùm per ſe & ratione ſuî, quòd eam ex ſubjecto expellat. *Secunda. Quantitas non ſuſcipit magis & minùs*, h. e. intendi nequit, vel remitti; ſic pueri tripedalitas non

eſt

est minùs quantitas, quàm viri septempedalitas. Suscipit tamen majus & minus secundùm extensionem; sic gigas extensivè major est pygmæo. *Tertia. Æqualitas, & inæqualitas*, alterutram enim fundat. Est autem æqualitas convenientia unius quantitatis cum altera ejusdem rationis; inæqualitas verò est disconvenientia. Si æqualitas, vel inæqualitas tribuatur Virtuti, talentis &c. hoc fit per Analogiam, & locutionem tropicam.

ARTICULUS IV.

De Qualitate.

401. *Dico 1.* Qualitas strictè sumpta, & prout speciale constituit prædicamentum, *est accidens absolutum ex se penetrabile, ordinatum ad hoc, ut ornet, perficiatque substantiam in ordine ad existendum, vel operandum.* Dicitur 1. *Accidens absolutum.* Per hoc convenit cum quantitate. Dicitur 2. *Ex se penetrabile*; per quod differt â quantitate, quæ materiam reddit impenetrabilem. Denique per τὸ *Absolutum*, & alia subsequentia differt âb accidentibus modalibus, ac respectivis. Ex his advertes, quòd qualitatis nomine hìc non intelligatur omne illud, quòd redditur ad quæstionem, qualis sit res, quo sensu etiam differentia essentialis qualitas dici potest.

402. *Dico 2.* Aristoteles divisit qualitatem in quatuor species, quarum singulæ sunt bimembres. In prima specie sunt *Habitus*, & *Dispositio*. Hæc significant qualitatem perfi-

cientem ſubjectum in ordine ad operandum, quæ ex frequentatis actibus relicta, & ita radicata in ſubjecto, ut difficulter removeri âb eo poſſit, vocatur *Habitus*. Ut *Scientiæ*, *Virtutes*, *Vitia*. Si verò talis qualitas adhuc debilis ſit, & facilè mobilis, *Diſpoſitio* nuncupatur. In ſecunda ſpecie ſunt *Potentia naturalis*, & *Impotentia*. *Potentia* hìc non ſumitur pro poſſibilitate alicujus rei; ſed eſt qualitas â natura inſita ad aliquid operandum, v. g. *Potentia auditiva*, *viſiva*, *Virtutes herbarum & lapidum* &c. *Impotentia* hìc non ſignificat non eſſe potentiæ, ſed ejus imbecillitatem, v. g. *debilitas visûs*. Differt potentia âb habitu, quòd illa ſimpliciter neceſſaria ſit ad operandum; hic verò ſecundùm quid, & ad operandum faciliùs. In tertia ſpecie ſunt *Patibilis Qualitas*, & *Paſſio*. *Paſſio* hìc denotat qualitatem, quæ ſenſum exteriorem afficere poteſt, & citò tr[an]ſit. Talis eſt *Rubedo ex verecundia*, *Pallor ex timore ortus*. Si autem ejusmodi qualitas ſit permanens, & difficulter mobilis, dicitur *Patibilis Qualitas*. In quarta ſpecie ſunt *Forma*, & *Figura*. *Forma* dicitur Diſpoſitio partium. *Figura* eſt qualitas ex certa quantitatis terminatione orta. P. Suarez Judicat his duabus vocibus idem ſignificari, hoc ſolùm diſcrimine, quòd nomine figuræ idem ſignificetur more mathematico, & abſtrahendo â materia; Nomine autem formæ ſignificetur idem more phyſico. Alii (ùt advertit P. Aler) docent, *Formam*, & *Figuram* non eſſe proprias qualitatis

tatis ſpecies, ſed illas ad quantitatem vel ſitum referri, eoquòd ſint vel quantitas hoc & illo modo extenſa, vel certæ quantitatis ubicationes. Juxta hos *Forma*, & *Figura* qualitates dicuntur, quia per illas aptè reſpondemus ad quæſtionem, qualis ſit res. Sic quærenti, qualis ſit menſa? aut qualem formam res habeat? aptè reponis, eſt rotunda, quadrata &c., aut habet formam pallii, pilei &c. Hi qualitatem propriè dictam ſic dividunt: *Qualitas* alia eſt *operativa*, alia *non operativa*. Operativa *vel eſt acquiſita per actus*, & eſt Habitus vel diſpoſitio; *vel eſt inſita â natura*, & eſt Potentia vel impotentia. Non operativa alia eſt Paſſio, alia patibilis qualitas. Hæc altius Scrutari Phyſici, non Logici eſt.

403. *Dico 3.* Proprietates qualitatis tres aſſignantur. *Prima eſt: Habere contrarium*; ſic *Calori* contrariatur *Frigus*. Hanc proprietatem Ariſtoteles *in Prædic. cap. de Qualitate*, ita declarat, ut eam non omni qualitati convenire fateatur; id quod pluribus declarabitur in Poſt-Prædicamentis, ubi de oppoſitis agetur. *Secunda eſt: Suſcipere magis, & minùs* Sed nec hæc omni qualitati convenit; figura enim v. g. Circulus unus non eſt magis vel minus circulus, quàm alter. *Tertia eſt:* Fundare ſimilitudinem, vel diſſimilitudinem; ſicut enim ea dicuntur æqualia, quorum quantitas una eſt, ſic ea vocantur ſimilia, quorum qualitas una eſt.

ARTICULUS V.

De Relatione.

ENtia alia sunt absoluta, respectiva seû relativa alia. *Absoluta* dicuntur illa, quæ soluta sunt ab aliis entibus, sive quæ sistunt in se, quin dicant ordinem seû connexionem ad aliud extra se, ùt *Homo*, *Deus*. *Respectiva* sunt, quæ talem ordinem ad aliud dicunt. Alii hanc inter ejusmodi entia differentiam assignant; quòd nimirùm in explicatione entis absoluti non necessariò fiat mentio alterius, ùt patet in voce *Homo*. Econtrà in explicatione termini relativi necessariò fit mentio alterius, idque *in obliquo*. Sic Pater est, qui genuit filium. Nihil tamen obstat, quominùs idem diversimodè consideratum, & absolutum, & respectivum esse possit. De absolutis pluribus agit Physica; de relativis alii agunt in Metaphysica. Verùm cùm usus termini relativi non in Metaphysica solùm, Physica, ac Theologia, sed etiam in Logica frequentissimus sit, ea, quæ ad Relationem spectant, fusiùs & distinctius hìc explicabo. Sit itaque

§. I.

Quid & quotuplex sit Relatio?

404. *Dico 1.* Relativum est concretum metaphysicum, dicens in recto *Rem habentem*, in obliquo *Relationem*, quæ est abstractum, sive forma relativi. Est autem *Relatio Ordo, sive respe-*

respectus, sive habitudo unius ad aliud. Desumitur hoc ex Aristotele, qui *lib.* de *Prædicamentis* cap. 3. *apud. Sylv. Maurum*, relativa sic definit: *Ad aliquid verò talia dicuntur, quæcunque hæc ipsa, quæ sunt, aliorum esse dicuntur, vel quomodolibet aliter ad alterum.* Concurrunt autem ad relationem potissimùm tria, quæ diligenter observanda sunt: nimirum *Fundamentum, Terminus, Ratio fundandi. Fundamentum*, vel *Relatum*, vel *Respiciens* est id, quod dicit ordinem, sive quod refertur ad aliud, τὸ *Aliud* non sumendo strictè pro diversitate naturæ, sed latè pro distincto. *Terminus* est illud aliud, ad quod dicitur ordo, sive ad quod fundamentum refertur. *Ratio fundandi* est id, propter quod fundamentum refertur ad terminum Est autem ratio fundandi relationum potissimùm triplex. *Prima* est Unitas, & numerus. *Secunda* est Actio, & Passio. *Tertia* est Mensura, & mensurabile. *Unitas substantiæ* fundat relationem identitatis inter genus, & speciem, speciem inter, & individua. *Unitas quantitatis* fundat relationem æqualitatis. *Unitas qualitatis* relationem similitudinis. *Unitas loci* relationem indistantiæ. *Numerus* econtrà significat disconvenientiam: Hæc *in substantiis* fundat relationem diversitatis genericæ, vel specificæ; *in qualitate* relationem dissimilitudinis; *in quantitate* relationem inæqualitatis; *in loco* relationem distantiæ. *Actio & Passio* fundant relationem causæ ad effectum, & vicissim. *Mensura & Mensu-*

rabile fundant relationem actûs ad obiectum, & viciſſim. Prætereà hic obſerves, quòd fundamentum, ſi ſecundùm ſe ſpectetur, ſine ratione fundandi, dicatur *remotum;* ſi autem ſumatur cum illa, appelletur *proximum.* Item terminus ſumitur *materialiter* tantùm ſi præcisè ſpectetur ejus entitas ſine ratione terminandi. *Formaliter* ſumitur, ſi cum ratione terminandi accipiatur.

405. *Dico 2.* Relatio dividitur *primò* in realem, & rationis. *Realis* eſt, quæ in ipſis rebus reperitur, independenter âb intellectu; ùt relatio Patris ad filium. *Rationis* eſt, quæ datur dependenter ab intellectu; talis eſt relatio univerſalis ad inferiora, ſubjecti ad prædicatum &c. *Realem* alii relationem *ſecundùm eſſe* appellant; *Rationis* verò vocant relationem *ſecundùm dici.* Vocatur etiam relatio ſecundùm dici, quando reſpectus ipſo nomine non importatur, vel quando nomen non eſt primò impoſitum ad ſignificandum reſpectum, ſed rationem abſolutam, talem relationem dicit *ſcientia* ad *ſcibile* &c. Ita Alenſis, & alii. Dividitur *ſecundò* in relationem Æquiparantiæ, & Disquiparantiæ. *Relatio Æquiparantiæ* eſt, quando Correlativa, i. e. fundamentum & terminus, habent ſimilia nomina; talis eſt inter duo alba, inter duos fratres &c. *Relatio Disquiparantiæ* eſt, quando Correlativa diverſis nominibus exprimuntur; talis eſt relatio Patris ad filium, Principis ad ſubditos &c. Dividitur *tertiò* in mutuam, & non mutuam. *Mutua* eſt inter

ea,

ea, quæ se mutuò respiciunt; sic Magister respicit discipulum, & discipulus Magistrum. *Non mutua* dicitur, quando unum respicit alterum, sed non vicissim respicitur; talis juxta Patronos suos est visionem inter & rem visam, quam visio transcendentaliter respicit, hæc autem non respicitur transcendentaliter â re Visa. Dividitur *quartò* in prædicamentalem, & transcendentalem. *Prædicamentalis* est, quæ est contingens, & accidentalis fundamento, v. g. relatio similitudinis in muro albo A. ad murum B. dicitur prædicamentalis, quia speciale relationis prædicamentum constituit. De hac plura §. sequenti. *Transcendentalis* est, quæ ipsis rebus realiter est identificata, & necessariam cum essentia habet connexionem, ita, ut res sine illa poni non possit. Talis est inter creaturam, & creatorem. Dicitur transcendentalis, eoquòd prædicamenta omnia transcendat, conveniatque omni rei; hoc ipso enim, quòd aliquid sit accidens refertur transcendentaliter ad subjectum, quòd sit substantia creata transcendentaliter refertur ad Deum, ùt creatorem. Adeoque omne ens etiam absolutum sub termino respectivo transcendentaliter respectivum est.

406. *Obj.* Relatio transcendentalis dicitur essentialis fundamento, quia fundamentum per suam entitatem refertur ad terminum, & quod sit fundamento identificata; sed hæc conveniunt quoque relationi prædicamentali; ergo. R. D. *maj.* Quia fundamentum refertur per suam entitatem, i. e. per suam exigentiam in-

trinsecam suorum prædicatorum essentialium, & quòd sit fundamento identificata simpliciter. C. quia fundamentum refertur per suam entitatem, h. e. non quidem per aliquid aliud âb illa entitate realiter distinctum, non tamen per intrinsecam prædicatorum exigentiam, & quòd sit fundamento identificata tantùm secundùm quid, & ùt fundamentum est aliquid accidentaliter respectivum. N. Hæc ultima conveniunt relationi prædicamentali, priora autem relationi transcendentali. *Si ais.* Respectus nequit esse de essentia alicujus absoluti; ergo non datur relatio transcendentalis. ℟. D. *ant.* Respectus prædicamentalis. C. transcendentalis. N. Ratio hujus distinctionis ex præcedente responsione ad objectionem desumi potest. *Inst. 1.* Quodlibet absolutum concipi potest sine relatione; ergo hæc non est de essentia absoluti. ℟. D. *ant.* Sine relatione prædicamentali. C. sine transcendentali. N. *Inst. 2.* Relativum & absolutum non conveniunt in rationibus formalibus; ergo. ℟. D. *ant.* Relativum Categoricum, sive prædicamentale, & absolutum non conveniunt &c. C. Relativum transcendentale &c. N. *Si inferas.* Ergo alia prædicamenta ad prædicamentum relationis revocanda sunt. ℟. N. *Illat.* Nam Aristoteles prædicamentum *ad aliquid* constituit, ùt complectatur relativa categoricè, & accidentaliter, non autem relativa transcendentaliter. Nec dici propriè potest, quòd detur prædicamentum relationis transcendentalis, cùm hæc

hæc per omnia prædicamenta vagetur. *Adverte* prætereà, quòd omnis essentia sit quid absolutum, per τὸ absolutum excludendo relationem prædicamentalem, non verò transcendentalem, cùm hæc essentialiter connexa sit cum ipsa essentia.

§. II.

In quo physicè consistat Relatio Prædicamentalis?

407. *Nota.* Celebriores circa relationem prædicamentalem physicè spectatam sententiæ sunt ferè sequentes. *Prima* est, quæ tribuitur Thomistis, & aliis nonnullis extra Scholam Thomisticam. Docent hi Authores, quòd relatio physicè accepta sit modus aliquis physicus, realiter fundamento, termino, & rationi fundandi superadditus, per quem fundamentum & terminus de se indifferentia, ad esse relativum determinantur. *Secunda* est eorum, qui contendunt relationem esse complexum ex fundamento proximo & termino tanquam partibus, & intrinsecis constitutivis, ac propterea *Partialistæ* vocantur. Pro hâc sententia citantur *Arriaga. Ovied. Hurtad.* &c. *Tertia* docet, relationem prædicamentalem consistere in sola, & adæquata ratione fundandi. Complectitur autem ratio fundandi adæquata rationes duas, unam tenentem se ex parte fundamenti, propter quam fundamentum ad terminum refertur, & dicitur propriè ratio fundandi; alteram tenentem se ex parte

termini, & appellatur ratio terminandi. Pro hac ſententia ſtat *Fabri*, *Sem*, *de Benedictis*, *Lingen.* &c. *Quarta* eſt Connotatorum, qui cum *Conimbr.* & aliis tuentur, relationem prædicamentalem phyſicè conſiſtere in fundamento proximo connotante terminum. Hanc & nos amplectemur.

408. *Dico 1.* Relatio non eſt modus phyſicus, realiter ſuperadditus extremis. Ita Ariſtoteles, & D. Thomas. Prior 14. *Metaph. cap. 3.* ſic habet: *Quòd autem ad aliquid minimè aliqua ſubſtantia, aut ens aliquod ſit, ſignum eſt, quòd ejus ſolùm non eſt generatio, neque corruptio, neque motus: quemadmodum ſecundùm quantum augmentatio, & diminutio, ſecundùm quale alteratio, ſecundùm locum latio, ſecundùm ſubſtantiam ſimplex generatio, & corruptio, at ſecundùm ad aliquid minimè.* Ex quo textu ſic arguo: Si relatio non eſt ens, ſi nec generetur, nec corrumpatur, nec habeat motum; quomodo modus phyſicus eſſe poteſt, extremis realiter ſuperadditus, & ab iis realiter diſtinctus? 11. *Metaphyſ. cap. 12.* cur ad relationem non detur motus, hanc aſſignat rationem: *Etenim altero mutato* (nimirùm termino) *verificatur, alterum nullatenus mutatum*, nimirùm fundamentum. Quod apertè contra hoſce Modiſtas pugnat, juxta quos per receptionem modi anteà non habiti fundamentum intrinſecè mutatur. D. Thomas. *Opuſc. 48. de Relatione. cap. 2.* ita ait: *Similitudo Sortis non eſt aliqua res in Sorte alia âb ipſa albedine; ſed ſolùm eſt*

ipſa

ipsa albedo, ùt se habet ad albedinem Platonis.... Si enim similitudo adderet supra albedinem Sortis aliquam rem, nullo modo posset aliquis fieri alicui similis, sine sui mutatione. &c. Respondent quidem Thomistæ, textum hunc non *Angelici*, sed *Anglici* Doctoris esse, vel D. Thomam mentem suam posteà mutâsse; quantùm verò roboris ac momenti responsio ista habeat, alii dijudicent: Certè *Sylv. Soncin. Javell. Bannez*, & alii Thomistæ, quos citat Gallego, alias de relatione sententias, ùt genuinas D. Thomæ defendunt. *Probatur etiam conclusio rationibus.* 1. Tales modi essent superflui, cùm secluso tali modo duo alba sint formaliter alba, & sibi similia; similia enim sunt, quorum qualitas est una. 2. Tales modi physici deberent habere causam suî productivam; sed, quæso, quænam illa? quis ad unius cicadæ saltum innumeros novarum relationum modos producit? *Vide etiam dicta* n. 140.

409. *Obj. 1.* Relatio separatur realiter â fundamento; ergo realiter âb eo distinguitur. ℟. D. *ant.* Separatur propriè physicè, *per cessationem alicujus intrinseci.* N. Impropriè, denominativè, & *per cessationem alicujus extrinseci.* C. h. e. Cessat fundamentum, v. g. Paries albus A, esse simile, si destruitur terminus, nimirùm Paries albus B, qui est extrinsecus fundamento. *Inst. 1.* Relatio est verum accidens; sed verum accidens physicè separatur â subjecto; ergo & relatio â fundamento. ℟. D. *maj.*

Est

Est verum accidens physicum. N. Metaphysicum. C. D. *etiam min.* Sed accidens physicum physicè separatur â subjecto. C. Metaphysicum N. Idem dic ad sequentia argumenta: 1. Relatio superadditur subjecto. 2. Distinguitur â subjecto. 3. Dependet â subjecto, & perficit subjectum. Nimirùm superadditur subjecto, distinguitur, dependet â subjecto, perficit subjectum *physicè*. N. *Metaphysicè*, utpote accidens metaphysicum sola ratione distinctum. C. *Inst. 2.* Relatio advenit fundamento; quia cùm terminus physicè producitur, etiam fundamento advenit similitudo; R. D. Relatio *entitativè* spectata advenit fundamento. N. *denominativè* sumpta. C. Relatio *entitativè* spectata est ipsum fundamentum, quod tamen non denominatur simile, antequam terminus ponatur. *Inst. 3.* Antequam terminus producatur nihil est simile, ergo relatio similitudinis etiam *entitativè* spectata producitur cum termino. R. D. *ant* Nihil est simile ex defectu alicujus intrinseci in fundamento. N. ex defectu alicujus extrinseci, scilicet termini. C. *Urges.* Si fundamento nihil intrinsecum desit, quò minùs dicatur simile, ergo jam habebit entitatem similitudinis, antequam terminus producatur. R. C. *Infers.* Ergo etiam jam denominabitur simile; quia ubi est entitas formæ, ibi etiam est denominatio â forma orta. R. N. *Illatum. Probationem* D. Ubi est entitas formæ absolutæ, ibi est denominatio âb ea orta. C. Ubi est entitas formæ relativæ. N.

Ulte-

Ulterior Disp. est hæc: Quia forma absoluta âb aliquo extrinseco non dependens, se sola denominat, dum existit in subjecto: forma verò relativa, licet sit in subjecto, quia tamen âb extrinseco dependet, non denominat, nisi ponatur terminus subjecto extrinsecus Adde, quòd denominare fundamentum simile sit effectus tantùm secundarius formæ relativæ, qui potest impediri. Effectus autem primarius est, facere fundamentum referibile ad terminum; quod relatio entitativè spectata præstat, etiam ante productionem termini. *Si dicas:* Denominatio relativa est denominatio intrinseca: ergo âb extrinseco oriri nequit. R. D. *ant.* Est intrinseca âb extrinseco. C. Est simpliciter & absolutè intrinseca. N.

410 *Obj. 2.* Fundamentum Relationis absque modo physicè superaddito est omninò indifferens, ut sit simile, vel dissimile; ergo per talem modum debet tolli hæc indifferentia. R. D. *ant.* Est indifferens ex defectu intrinseci. N. ex defectu extrinseci, scilicet termini. C. vel dic, fundamentum secundùm se, & seorsim sumptum esse indifferens; non autem respectivè sumptum, & connotans terminum.

411. *Obj. 3.* Non datur transitus â contradictorio reali, ad contradictorium reale, sine novo accidente physico; sic paries â non albo nequit fieri albus, sine albedine physicè superadditâ; ergo nec datur transitus â non esse simile, ad esse simile, absque novo accidente physico. R. D. *ant.* In absolutis. C. In respectivis.

ctivis. N. Ulterior autem disparitas est, quia denominationes absolutæ, v. g. *esse album*, sunt adæquatè â forma intrinseca, & âb extrinsecis non dependent. Econtra denominationes respectivæ, v. g. esse simile, *intrinsecæ* quidem sunt, sed *ad extrinsecum*, â quo dependent; sufficit proinde poni illud extrinsecum, sive terminum, quo posito *similitudo* v. g. resultat.

412. *Obj. 4.* Si relatio non est accidens physicum, adeóque modus physicè superadditus, ergo nec visio, nec intellectio, nec quantitas, nec qualitas talia erunt; quia pariter dici posset, quòd sint tantum aliter sic se habentiæ oculi, intellectûs, & objectorum. Consequens non admittitur; ergo nec antecedens. R. N. *sequel. maj. Disp. est*; quia illorum accidentium physicorum causæ assignari possunt; sed modi physicè superadditi causa nulla est assignabilis. Deinde oculus defatigatur videndo, intellectus cognoscendo; quantitas, & qualitas existunt separatæ realiter â subjecto in Eucharistia; sed nihil simile assignari potest pro relatione. *Si ais.* Relatio v. g. similitudinis intenditur, & remittitur; ergo debet esse aliquid physicum. R. D. *ant.* Intenditur, & remittitur directè, & ratione suî. N. indirectè, & ratione alterius v. g. albedinis. C.

413. *Dico 3.* Relatio non consistit in sola, & adæquata ratione fundandi, prout nimirùm rationem terminandi simul complectitur. *Ratio est 1.* Ratio fundandi est causa efficiens relationis; facit enim ut in fundamento resultet rela-

relatio, qua illud ad terminum referatur; ergo non est ipsa relatio. *Ratio est 2.* Ratio fundans relationem causam inter & effectum est *Actio*, & ratio fundans similitudinem inter duos parietes est v. g *Albedo*; sed nec actio, nec albedo est ipsa relatio; *Actio* enim spectat ad prædicamentum actionis; *Albedo* autem ad prædicamentum qualitatis; ergo ratio fundandi non est ipsa relatio. *Ratio est 3.* Ratio fundandi est aliquid physicum, & physicè producibile; relatio autem non est quid physicum, & physicè producibile; nam juxta Aristotelem *supra cit.* non datur ad relationem motus, i. e. actio productiva; ergo.

414. *Obj. 1.* In illo consistit relatio formaliter, quo habito habetur relatio formaliter; sed habitâ adæquatâ ratione fundandi habetur relatio formaliter; ergo. R. D. *maj.* Quo habito tanquam causa vel conditione habetur relatio formaliter. N. Quo habito tanquam ipsa essentia relationis habetur relatio formaliter. C. D. *etiam min.* Sed habitâ ratione fundandi tanquam causâ vel conditione habetur relatio formaliter. C. tanquam ipsa essentia relationis. N. *Si ais:* In eo consistit relatio, propter quod fundamentum refertur ad terminum; sed refertur propter rationem fundandi; ergo. R. D. *maj.* Propter quod *formaliter* refertur fundamentum ad terminum. C. Propter quod *causaliter* tantùm, & tanquam aliquod præsuppositum refertur. N. Ratio fundandi præsuppositivè est illud metitum, facitque causaliter

liter duntaxat, ut *Paries* A v. g. sit referibilis ad Parietem B. *Si reponas:* Non datur alia forma, per quam referatur *Paries* A. *ad Parietem* B. ergo ratio fundandi v. g. *Albedo* est illa forma. ℟. N. *ant. Similitudo* est illa forma, quod inde patet; quòd concretum hoc; *Simile* malè sic resolveres: *Est res habens albedinem;* sed deberes sic dicere: *Est res habens similitudinem*, quam similitudinem causat, & fundat v. g. *Albedo. Si urges:* Similitudo physicè sumpta est ipsa albedo; ergo. ℟. N. *ant.* Sed est fundamentum simile ratione albedinis. Hinc etiam *Paries* v. g. dicitur referri ad terminum; non *Albedo* ad *Albedinem.*

415. *Obj.* 2. Paries *ùt albus* refertur; ergo albedo refertur. ℟. 1. Bonum *ùt cognitum* amatur, ergo cognitio amatur. ℟. 2. Paries *ùt albus* refertur, & τὸ *ut* significat tantum conditionem, vel causam. C. & significat rationem formalem importatam in recto. N. Eodem modo solves plura alia AA. argumenta. *Si ais.* Actio est ratio fundandi inter causam, & effectum; sed hæc est ipsa relatio; ergo. ℟. D. *min.* Est relatio, quatenus est determinatio, nisus & exercitium causæ N. Quatenus est sic se habentia causæ ad effectum C. *Si instes.* Causa se aliter habet per actionem, quatenus hæc est exercitium causæ; ergo. ℟. D. *ant.* Se aliter habet in se. C. in ordine ad effectum. N. Relatio autem non tantùm habet *esse in*, sed etiam *esse ad*, scilicet ad terminum.

416.

416. *Dico 3.* Relatio non involvit terminum tanquam partem *Ratio eſt.* Pars eſſentialis, & conſtitutiva eſt, quæ ſe habet per modum potentiæ, vel actûs, i. e. *ſubjecti*, vel *formæ*; ſed terminus non habet ſe per modum potentiæ, vel actus in relatione; ergo. *Prob. min.* Inprimis non habet ſe per modum *Potentiæ*, vel *Subjecti*: Nam ſubjectum in relatione eſt id, in quo eſt forma relativa, ſive quod denominatur relatum; ſed forma relativa non eſt in termino, nec ipſe denominatur relatus, cùm ſit id, ad quod fundamentum refertur; ergo. Deinde terminus non habet ſe per modum *Actûs*, ſive *formæ*, quia forma in relatione eſt metaphyſica, inexiſtit ſubjecto, poſito termino reſultat, & fundamentum refert ad terminum; ſed termino nihil horum convenit; ergo. Poſtremò, ſi relatio ſit complexum aliquod ex fundamento, termino, & ratione fundandi; ergo etiam cognitio erit comlpexum ex intellectu, objecto, & tendentia in objectum; conſequens fallit; ergo & antecedens.

417. *Obj. 1.* Illud eſt pars rei, quo poſito ponitur res, & quo ſublato tollitur. *Item* ſine quo res nec eſſe, nec concipi poteſt. Item quod ponitur in definitione rei; ſed omnes hæ partium definitiones conveniunt termino in relatione; ergo. R. 1. N. *maj.* Ejusmodi enim definitiones conveniunt quoque eſſentialibus requiſitis, vel conditionibus, v. g. *Approximationi*, quâ poſitâ comburitur ſtramen. Item *Intellectioni*, quâ poſitâ ſequitur volitio;

nec tamen combustionis pars est approximatio, nec intellectio volitionis. R. 2. D. *maj.* Illud est pars, quo posito, ceû Potentia, vel actu intrinsecè rem constituente, ponitur res. C. quo posito, ceû essentiali requisito, ponitur res. N. Eâdem distinctione reliqua membra majoris distingue. Adverte, discrimen inter partem, & essentiale requisitum esse hoc: quòd *Pars* se communicando intrinsecè constituat totum, ùt *Potentia*, & *Actus*, sive *Physica* hæc sint, sive *Metaphysica*. *Essentiale requisitum* autem est *conditio sine qua non*, h. e. sine quâ effectus, vel quasi effectus haberi nequit. Dixi vel *quasi effectus*: quia sicut terminus non est strictè causa relationis, sic nec relatio est strictè effectus; cùm non verè producatur, sed tantùm resultet. *Si ais:* Definitio explicat essentiam rei; ergo terminus positus in definitione relationis, erit de essentia relationis. R. D. *ant.* Explicat essentiam rei tum per partes, tum per essentialia requisita. C. Per partes tantùm. *Subd.* In absolutis. T. in respectivis. N. Dispar autem ratio est, quia respectiva essentialiter extrinsecum respiciunt, id quod non reperitur in absolutis. *Si urges.* Conditiones essentialiter requisitæ non ponuntur in definitionibus; ergo. R. D. *ant.* Non ponuntur in recto, & ùt actus, vel potentia. C. In obliquo. *Subdist.* Si absque conditionibus haberi possit sat clarus, & perfectus rei conceptus. C. secùs. N.

418

418. *Obj. 2.* Fundamentum proximum ponitur in obliquo in definitione relationis; & Albedo in definitione albi; nihilò tamen minùs fundamentum proximum est pars relationis, & albedo est pars concreti albi; ergo etiam illud, quod ponitur in obliquo, potest esse pars rei. R. 1. D. 1*mam partem Antecedentis.* Fundamentum ponitur in obliquo in definitione relationis abstractim sumptæ, & ùt est forma metaphysica. C. Physicè & concretim sumptæ. N. Relatio in abstracto est forma resultans ex fundamento proximo, & termino. Adde, quòd etiam in hoc conceptu fundamentum â termino adhuc satis distinguatur; fundamentum enim habet se *ùt quod*, & ùt aliquid participans denominationem relationis quà talis; terminus autem se habet *ùt quo*, sive ut conditio essentialiter requisita ad hoc, ut fundamentum denominationem hanc participet. R. 2. D. *& alteram partem.* Albedo in definitione *Albi essentialiter* sumpti, & respectu compositi accidentalis importatur in obliquo. N. In definitione *Albi denominativè* sumpti, & respectu subjecti. C. *Album denominativè* sumptum est res, sive subjectum habens albedinem; *Essentialiter* sumptum est res, & albedo. *Inst.* Terminus specificat relationem; ergo erit pars ejus. R. D. *ant.* Specificat *extrinsecè*, sicut objectum specificat cognitionem. C. specificat *intrinsecè*, ùt forma. N.

419. *Dico 4.* Relatio physicè spectata consistit in fundamento proximo connotante ter-

minum. Ita hodie multi contra multos. *Ratio est.* 1. Quia relatio physicè spectata est illud ipsum, quod habet formam relativam; & quod denominatur relatum; sed hoc est fundamentum proximum connotans terminum; ergo. *Ratio est.* 2. Relatio, utpote forma metaphysica, physicè nil aliud est, quàm illud ipsum, â quo abstrahitur; sed abstrahitur â fundamento proximo &c.; abstrahitur enim â relativo; ergo.

420. *Obj. 1.* Relatio resultat, fundamentum non resultat; relatio pereunte termino perit, fundamentum non perit; fundamentum producitur physicè, relatio non producitur physicè; ergo relatio non est identificata fundamento proximo. R. D. *ant.* Relatio *entitativè* resultat, fundamentum *denominativè*, & secundùm esse respectivum non resultat. N. Relatio *denominativè* resultat, & fundamentum *entitativè*, ac secundùm esse absolutum, & physicum non resultat. C. Eodem modo distingue reliquas partes antecedentis. *Inst. 1.* Omne totum plùs dicit, quàm sua pars; sed relatum est totum, & relatio est pars; ergo relatum plùs dicit, quàm relatio. R. D. *maj.* Totum physicum plùs dicit, quàm pars. C. Totum metaphysicum. *Subdist.* Plùs dicit metaphysicè C. Physicè. N. Relatum autem est totum metaphysicum, & relatio est pars metaphysica relati. *Inst. 2.* Relatio est accidens reale, realiter adveniens fundamento; ergo nequit realiter physicè esse ipsum fundamen-

mentum proximum connotans terminum. R. D. *ant.* Est accidens reale, h. e. non est quid fictum. C. Est accidens reale physicum. N. Relatio independenter âb intellectu est in fundamento; sed non distinguitur âb eo, nisi per intellectum

421. *Obj. 2.* Relatio, juxta communem, est forma realis metaphysica; ergo debet realiter metaphysicè distingui â fundamento. *Probas Conf.* Forma realis physica distinguitur realiter physicè â subjecto; ergo forma realis metaphysica distinguitur realiter metaphysicè. R. N. *Conf. Disp. est:* Forma realis physica est aliquid præter subjectum, habet enim entitatem realem propriam âb entitate subjecti distinctam. Econtrà forma realis metaphysica non habet entitatem propriam, & realem ratione suî, sed identificatur entitati reali fundamenti. *Inst. 1.* Relatio non tantùm per intellectum datur; ergo nequit dici forma metaphysica. R. D. *ant.* Non datur tantùm per intellectum quoad esse. C. quoad esse distincti. N. Relatio dicitur forma realis, quia nemine cogitante datur â parte rei, tanquam aliquid indistinctum â fundamento. Dicitur autem metaphysica, quia distinguitur tantùm per intellectum â fundamento. *Inst. 2.* Distingui sequitur esse; ergo si relatio habeat esse reale, etiam distinguitur realiter. R. D *ant.* Sequitur esse rei absolutæ, quæ propriam entitatem, & existentiam suam habet. C. sequitur esse rei habentis essentiam, & existentiam

alteri identificatam. N. Adde, quòd citatum axioma ſalvetur per hoc, quòd priùs ſit eſſe, quàm diſtingui. *Inſt. 3.* Ex hac ſententia ſequeretur, quòd fundamentum indifferens ad relationem, ſit indifferens ad ſe ipſum. *Item*, quòd fundamentum diſtingueretur â ſe ipſo, denominaret, & determinaret ſe ipſum &c. R. D. *ant.* Fundamentum eſſet indifferens ad ſe ipſum, h. e. ad ſuam entitatem. N. ad ſuam denominationem. C. *Item*, fundamentum *adæquatè* ſumptum diſtingueretur â ſe ipſo. N. *Inadæquatè* ſumptum. C. Nimirùm fundamentum ſumptum *ſecundùm obliquum*, diſtinguitur â fundamento ſumpto *ſecundùm rectum*. *Item*, fundamentum denominaret, determinaret ſe ipſum eodem modo ſumptum. N. Diverſo modo acceptum. C. ſcilicèt fundamentum ſumptum *reſpectivè* & *connotativè* denominat ſe ipſum ſumptum *abſolutè*.

422. *Reflexio.* I. Relatio ſecundùm eſſe phyſicum, & in *concreto* eſt ipſum *Relativum*, ſive fundamentum proximum connotans terminum. Secundùm eſſe metaphyſicum, & in *Abſtracto* eſt forma metaphyſica, taleitas, & modificatio entis, ſicut de differentiis entis, *Aſeitate*, *Perſeitate*, &c. communiter loquuntur Philoſophi, hoc tamen diſcrimine quòd ejusmodi differentiæ ſint formalitates abſolutæ, quæ ſubjectum ſuum perficiunt præcisè *in eſſe ad ſe*; formalitates verò relativæ perficiant ſubjectum *in eſſe ad aliud*. II. Hæc forma relativa realiter non produci-

tur

tur, sed posito fundamento proximo, & termino *Resultat*, h. e. *Incipit esse, ita tamen, ut non terminet actionem sui productivam.* III. *Connotare* est præter suum significatum formale manifestare adhuc aliquid aliud in obliquo importatum; sive præter *esse in* significare *esse ad.* IV. Quidquid dicitur de relatione *denominativè* sumptâ, etiam dicitur de fundamento *respectivè* accepto; & quidquid dicitur de fundamento *absolutè* sumpto, etiam dicitur de relatione *entitativè* acceptâ. V. Terminus quatenus est essentiale requisitum, est quasi causa resultantiæ, adeóque natura prior relatione; quatenus verò extrinsecè relationem distinguit, est illâ posterior.

§. III.

De Reliquis ad Relationem spectantibus.

423. *Quæres 1. An dentur Relationes reales?* R. Dantur tam in divinis, quàm in creatis. Est contra *Aureolum*, qui relationes stare docuit in actu intellectûs. Quòd *in divinis* dentur de fide est, quæ docet, nemine cogitante dari relationes Patrem inter & Filium, & Spiritum sanctum. Quòd dentur in creatis cum Aristotele, & D. Thoma Philosophi passim adstruunt. Accedit, quòd ante omnem intellectûs operationem detur *Paternitas*, *Filiatio*, *Æqualitas*, & *Inæqualitas*, imo *Ordo universi* &c. Adde, quòd *Album A* non sit tale, quale est *Album B*, quia concipitur tale; sed quia est tale, ideò sic con-

cipitur. *Nec obstat 1.* Quòd relatio non habeat causam suî realem. Nam licèt non habeat causam suî propriam, ad se directè terminatam; habet tamen impropriam, & ad se indirectè terminatam, qui enim producit fundamentum, vel terminum, dicitur impropriè producere relationem, quæ posito fundamento proximo, & termino resultat. *Nec obstat 2.* Quòd relativa sint rectus, & obliquus, qui non dantur â parte rei. Nam etsi non dentur *formaliter*, dantur tamen *objectivè*, & *secundùm rem. Nec obstat 3.* Quòd relatio sit *comparatio formalis*, quæ fit per judicium. Nam falsum hoc est; sed potius *comparatio objectiva* dici potest, quæ sunt ipsa extrema comparabilia. Hæc autem comparabilitas extremorum non dependet âb intellectu actuali, & *dependentiâ causalitatis*; sed dependet ad summum âb intellectu possibili, & *dependentiâ connexionis.* Ex his tamen inferre non licèt, quòd â parte rei detur solùm *referibilitas*, & non relatio, sicut datur *comparabilitas*, non autem comparatio. Nam disparitas est, quia actualis comparatio est actus intellectûs; refertur autem unum ad alterum independenter âb intellectu ex rationibus supra in responsione positis.

424. *Quæres 2. An terminus respiciatur ùt quid absolutum, an ùt quid respectivum, sive respiciens?* R. Respicitur, ùt quid absolutum. Ita *P. Chamevelle*, & alii, qui hanc quæstionem attigerunt, communiter. *Ratio est 1.* Quia præ-

præcisâ omni formâ relativâ ex parte termini, v.g. *Parietis albi B*, & albedine ejus relictâ, *Paries albus B* adhuc terminat similitudinem *parietis albi A*; ergo ipsa albedo parietis B, non ipsa correlatio, est terminus similitudinis parietis A. *Antecedens* inde constat, quòd quærenti: cur paries albus B terminet similitudinem parietis albi A, respondetur: *quia albus est*, non autem reponitur: *quia similis est*; ergo terminus similitudinis est albedo parietis, non ipsa correlatio. *Ratio est* 2. Terminus tanquam quasi causa relationis est natura prior ipsa relatione; ergo debet esse quid absolutum, quia correlativum formaliter non est aliquid prius ipsa relatione. *Ratio est* 3. Terminus ùt terminus non respicit, sed respicitur, non connotat, sed connotatur.

425. *Obj.* Ex Aristotele, Relativa sunt simul cognitione, naturâ, & definitione; ergo terminus respicitur ùt quid respectivum. R. 1. D. *Cons.* Respicitur ùt quid respectivum *activè N.* Passivè. C. R. 2. *Explico Aristotelem cum distinct.* Sunt simul, h. e. habent necessariam inter se connexionem, ita ut unum nequeat cognosci, quin cognoscatur alterum, saltem *materialiter*, tanquam connotatum. C. Sunt simul, h. e. terminus debet respectivus cognosci. N. Sic cognoscere non possum Patrem, quin cognoscam filium, non quidem *formaliter respectivè* ùt filius est; sed *materialiter*, & *absolutè*, qui filius est, sive qui homo genitus est. Pariformiter nequit definiri Pater, nisi per filium in

obliquo, & materialiter importatum. *Inst.* 1. Filius non respicitur quatenus præcisè homo est, sed quatenus filius est; ergo. R. D. *Ant.* Quatenus præcisè homo est qualiscunque C. quatenus homo genitus est. N. *Inst.* 2. Præcisa filiatione Pater non respiceret filium; ergo eum respicit ùt filius est. R. N. *Ant.* Pater respiceret adhuc filium absolutè, quatenus homo genitus est, sive respiceret filium *materialiter* sumptum cum ratione terminandi. *Inst.* 3. Relationes mutuæ se mutuò respiciunt; sed inter Patrem, & filium est relatio mutua; ergo. R. D. *maj.* Se mutuò respiciunt, si mutent vices, h. e. si fundamentum fiat terminus, & terminus fiat fundamentum C. h. e. Terminus manens terminus respicit fundamentum. N. Sic enim respicitur, non respicit. *Inst.* 4. Terminus ùt terminus nequit concipi, nisi alicujus terminus; ergo. R. D. *ant.* Nisi alicujus terminus, quod ad ipsum referatur C. ad quod ipse referatur. N.

426. *Quæres* 3. *An terminus relationis prædicamentalis debeat actu existere?* R. Affirmativè. *Ratio est:* Quia terminus actu existens est causa relationis; ergo debet esse naturâ prior ipsa relatione. Adde, quòd relatio prædicamentalis sit contingens, fundamento, & indifferens ad existendum, vel non existendum; hoc autem explicari non poterit, nisi requiratur terminus actu existens. *Nec obstat* 1. Quòd Pater etiam mortuo filio dicatur adhuc Pater. Nam dicitur Pater non strictè & Philosophicè; sed vulgari-

gariter tantùm. *Nec obstat* 2. Quòd dentur relationes de præterito, & futuro. In his enim non requiritur existentia termini in *esse rei*, sed *in esse veri*.

427. *Quæres* 4. *Unde multiplicentur relationes?* R. Relationes *in concreto* multiplicantur multiplicatis rectis, sive fundamentis, juxta doctrinam de concretis supra datam. Relationes *in abstracto* multiplicantur multiplicatis terminis. *Ratio est*: Quia posito uno termino resultat una relatio; ergo positis terminis pluribus resultant plures. *Item*, multiplicatis causis actu causantibus multiplicantur effectus; sed termini sunt quasi causæ relationum; ergo.

Quæres 5. *Quæ sint proprietates relationis categoricæ?* R. Sunt sequentes: 1*ma est.* Quòd relativa referantur ad sua correlativa, sic, ut converti aliquo modo possint, v. g. *Pater est filii pater*, & *Filius est Patris filius*. 2*da est.* Quod relativa sint simul naturâ & cognitione. *Vid.* n. 425.

ARTICULUS VI.

De reliquis Prædicamentis.

429. Dico 1. *Actio est* forma accidentalis, à qua aliquid dicitur agere, sive est actus secundus, exercitium actuale, à quo tanquam ratione formali causa dicitur agere. Hæc variè dividitur; alia enim est *Naturalis*, quæ juxta exigentiam subjecti procedit. Alia *violenta*, quæ procedit contra subjecti seu passi exigentiam, v. g. Projectio gravium sursum.

Alia

Alia est *Præternaturalis*, quæ fit præter naturæ intentionem; v.g. si monstrum generetur. Alia est *Artificialis*, quæ ex directione artis ponitur. Alia *supernaturalis*, quæ est supra vires naturæ. Alia *Creativa*, quæ non requirit subjectum, ex quo effectum educat. Alia *generativa*, per quam effectus è subjecto educitur. Alia *Immanens*, quæ cum effectu in ipsa causa recipitur, ùt *visio*, *cognitio*. Alia *Transiens*, quæ recipitur in subjecto extra operantem, ùt *calefactio*. Alia *substantialis*, alia *accidentalis*; Per illam effectus substantialis, per hanc accidens ponitur. De his & aliis actionibus agetur accuratiùs in Physica. Proprietates actionis ex proprietatibus effectuum desumere oportet. *Passio* est forma accidentalis, à qua aliquid pati dicitur, sive est receptio formæ in subjecto âb agente productæ. Passio ab actione realiter non distinguitur, sed ratione tantùm, quia habet alium ab actione conceptum objectivum. Nam actio dicitur, quatenus causa agit producendo terminum; Passio verò appellatur, quatenus subjectum patitur recipiendo terminum productum. Prædicamentum Passionis idem est, quod actionis, modò loco termini *Actio* ponas *Passio*.

430. *Dico* 2. *Ubi* vel *Ubicatiò* est forma denominans rem esse in loco. Est duplex: *Circumscriptiva*, quâ res tota est in toto loco, & singulæ rei partes in singulis partibus loci. Hæc connaturaliter propria est rebus corporeis. Et *Definitiva*, qua res tota est in toto, & tota in qua-

qualibet parte loci. Sic anima noſtra eſt in corpore, & ſpiritus in loco. *Quando* ſive *Duratio* eſt forma denominans rem eſſe in tali tempore. Sive eſt continentia rei in tempore, ùt durationem ejus menſurante; hinc non eſt relatio rei temporaneæ ad tempus; ſed hujus relationis fundamentum, nec eſt ipſum tempus, hoc enim ad quantitatem pertinet; *Quando* verò ſpeciale prædicamentum conſtituit.

431. *Dico* 3. *Situs* eſt diſpoſitio partium ad locum, ſive eſt forma; quâ res cum certo partium ordine eſt in loco, ùt *ambulatio*, *ſeſſio*, *cubatio*. Differt ab *ubi*, quòd hoc dicat tantùm præſentiam rei in loco; ſitus verò addat certam partium inter ſe diſpoſitionem per ordinem ad locum. Sic quærenti: *ubi ſit Petrus*? ſimpliciter reſpondes: *Eſt in ſchola*, *in foro* &c. quærenti autem, *quomodo ibi ſit*? reponis: *Eſt ibi vel ſtans*, *vel ſedens* &c. *Habitus*, ùt hìc ſumitur, eſt certa ratio habendi ornamentum, vel indumentum; ſive eſt adjacentia, & accommodatio veſtis ad corpus, quâ unum dicitur *habere*, & alterum haberi inſtar veſtis, armaturæ, vel ornamenti. Ut autem res dicatur haberi, requiruntur ſequentia: ùt ſit corpus, ut circumponatur corpori, ut non ſit pars habentis, aut aliquid ei cohærens, ut à loco ad locum poſſit transferri. Ex his *colliges* 1. Habitum alium eſſe *Profanum*, alium *Sacrum*, *Politicum*, vel *Militarem*, *Publicum*, vel *Privatum* &c. 2. *Manus*, *Pedes*, *Plumas*, *Roſtra*, & alia animalium ornamenta, quæ natura ipſis dedit, ad præ-

prædicamentum habitûs non pertinere, quia tanquam partes integrantes, ad ſubſtantiarum ſuarum categorias revocantur. 3. Eum, qui in ædibus verſatur, aut in aquis natat, non propriè dici ædibus aut aquis veſtiri, ex defectu ultimi requiſiti. Hæc ſunt, quæ de prædicamentis in Logica breviter pertractanda cenſui, ut interim Tyro Philoſophus terminorum ſæpius occurentium notitiam hauriat, præpareturque ad ea, quæ de diſtributione entis per prædicamenta factâ, in diverſis Philoſophiæ partibus fuſiùs, & accuratiùs pertractabuntur.

DISPUTATIO VI.

De Poſt-Prædicamentis.

POſt-Prædicamenta ſunt quædam quaſi appendices prædicamentorum, complectentes affectiones quasdam, quæ prædicamentis inter ſe comparatis conveniunt, ſuntque oppoſitio, modi prioris, & poſterioris, modi ſimul, ſpecies motûs, & modi habendi. Quid de his ſcire conveniat, ſequentes articuli in compendio dabunt.

ARTICULUS I.

De Oppoſitione Terminorum.

432. NOta. *Termini Comparati* dicuntur, qui in ordine ad ſe invicem conſiderantur, & de ſe invicem affirmari, vel negari poſſunt. Horum alii ſunt *Pertinentes*, quorum unus

unus vel infert, vel excludit alterum, v.g. *Homo*, *Animal*, *Leo*. Alii sunt *Impertinentes*, qui neque inferunt se, neque se excludunt, v.g. *Album*, & *Dulce*. Adverte, quòd ejusmodi termini respectu aliorum possint esse pertinentes. Porrò termini pertinentes, quorum unus infert alterum, sicut *Homo* infert *Animal*, dicuntur *Pertinentes sequelâ*; si autem unus excludat alterum, ùt *Homo* excludit *Leonem*, vocantur *Pertinentes repugnantiâ*. Præterea *Termini pertinentes sequelâ* vel sunt *convertibiles*, qui universaliter de se invicem affirmari possunt, ùt *Homo*, & *Risibile*. Vel sunt *Synonymi*, qui idem eodem modo significant, ùt *Ensis* & *Gladius*. Dixi *eodem modo*, ne terminis synonymis accenseantur *Definita* & *Definitiones*, aliique ejusmodi termini, qui idem quidem significant, sed non eodem prorsus modo. Vel sunt *magìs & minùs communes*, i.e. superiores, & inferiores, ùt *Animal*, & *Homo*. Vel sunt *Excedentes*, & *Excessi*, quorum nullus de altero affirmari universaliter, vel negari potest, sed particulariter ùt *Homo*, & *Album*. *Termini pertinentes repugnantiâ* vel sunt *Disparati*, qui quidem oppositionem aliquam specialem non habent, sed solùm repugnant ob diversitatem naturalem, ùt *Leo*, & *Equus*. Vel sunt *Oppositi*, de quibus hìc specialiùs agendum; prænotandum autem est adhuc 1*mò*. Quòd *Oppositio in genere* sit aliquorum inter se pugnantia, sive primò diversa sint, sivè non. 2*dò*. Quòd oppositio sumi possit *latè*, & strictè. *Latè*

sumpta

sumpta complectitur tres species, *Diversitatem*, *Differentiam* (horum explicationem vide n. 130.) & *Disperationem*, quàm modò explicavi. *Strictè sumpta* est duorum extremorum simplicium repugnantia, quæ ita pugnant inter se, ut simili modo non pugnent cum aliis, ùt *Calor* & *Frigus*. Oppositionis strictæ Aristoteles *cap. de Oppos.* adducit quatuor species; Nimirùm *Relativè opposita*, *contraria*, *Privantia*, *Contradictoria*. De his

433. *Dico* 1. *Relativè opposita* sunt, quæ significant extrema se mutuò respicientia, quorum utrumque est affirmativum, & idem respectu ejusdem convenire non potest. Sic *Pater* ita est filii Pater, ut sub eodem respectu, quo est Pater, non possit esse *Filius*. De *Relativè oppositis* advertendum est 1. quòd per tò *Affirmativum* à *Privativis*, & *Negativis* distinguantur, quorum alterum est non ens. 2. Quòd relativè opposita se ponant, h. e. si unum est, & alterum esse necesse est. Econtrà reliqua opposita se quoad existentiam removent. 3. Quòd oppositio relativa dicatur omnium debilissima; eoquòd unum non opponatur alteri ratione *Remotionis*, sed ratione *Dependentiæ*, quatenus unum ab altero aliquatenus pendet. Hinc illud Aristotelis pronuntiatum: *In solis oppositis relativè unum dicitur esse alterius*. Hoc enim aliis oppositis convenire nequit; sic visus non dicitur esse cæcitatis, nec frigus caloris &c. 4. Quòd oppositio relativa fundet distinctionem realem. Hinc commune axioma: *Inter ea datur*

distin-

distinctio realis, inter quæ obviat relationis oppositio. 5. Quòd inter relativè oppositа detur medium exclusivum utriusque.

434. *Dico 2. Contraria* dicuntur illa attributa, quæ sub eodem genere maximè distant, & eidem subjecto vicissim insunt, â quo se mutuò expellunt, nisi alterum insit â natura. Ita Arist. 5. *Metaph.* cap. 10. Dicitur *1mò*: *Sub eodem genere*; sive hoc *proximum* sit, ùt *Albedo*, & *Nigredo* ponuntur sub colore; sive *remotum*, ùt *Justitia*, & *Injustitia*, quæ ponuntur sub *Habitu*, tanquam eodem genere remoto, licèt genera proxima, nimirùm *Virtus*, & *Vitium* diversa sint. Per hanc conditionem differunt quoque contraria â privativis, & contradictoriis, quæ in nullo genere conveniunt. Dicitur *2dò*: *Maximè distant*; h. e. magis distant inter se, quàm âb aliis omnibus sub eodem genere constitutis; sic albedo & nigredo sub colore magis distant inter se, quàm â quovis alio, & quàm reliqui colores inter se. Hæc distantia contrariorum dicitur *positiva*. Alia est *negativa*, quâ nimirum duo attributa sub eodem genere ita distant, ut nulla attributa sub eodem genere magis distent, licèt aliquot æqualiter distent. Sic distant *Calor*, & *frigus* sub *Qualitate patibili*, sub qua æqualiter distant *humor*, & *siccitas*. Dicitur *3tiò*: *Eidem subjecto vicissim insunt â quo se mutuò expellunt*. Quibus verbis innuitur *primò*, quòd contraria pugnent in ordine ad idem subjectum. *Secundò*, quòd se expellant âb eodem subjecto, sal-

tem in gradibus maximè intensis. Per hæc maximè distinguuntur â relativè oppositis, quæ nec eidem subjecto vicissim insunt, & consequenter nec se mutuò âb eo expellunt. Intelligitur autem hìc expulsio *formalis*, quâ forma in subjecto producta alteram se ipsa expellit; non *Effectiva*, quæ actuosis duntaxat congruit: aliàs ignis contrariè opponeretur frigori, quia efficienter calorem contrarium frigori producit. Dicitur *4tò: Nisi alterum insit â natura*; quia dantur qualitates subjecto suo ita constanter inhærentes, ut opposita in eorum locum substitui nequeant, nimirùm perfectè, & quantùm ad denominationem sufficit; sic ignis nunquam admittere frigus ita potest, ut frigidus dici valeat.

435. *Observanda* de contrariis sunt adhuc sequentia. I. *Liberalitas*, & Avaritia non sunt strictè contraria; eoquòd non distent maximè *Distantiâ physicâ*. Nam avaritia pugnat quidem cum liberalitate, quatenus largitur; sed non pugnat cum illa, quatenus retinet. Dixi *Distantiâ physicâ*: nam oppositio alia est *Physica*, alia *Moralis*, alia *Logica*. *Logica* est inter propositiones diversæ quantitatis, aut qualitatis, aut utriusque. *Moralis* est inter entia moralia, v. g inter *Meritum*, & *Demeritum*. *Physica* est inter entia naturalia, sive inter entia realia, & non entia. Jam si ad distantiam moralem attendatur, tunc absque dubio *Avaritia* magìs distat â *Liberalitate*, quàm â Prodigalitate; major enim est oppositio moralis

inter

inter virtutem & vitium, quàm inter duo vitia. Agitur autem in præsenti divisione oppositorum præcipuè de oppositione physica. II. Quoties unum contrarium vincit, corrumpit alterum; Per accidens tamen, &, ùt loquitur Aristoteles, per ἀντιπερίστασιν, unum contrarium alterum auget. III. Contraria alia sunt immediata, alia mediata. *Immediata* sunt, inter quæ non est medium, sive quorum unum necessariò inest subjecto capaci, ùt *Ægrum*, & *Sanum*; nam non datur medium inter proportionem humorum, quæ est sanitas, & inter illorum improportionem, quæ est ægritudo. Dixi *subjecto capaci:* Nam inter contraria hæc datur medium incapax. v. g. *Lapis*, qui nec æger, nec sanus est. *Mediata* sunt, quæ habent medium, sive quorum alterum subjecto capaci non necessariò inest. Sic parieti inesse potest flavedo, & non necessariò inest albedo, aut nigredo. IV. Contrariorum affectiones ex Aristotele sunt sequentes. *1ma:* Quidquid *Bono* contrariatur malum est; sic sanitati morbus, injustitia justitiæ contrarius est. *Malo* autem & bonum, & malum repugnat. Sic Avaritiæ & prodigalitas repugnat, & Liberalitas. *2da:* Existente uno contrariorum, non necessariò existit & alterum. *3tia:* Contraria eidem subjecto simul inesse nequeunt, nimirùm in gradu intenso, & secundùm eandem subjecti partem &c.

436. *Dico 3. Privativè opposita* sunt habitus, & ejus privatio respectu ejusdem sub-

jecti. Per *Habitum* hìc intelligitur quælibet forma ſubjecto certo, & idoneo debita. *Privatio* ſignificat abſentiam habitûs, ſeû formæ in ſubjecto idoneo, & capaci. Differt â *negatione pura*, vel, ùt alii loquuntur, â *negatione negante*, quòd illa ſit abſentia formæ â ſubjecto capaci; hæc verò â ſubjecto incapaci. Ex his collige 1. Quòd ad privationem requiratur, ut privativè oppoſita in eodem ſubjecto utriusque capaci recipi poſſint; nam *Privatio, & habitus ſunt circa idem*, ùt inquit Ariſt. *cap.* 10. *de categ.* 2. Quòd tunc propriè privatio eſſe dicatur, quando ſubjectum privatur formâ ipſi tempore â natura conſtituto debitâ. Hinc catulus ante nonum diem non dicitur propriè cæcus. Prætereâ de privatione obſervanda ſunt ſequentia pronuntiata. *Primum eſt: A Privatione ad habitum non datur regreſſus.* h. e. A privatione ad eundem *numero* habitum *naturaliter* non datur regreſſus; ad eundem vero *ſpecie* habitum dari regreſſum tunc nihil prohibet, quando eſt privatio tantùm *partialis*, quæ non tollit omnes cauſas ad productionem ſufficientes. Secùs eſt, ſi privatio ſit *totalis*, & ejusmodi cauſæ tollantur. *Secundum eſt: Privatio eſt per ſe non ens.* h. e. Privatio in abſtracto eſt carentia formæ, ſive entis, connotans in obliquo ſubjectum capax. Hinc in concreto ſumpta neceſſariò attribuitur ſubjecto reali, quod formam oppoſitam habere poteſt. Econtrà negatio pura in concreto non neceſſariò tribuitur ſubjecto reali, &

apto

apto ad formam recipiendam, sed prædicatur etiam de non ente, vel de subjecto inepto, v. g. *Chimæra est non lapis.* vel *Lignum est non homo. Tertium est: Privatio non cognoscitur, nisi per habitum oppositum*, saltem proximè. Ratio est, quia esse privationis nihil est, nisi carentia habitûs oppositi; ergo cognosci debet per ordinem ad habitum oppositum. Hinc natum est hoc axioma: *Rectum est sui, & obliqui index.* Sic cæcitas proximè cognoscitur, cognoscendo subjectum, ejus capacitatem, & visum ei debitum, quo caret. Dixi, *saltem proximè*, quiæ cæcitas remotè cognosci potest ex objecto facultatis videndi, quod est color, & lumen. *Quartum est: Privationis, ùt privatio est, nulla est differentia.* Nam non entis non est qualitas, nec differentia. Proinde differentia specifica privationum desumenda est ex formis oppositis, quas tollunt. *Quintum est: Extrema privationis oppositæ sunt ejusdem generis.* h. e. Extremum positivum privationis, v. g. visus, & extremum negativum v. g. cæcitas ponuntur sub eodem genere in categoria, hoc tamen discrimine, quòd positivum ponatur *directè*, negativum verò *reductivè* duntaxat. *Sextum est: Privativa oppositio contradictoriæ aliquatenus affinis est.* Ratio est, quia utraque habet extremum negativum: Privatio habet extremum negativum *secundùm quid*, quia saltem connotat aptitudinem subjecti. Negatio autem pura habet extremum *simpliciter* negativum, quia nequidem connotat subjectum aptum.

437. *Dico 4. Contradictoria opposito* est, inter attributum aliquod, & ejus negationem puram, sive simplicem. v. g. *Homo*, *non homo*. Requiritur autem ad oppositionem contradictoriam, 1. ut sit *de eodem* v. g. *Homo*, *non homo*. 2. Ut sit *respectu ejusdem*; nam respectu diversorum Sempronius potest dici doctus, & non doctus. 3. Ut sit secundùm idem. 4. Ut intelligatur eodem tempore, & loco. Nam Sapiens hodie, non sapiens cras, contradictoria attributa non sunt; nec tale fieri in unco loco, & non tale in altero, respectu corporis reproducti. De hac oppositione observandum porro *imò*, quòd nullum admittat medium secundùm rem; quidlibet enim est, vel non est. *2dò*, quòd sit oppositio omnium maxima: Nam *Privativa* habent saltem medium subjecti, v. g. *Lapidem*, qui est medium subjecti inter videns, & cæcum; cùm nec cæcus, nec videns sit. Adhæc conveniunt eidem subjecto *successivè*. *Contraria* conveniunt sub eodem genere, adeóque habent medium generis. Habent prætereà medium participationis; sic *Tepor* de calore, & frigore aliquid participat. Habent denique medium subjecti, nam in gradibus remissis compatiuntur se in eodem subjecto, imo supernaturaliter etiam in gradibus intensis. *Relativa* habent medium generis, cùm sint ejusdem categoriæ. Habent insuper medium subjecti; sic Adam â primo ortu suo nec pater, nec filius erat. Sed *Contradictoria* nec habent medium per participationem ex-

tre-

tremorum; cùm ex ente, & non ente nihil componi possit. Nec per negationem, aut affirmationem extremorum; quid enim affirmare poteris, quod nec sit ens, nec non ens? vel de qua re hæc ambo simul negare poteris? Nec per participationem ejusdem generis; quis enim unquam assignavit, aut assignabit genus ad ens, & non ens? *Si dicas 1.* Carentia medio minùs distant, quàm non carentia; ergo oppositio contradictoria non est maxima. ℟. D. *ant.* Minùs distant distantiâ loci. C. distantia naturæ. N. *Si dicas 2.* Inter par & impar respectu numeri non datur medium; ergo hæc affectio etiam contrariis convenit. ℟. D. *ant.* Non datur medium respectu numeri præcisè. C. non datur medium respectu cujuslibet subjecti. N. dantur enim plura subjecta, quibus ratio paris & imparis non convenit.

438. *Quæres 1. Quæ sit ratio hujus divisionis oppositorum?* ℟. Hæc est: quia in omni oppositione debent esse duo extrema sibi repugnantia; vel ergo ambo hæc extrema sunt positiva, vel unum tantùm? si ambo sint positiva, ergo vel sunt absoluta, & erunt *Contraria*; vel sunt respectiva, & erunt *Relativa*: si verò alterum extremorum est negativum; ergo vel est pura, & simplex negatio respectu cujuslibet subjecti, & erunt *Contradictoria*; vel est negatio secundùm quid, sive privatio formæ in subjecto capaci, & erunt *Privantia.*

439. *Obj. 1.* Omnia opposita sunt relativa; ergo relativè opposita non constituunt specia-

lem oppositorum speciem. R. D. *ant.* Sunt relativa, si sumantur physicè, & materialiter præscindendo âb oppositione. N. Si sumantur formaliter. *Subdist.* Sunt relativa, quia ex generali ratione sunt ad aliud. C. quia ex speciali ratione sunt ad aliud. N. Nimirum relativè opposita hoc speciale habent, quòd unum ex natura sua inferat existentiam alterius oppositi, etiam præscindendo âb oppositione. Sic *Pater* est *filii pater.* Sed *frigus* non est *caloris frigus*, nec *visio* est *cæcitatis visio.* *Si ais:* Arist. *lib.* 2. *de cælo* inquit: *Si unum contrarium sit in rerum natura, aliud etiam esse debet*; ergo etiam unum contrarium ex natura sua infert alterum. R. N. *Cons.* Nam Aristoteles hìc tantùm loquitur de existentia creaturarum *in ordine ad universum*, ad cujus complementum requiritur, ut existente uno contrariorum etiam alterum existat. Non loquitur autem Aristoteles *de natura contrariorum*; nam natura unius contrarii est destruere suum oppositum, non autem ponere *Si reponas:* Datur prætereà oppositio inter duas negationes, vel privationes, quæ in allatis oppositionibus non continetur; ergo allata divisio saltem non est adæquata. R. D. *ant.* Datur inter negationes &c. oppositio vera phyca, & realis, de qua hìc agitur. N. Impropria tantùm, quæ non est hujus loci. C. Adverte prætereà, quòd nec sermo hìc sit de terminis *Logicè contrariis*, ùt sunt *Omnis*, *Nullus*, vel *Logicè contradictoriis*, quales sunt *Omnis*,

nis, *Aliquis non.* Cùm enim hi termini categorematici non sint, huc reduci non possunt.

440. *Obj. 2.* Saltem non dantur contraria, ùt n. 434. definita sunt. *Prob.* Unum contrarium non potest expellere alterum, v. g. *Frigus* nequit expellere *calorem* âb igne, *siccitas* expellere nequit âb aqua *humiditatem*; ergo. R. N. *ant. Probat.* Ex n. 434. constat, quòd non requiratur, ut unum contrariorum expellat alterum *realiter* & *effectivè*; sed quòd sufficiat explulsio *mutua*, & *formalis*, quæ consistit in hoc: quòd effectus formalis unius formæ *ex natura rei* repugnet in eodem subjecto cum effectu formali formæ alterius; hoc autem modo pugnant inter se *frigus*, & *calor* &c. ergo. Ex hac ipsa ratione additum est in definitione contrariorum: *Nisi alterum insit â natura. Si ais:* Si expulsio contrariorum sit formalis, ergo requiritur, ut duo inter se formaliter pugnantia simul existant; sed hoc fieri nequit in omnibus contrariis; ergo. R. N. *sequel. maj.* Hoc ipsum enim esset contra rationem expulsionis formalis: nam duæ formæ, v. g. *Frigus*, & *Calor*, dum in gradu remisso sunt simul in eodem subjecto, non habent effectus formales repugnantes. *Si reponas:* Saltem in casu, quo duæ formæ sunt simul, una operatur aliquid ad destructionem alterius; ergo etiam in tali casu habent effectus formales repugnates. R. D. *Cons.* Habent effectus formales *mediatè*. C. *immediatè*. N. h. e. Dum *frigus ùt tria*, & *calor ùt tria* sunt simul in eadem

aqua, utraque harum formarum denominabit ſubjectum, nimirùm calor denominabit aquam calidam ùt tria, & frigus frigidam ùt tria, hi duo tamen effectus formales non ſunt invicem repugnantes; igitur nec frigus ùt tria, nec calor ùt tria ſtrictè ſibi contrariantur. Si poſteà aqua unum in ſe gradum frigoris producat, ille cum prioribus tribus conſtituet quatuor gradus frigoris, qui deinde propriè contrarii erunt tribus gradibus caloris, unumque caloris gradum formaliter expellent; ſed aqua, producens quartum gradum frigoris, expellet gradum caloris *effectivè* tantùm, & *formaliter mediatè*.

441. *Quæres 2. An propria contrarietas omni, & ſoli qualitati conveniat?* R. 1. Non convenit omni. *Ratio* eſt, quia dantur habitus, v. g. Primorum principiorum, qui non habent contrarium. Dantur etiam ſpecies intentionales non habentes contrarium, cum ſpecies nigri, & albi ſint ſimul in oculo. Item potentia naturalis, ſi propriè, & non pro omni qualitate paſſibili activa ſumatur, non patitur contrarium, ùt patet in *Intellectu*, & *Voluntate*. Idem dic de *Luce* &c. Ex his colliges, quòd contrarietas non conveniat *Qualitati ùt ſic & ex natura qualitatis*; ſed ex determinatis variarum qualitatum rationibus, quæ contrarietatem compatiuntur. R. 2. Dici poteſt, quòd ſolis qualitatibus conveniat contrarietas, hoc ſenſu, quòd ſingulariter illis tribuatur. Licet enim Philoſophi ſatis communiter doceant,

quòd

quòd *Motus*, & *Actiones* contrarietatem habeant; hæc tamen contrarietas inter actiones, & mutationes positivas reperta, radicaliter oritur ex contrarietate terminorum, qui qualitates sunt.

ARTICULUS II.

De Modis Prioris, & Posterioris.

442. *Dico 1. Prioritas* est forma denominans unum prius altero. Modi autem, quèis unum prius altero esse potest, ex Aristotele recensentur quinque, hoc disticho expressi:

Tempore, naturâ, prius ordine, dic & honore;
Causam causato dicimus esse prius.

Explico. Prius tempore illud dicitur, quod citiùs altero existit, & duratione præcedit. Sic *Plato prior est Aristotele.* Ponitur hic modus primo loco, quia & notissimus, & aliorum quasi mensura est. *Prius naturâ*, si strictè sumatur, duo exigit; nimirùm ut prius sit distinctum realiter â posteriori, & ut posterius â priori dependeat; sic causa prior est suo effectu. Dicitur etiam *Prioritas causalitatis*, quam quinto loco Aristoteles recenset. Si autem prioritas naturæ latè sumatur, dicitur *Prioritas existendi consequentiâ*, vel *logica*, quæ est inter attributa, quorum unum infertur ex alio, sed non vicissim. Sic *unum* prius est *duobus*; si enim duo sint, ergo & unum est; at non vicissim. Sic etiam *superiora* prio-

ra

ra ſunt *inferioribus*; nam quando homo eſt, animal eſt; ſed non vice versâ. *Prius ordine* eſt, quod juxta ordinem, quem natura poſtulat, præcedit. Sic *principia* priora ſunt *concluſionibus*, *primum ſecundo*, *Exordium narratione* &c. *Prius honore* eſt, quod dignitate alterum exſuperat. Sic *Rex* prior eſt *Principe*, *Nobilis plebejo*, *Cælum* prius *elementis*. Hunc modum prioris vocat Ariſtoteles imperfectiſſimum, ſive alieniſſimum, quia, ùt inquit Ammonius, ex hominum potius opinione, quam ex rerum natura pendet. Præter hos modos prioris recenſentur adhuc ſequentes: Nimirùm *Prioritas cognitionis*, quâ illud prius dicitur, quod concipi prius debet, licet â parte rei inter extrema nulla ſit prioritas realis. Sic *rationale* prius eſt *riſibili*. *Prius loco*, quod loco vel â natura, vel aliunde deſignato propinquius eſt. Sic *terra* propinquior centro (quod eſt locus pro rebus gravibus â natura deſignatus) dicitur prior *aëre*. *Prius motu*, quod magis propinquum eſt principio motûs. Sic *manus* trahens campanam eſt prior motu, quàm *funis*, & *funis* prior *campanâ*. Denique admittunt Theologi *Prioritatem originis*, quâ in divinis *principium* prius eſt *principiato*, v. g. *Pater Filio*. Differt hæc â prioritate naturæ per hoc, quòd producens prius natura producat effectum cum dependentia â ſe, adeoque effectum diſtinctæ naturæ ſaltem numericè. Econtrà principium prius origine non producit effectum cum de-

pen-

pendentia â se, sed eandem numero naturam principiato communicat.

443. *Dico 2.* Modi posterioris totidem sunt, quot modos prioris paulò ante recensuimus. Ex his proinde colligi facilè possunt, & ex anteà dictis illorum explicatio desumi.

ARTICULUS III.

De Modis simul, speciebus motûs, & Modis habendi.

444. *Dico 1. Simultas* est forma denominans plura simul. Hæc simultas est inter illa, quæ prius, & posterius excludunt in ea ratione, in qua sunt simul. Dixi, *in ea ratione* &c. quia illa, quæ sunt simul, alio respectu rationem prioris habere possunt, vel posterioris. Sic *Sol* & *Lux* dicuntur simul tempore; sol tamen est naturâ prior luce. Modi simul â Philosopho tres assignantur, his versibus expressi.

Tempore *dico simul, quorum generatio nunc est*
Quæ convertuntur, *dicimus esse simul*
Suntque simul species, *genus unum distribuentes,*
At generis causâ, non ratione sui.

Simul tempore sunt, quæ eodem temporis instanti simul esse incipiunt, vel simul existunt, sive unum sit causa alterius, sive non. Sic *duæ conciones* eodem tempore habitæ dicuntur esse simul, licèt una non sit causa alterius.

Sic.

Sic *Sol* & *Lux* dicuntur esse simul, ita tamen, ut sol sit causa lucis. *Simul convertentiâ*, sive *naturâ* illa sunt, quæ se mutuò inferunt *essendi consequentiâ* ita tamen, ut unum non sit causa alterius. Hæc simultas datur inter relationes categoricas. Sic similitudo inter parietem album A, & parietem album B infert similitudinem inter parietem album B, & parietem album A, quin sit ejus causa. *Simul divisione*, vel *officio* sunt Differentiæ divisivæ ejusdem generis, in quantum ad genus comparantur; nam comparatæ inter se Una est alterâ prior dignitate. Huc etiam spectant species in quas idem genus dividitur. Præter hos simultatis modos, alia dicuntur *simul subjecto*, quæ idem subjectum nanciscuntur, ùt *albedo* & *dulcedo*, in saccharo. Alia sunt *simul causalitate*, ùt *duæ causæ* in eundem simul effectum influentes. Alia sunt *simul definitione*, quæ definiuntur per mutuum respectum; ùt *Pater* & *Filius*. Alia sunt *simul societate*, quæ in eâdem simul disciplinâ versantur; ùt *duo mercatores*, vel *duo condiscipuli*. Alia sunt *simul loco*, ùt plures in eodem templo, vel civitate congregati &c.

445. *Dico 2.* Motus, prout ad postprædicamenta pertinet, est fluxus, seû via quædam ad terminum. Aristoteles motum sic definit: *Est actus entis in potentia, prout in potentia.* Ejus species Aristoteles *cap. de motu*, sex enumerat: *Ortum* & *Interitum*, sive generationem, & corruptionem. *Auctionem*, sive

ſive augmentationem, & *Diminutionem*. *Alterationem*, *Lationem*, ſive motum localem. *Generatio*, & *Corruptio* pertinent ad ſubſtantiam; per illam forma educitur ex materia, per hanc deſtruitur forma vetus è ſinu materiæ educta. *Augmentatio*, & *Diminutio* ſpectant ad quantitatem; per illam major acquiritur quantitas, per hanc imminuitur. *Alteratio* ad qualitatem pertinet, eſtque tranſitus ad novam qualitatem. *Motus localis* ſpectat ad ubi, eſtque tranſitus â loco ad locum.

Adverte prætereà 1. quòd dictæ motus ſpecies ſint tantùm ſpecies latè tales, quo ſenſu membra dividentia ſpecies appellari ſolent. Nam via ad terminum non eſt propriè ſpecies, cum non ſit ens completum. Ex hac ratione Philoſophus motum non poſuit directè in prædicamento; reductivè tamen, & ratione ſui termini, quilibet motus ad aliquod prædicamentum pertinet. 2. Motui ſecundùm ſe opponitur *Quies*, quæ eſt privatio motus. 3. Termini motûs propriè duo ſunt, ſcilicet terminus *à quo*, ſive â quo motus procedit, vel recedit; & terminus *ad quem*, ſive ad quem motus terminatur. Denique ad motum requiritur ſubjectum, quod paſſum ſeû motum dicitur, in quo motus eſt.

446. *Dico 3.* Septem modos habendi ex Ariſtotele depromptos verſus ſequentes exhibent.

Affe-

Affectum, quantum, vestitum, dic, vel ùt aurum,
Membrum, contentum, possessum, habitatiò in unum.

Affectio significat modum habendi qualitatem, v. g. *Virtutem, scientiam, artem* &c. *Quantum* designat modum habendi quantitatem; sic dicimur habere magnitudinem trium aut quatuor cubitorum. *Vestitum, Aurum* denotant modos habendi, aliquid circum positum Corpori, vel ornamentum in parte: sic dicimur habere *vestem, pallium, annulum* in digito, *pileum* in capite. *Membrum* insinuat modum habendi partem corporis, sive integrans sit, sive essentialis. Sic dicimur habere *aures, manus, pedes, corpus, animam. Contentum* indicat modum habendi contentum in continente, sic *dolium* dicitur habere vinum, *modius* triticum. *Possessum* significat modum habendi id, quod possidemus. Sic *Titius* dicitur habere *villam, molendinum* &c. *Habitatio in unum* denotat modum habendi improprium desumptum ex cohabitatione. Sic *maritus* dicitur habere *uxorem, socius socium* &c. Ad extremum adverte, quòd *Habere*, ùt post-prædicamentum est, ad omnes categorias spectet; hinc habitus hìc pro forma sumitur, & per reliqua prædicamenta vagatur.

TRACTATUS II.
DE
LOGICA JUDICATIVA.

ALtera mentis operatio, quæ perceptionem ſimplicem, ſive apprehenſionem conſequitur, eſt *Judicium*, quod definitur: *Actus mentis unum de alio affirmans, vel negans.* Operationem hanc dirigit Logica judicativa, quæ nihil aliud eſt, quàm ipſæ regulæ *Propoſitionum*, *Oppoſitarum*, *Converſionum* &c. Has proinde cum ſubjunctis explicationibus in præſenti tractatu dabimus. Ut autem in materia copioſiſſima, quæ hic pertractanda eſt, ſuus cuilibet locus aſſignetur, & ordinatè procedatur, in diſputationes tres totum hunc tractatum diſpartimur. *Prima* erit quaſi præambula, illáque potiſſimùm complectetur, quæ propoſitionis extrema concernunt. *Secunda* de ipſa propoſitione, ejus diviſione, oppoſitione, & converſione aget. *Tertia* denique ipſius judicii, ùt eſt tertia mentis operatio, eſſentiam exponet, cum variis adhuc quæſtionibus, quæ hoc in tractatu agitari ſolent.

DISPUTATIO I.

De Signo, Voce, Nomine, & Verbo, de Termino Dialectico, ejusque Affectionibus.

ARTICULUS I.

De Signi Natura, Divisione, & Vi significativa.

447. *Nota.* Loqui ad alterum nihil aliud est, juxta D. Thomam, *quàm mentis intimum conceptum alteri manifestare*; Cùm autem hoc in præsenti vitæ statu non nisi per signa quædam sensibilia fieri possit, quandoquidem anima nostra corpori sociata dependenter à sensibus operatur, hinc voces tanquam signa præcipua conceptuum manifestativa adhibemus. Hinc priusquàm de vocibus agamus, signi in genere naturam, divisionem, ejusque vim significativam indagare oportet.

448. *Dico* 1. Signum in genere dicitur illud, *quod potentiam cognoscitivam ducit in cognitionem alterius.* Per τὸ *Potentiam cognoscitivam*: non intellectiva modò potentia, sed etiam sensitiva intelligitur, sive interna hæc sit, sive externa. Per hæc verba: *Ducit in cognitionem alterius*, indicatur, quòd signum duplicem dicat habitudinem: alteram ad potentiam cognoscitivam, ad rem significatam alteram. Ex hoc porrò sequitur, quòd signum sit nomen relativum; adeóque non sine improprietate aliquid dicatur

sui

sui signum; cum nullum proprium relativum sit ad se, sed ad aliud. Adverte prætereà, quòd signum deducere in cognitionem alterius possit vel *formaliter*, vel *objectivè*. *Formaliter* in cognitionem alterius illud ducit, quod tanquam forma denominans potentiam cognoscentem, ipsam in cognitionem alterius ducit *immediatè*, i. e. quin ipsum signum *ùt quod* cognoscatur: sic in cognitionem alterius ducunt *cognitiones*, *visiones* &c. *Objectivè* hoc præstat illud signum, quod priùs cognitum ducit in cognitionem alterius. Per τὸ *Alterius* significatur, quòd res significata debeat esse distincta à signo; etsi non requiratur distinctio realis adæquata, ut in pluribus signis patet. Hoc ipsum ad signi naturam requirere videtur S. Aug. qui *lib. 2. de Doct. Christ.* signum ita definit: *Est id, quod præter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire.* Et *lib. de Ordine* ita ait: *Signum est id, quod se ipsum sensui, & aliquid aliud animo repræsentat:* quæ definitiones bonæ quidem sunt, sed non universales; quandoquidem signis materialibus tantùm, & sensu externo perceptibilibus conveniant.

449. *Dico* 2. Signum aliud est formale, aliud instrumentale. *Formale* illud dicitur, quod informando potentiam ducit in cognitionem alterius, quin priùs cognoscatur *ùt quod*. Talia signa sunt cognitiones. *Instrumentale* est, quod priùs cognitum in cognitionem alterius ducit. Sic *fumus* ducit in cognitionem ignis; *Hedera* in cognitionem vini venalis. Prætereà dividi-

tur in sensibile, & insensibile. *Sensibile* est, quod sensu percipitur. *Insensibile* est, quod sui speciem sensibus immediatè non ingerit. Porrò aliud naturale dicitur, aliud ad placitum, sive arbitrarium, vel artificiale. *Naturale* est, quod ex natura sua cum re significata connexionem habet; ùt *fumus cum igne*, *gemitus cum dolore* &c. *Signum ad placitum vocatur*, quod ex agentis intellectualis institutione expeditam, & completam significandi vim habet. Sic *Oliva denotat pacem*, *Iris diluvium non ampliùs futurum*, *Redimitus tempora lauro victorem.* &c. Signa ad placitum possunt esse vel practica, vel speculativa, sive theorica, *Practica* sunt, quæ rem significatam simul causant, sic *sacramenta novæ legis* causant gratiam sanctificantem, quam significant. *Speculativa* sunt, quæ non causant id, quod significant; ùt *humanæ voces.* Denique signum aliud est *Rememorativum*, quod ducit in cognitionem præteritorum; v. g. *Sacrificium Missæ* respectu passionis Dominicæ præteritæ. Aliud *Demonstrativum*, quod indicat rem præsentem; v. g. *Hedera* respectu vini venalis. Aliud *Prognosticum*, quod rem futuram significat. Sic *Manè rubens cælum venturos denotat imbres*; Econtrà *Nocte rubens cælum* cras *indicat esse serenum.*

450. *Dico* 3. Vis significativa signi in actu primo proximo, si *physicè* spectetur, est ipsa signi entitas habens connexionem cum re significata, quæ connexio si naturalis sit, erit vis significativa signi naturalis; si verò sit arbitra-

ria,

ria, sive ex agentis intellectualis institutione oriatur, erit vis significativa signi ad placitum. v. g. Vis significativa *fumi*, est ipse fumus habens connexionem cum igne, ita, ut *Fumus* sit fundamentum, *Connexio* sit ratio fundandi, *Ignis* terminus. In signo autem ad placitum, v. g. in *Voce*, vis significativa est ipsa vox affecta volitione institutorum, sic, ut *Vox* sit fundamentum, *Volitio institutorum* ratio fundandi, & *Res significata* terminus. Si autem *metaphysicè* sumatur, tunc est habitudo aliqua resultans. Rationes horum desume ex *Disp.* 5. *Art.* 5. *de Relatione* §. 2. ac præcipuè ex n. 419. ubi diximus relationem physicè consistere in fundamento proximo connotante terminum.

451. *Obj.* Qui cognoscit signum, non semper cognoscit simul instituentis volitionem; ergo hæc non requiritur ad rationem signi ad placitum. R. *D. ant.* Qui cognoscit signum signatè, & secundum omnia tam in- quàm extrinseca constitutiva non cognoscit simul institutoris volitionem. N. Qui cognoscit signum exercitè tantùm. *Subdist.* Non cognoscit volitionem exercitè, & implicitè. N. signatè & explicitè. C. *Si ais.* Etiam belluæ cognoscunt signa, & tamen non cognoscunt connexionem, sive naturalis illa sit, sive moralis ex agentis intellectualis instituto dependens; ergo. R. D. *ant.* cognoscunt signa ùt *signa*, & *formaliter* talia N. cognoscunt signa, *quæ signa*, & materialiter talia. C. Nimirùm bruta cognoscunt unum post alterum, non autem unum ex alio. *Si re-*

ponas. Canis intentato sibi minaciter baculo fugit; ergo cognoscit baculum ùt signum verberum. R. N. *Cons*. Quòd ostensione baculi certo modo factâ canis fugiat, hoc inde est; quòd sæpiùs lautè, ac generosè baculo fuerit exceptus, hinc excitatis speciebus baculi, excitantur quoque species verberum, movéntque phantasiam, & appetitum ad fugam baculi, utpote rei tergori suo inimicæ. *Si postules*: quodnam sit objectum instituentis vocem ùt signum ad significandum? R. Objectum ejus est vis significativa in actu secundo, sive actualis significatio. *Si ais*. Significatio in actu primo est priùs volita, quàm significatio in actu secundo; illa enim est hâc prior; ergo. R. N. *ant. Probat*. D. Est prior ordine executionis C. ordine intentionis. N. Finis, qui hìc est actus secundus, prius intenditur, quàm medium, quod hìc est actus primus; medium tamen in executione præcedit finem intentum.

452. *Reflexio I.* Affectiones signi sunt sequentes, nempe *certitudo*, *incertitudo*, *veritas*, *falsitas*, *probabilitas*. *Certum*, aut infallibile illud signum dicitur, quod ob infallibilem connexionem saltem naturalem cum significato nunquam fallit; tale est *respiratio* significans vitam animalis. *Incertum*, & *fallibile* illud dicitur, quod sæpius, vel æquè sæpè fallit, ac non fallit. Talia enumerat Martialis canendo:

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine luscus:
Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es.

Ve-

Verum nuncupatur, quando res ita se habet, ùt signum illam significat. *Falsum*, quando res non ita se habet, ùt significatur. *Probabile* dicimus illud, quod rarò fallit. Tale est *rubens sub noctem cælum*, respectu secuturæ serenitatis. II. *Forma* signi ad placitum (de hoc enim potissimùm hìc agitur) est ordo moralis, quem habet ad rem significatam. Dixi *moralis*, quia ex libera electione, institutione, & acceptatione hominum significat. *Causa* hujus signi *efficiens* dicitur voluntas, electionem liberam, ac institutionem ponens. *Causa materialis* est ipsa res significans, & connexa cum re significata. *Causa finalis* est conservatio societatis, commerciique humani. III. Ut signum ad placitum significativum sit in actu primo proximo, volitio institutoris sequentes habere debet conditiones: nempe ut sit sufficienter *declarata*, hominésque hanc institutoris voluntatem passim sciant; ut sit *acceptata* per consensum populi; ut voluntas & acceptatio *moraliter perseverent*, & non retractentur per volitionem contrariam, aut alio modo eisdem derogetur. IV. In unum signum plures ex his divisionibus coincidere possunt; sic sacramenta novæ legis sunt signa speculativa, rememorativa passionis, practica, & demonstrativa gratiæ, & insuper prognostica gloriæ.

ARTICULUS II.

De Vocibus, earúmque significatione.

453. *Nota.* Quòd voces humanæ inter signa, queîs mentis nostræ concep-

ptus aliis manifestamus, principem obtineant locum, nemo facilè in dubium vocabit. Hinc *S. Damasc. lib.* 1. *de Fide.* Voces *Intelligentiæ angelos*, i. e. conceptuum internuntias, appellat. Plotinus eas dicit *animi interpretes.* Aristoteles *lib.* περὶ τῆς ἑρμηνείας, sive *de Interpretatione*, illas *affectuum animi notas* interpretatur. Prætereà verbum aliud *internum* esse docet, quod est animi conceptus; *externum* aliud, quod est vox. Agitur autem hìc minimè de voce in genere, sive prout sonum qualemcunque significat, quam Aristoteles *lib.* 1. *de Anima cap.* 8. sic definit: *Est sonus ex ore animalis prodiens, & per appulsionem aëris è pulmonibus in fauces incurrentis, & allisi formatus.* De hac acceptione vocis intelligendum videtur illud Isaaci dictum *Gen. cap.* 27. *v.* 22. *Vox quidem vox Jacob est, sed manus, manus sunt Esau.* Nec loquimur hìc de voce inarticulata, quæ eodem modo definitur, additis solùm his particulis: *nullam habens syllabarum literarúmque distinctionem.* Sed præsens articulus est de voce humana articulata, h. e. per syllabas, & literas, quasi per artículos distinctâ, quæ sic definienda est: *Est sonus literis, & syllabis distinctus, ab homine ad exprimendas animi cogitationes prolatus.* Dicitur 1. *Literis & syllabis distinctus.* Per quæ verba differt à *gemitu, suspiriis, risu* &c. Item à confusis animalium vocibus, v. g. ab *hinnitu equorum, à crunitu porcorum, à balatu ovium* &c. Dicitur 2. *Ad exprimendas animi cogitationes prolatus;* ut distinguatur à vocibus *psitacorum, picarum,*

carum, *ſtarnorum*, qui voces articulatas quidem proferunt, ſed non ad manifeſtandas cogitationes. Item ab iis vocibus, quæ voces *hominis* uon autem *humanæ* appellantur, ùt ſunt voces non humano modo prolatæ, v. g. voces dormientium. De vocibus articulatis & humanis hìc quæritur 1. Qualia ſigna ſint? 2. Quid ſignificent, an res, an conceptus?

454. *Dico* 1. Voces articulatæ, & humanæ ſunt ſigna ad placitum. Eſt contra Heraclytum, Cratylum, & paucos alios, qui docuerunt voces ita ſignificatis ſuis ſimilia eſſe, tantámque cum re ſignata habere affinitatem, ut ſigna naturalia dici debeant. *Ratio eſt* 1. Quia voces non ſignificant idem nationibus omnibus, id quod tamen ſigna naturalia præſtant, ùt *gemitus*, qui apud omnes dolorem exprimunt. Patet hoc in variis vocibus: Sic *Lego* ſignificat Græcis dicere, Latinis mittere, vel colligere, *Hiſpanis* Laicum. Sic *Canis* ſignificat Græcis caniſtrum, Latinis animal latrabile. Adde, quòd ſæpius eadem vox apud easdem gentes diverſa ſignificet, ùt *Canis*, qui jam animal latrabile, jam ſtellam, jam animal marinum denotat. Subinde etiam diverſæ voces idem omninò ſignificant, ùt *Templum*, & *Eccleſia* &c. *Ratio eſt* 2. Quia nulla vox eſt, quæ non aliud ſignificaret, ac nunc ſignificat, ſi primi inſtitutores voluiſſent, ut ex diverſitate linguarum de novo ortarum ſatis liquet. Adverte hìc, nos minimè negare, quòd voces habeant aliquid à natura, quatenùs nimirùm natura pro-

ponere homini debuit signa, & quidem ejus naturæ accommodata, ut homo, *animal sociale*, animi sui sensa patefacere, in necessitatibus consulere, & commercii causâ consilia petere, disciplinas & accipere, & reddere posset. Præterea nullatenus inficiamur voces articulatas, quatenus præcisè soni sunt certo modo inflexi, signa naturalia esse; ex voce enim sic accepta varios animi motus colligere naturaliter potes; v. g. *Iram*, *mansuetudinem*, *audaciam*, *timiditatem*, *dolorem*, *tristitiam* &c.

455. *Obj.* Voces quædam naturalem habent aptitudinem ad certum aliquid specialiter significandum. Sic *Balatus* significat vocem ovium, *Mugitus* vocem bovis &c. ergo saltem aliquæ voces naturaliter significant. ℟. D. *ant.* Habent aptitudinem naturalem, ita tamen, ut potuerint ad aliam significationem traduci C. ita ut non potuerint traduci ad significationem aliam. N. Placuit nimirùm hominibus vocibus ejusmodi pauciſſimis, per Onomatopejam formatis uti, propter aliquam, quam cum sono significato habent, similitudinem, & connexionem analogicam; non verò propter connexionem, verè physicam, qualem habet fumus cum igne. *Si inferas.* Ergo frustra laudatur Protoparentis nostri sapientia, quòd cunctis animantibus nomina proportionata imposuerit. ℟. In sacris bibliis Adamum propterea laudatum fuisse non reperio. Deinde sapientia potiùs exercetur in impositione nominum derivatorum, & compositorum, quàm primitivorum; illis enim latens re-

rerum nominatarum natura explicatur, ùt si *Vulpi* nomen ab astutia imponas, *Leoni* à fortitudine &c. *Si reponas.* Admisso hoc, quòd voces sint signa ad placitum, dabitur processus in infinitum; nam hoc ipsum placitum ostendi aliis debet per voces alias; vel ergo istæ aliæ voces etiam sunt signa ad placitum, & sic rursus hoc placitum per voces indicandum est, & sic itur in infinitum, vel certè deveniemus tandem ad voces naturaliter omninò significantes. R. N. assertum. Necesse non est, ut primus quidam linguæ institutor placitum suum aliis semper, & aliis vocibus ostendat, sed per nutus, & gestus conceptus suos manifestare potest, sic tangendo lapidem, & proferendo τὸ *Lapis*, indicare aliis potest, hoc esse rei illius nomen; quo pacto juventus plerumque patriam linguam addiscit. Ad hæc teste S. Augustino *lib.* 8. *de Genes. ad lit.* Deus primis hominibus voces quasdam primigenias indidit, quæ ex libera Dei institutione, & hominum acceptatione significarent, quarum ope alias, & alias subinde invenerunt.

456. *Dico* 2. Voces sunt signa tum conceptuum, tum rerum. *Partem primam* asserit Aristoteles cap. 1. *de Interpr.* ubi vocem *Passionum* (i. e. conceptuum) *animæ signum, & notam* appellat. Item D. Aug. qui *lib.* 15. de *Trinit. cap.* 11. ita habet: *Verbum, quod foris sonat, signum est verbi, quod intus latet.* Accedit ratio, quæ hæc est: Quòd cogitationes nostræ per se non pateant; cùm igitur eas communicare alteri volumus, quibuscum vivere, & in bono ra-

rationis communicare cupimus, id fieri per alia signa debet, & præcipuè per voces; de quibus S. Aug. *Lib. 2. de ordine cap.* 12. ait: Rationem invexisse sermonem, ut, quoniam homines animos suos sentire non poterant, ad eos sibi copulandos, sensu quasi interprete uterentur. Adde, quòd, nisi voces conceptus significent, nullum sit mendacium; mentiri enim, est contra mentem ire. *Altera pars* ex eodem Aristotele colligitur, qui *lib. de Interpret.* docet, quòd Oratio vera vel falsa sit, ex eo, quod res sit, vel non sit; ergo oratio significat rem. Idem evincit ratio: Nam ùt primùm vox loquentis auditur, audiens ad rem percipiendam excitatur, ùt ipsa experientia comprobat. Adhæc *Gen.* 2. legitur, adducta fuisse animalia ad Adamum, ut ipsis nomina imponeret; ergo voces res ipsas significant.

457. *Dico* 3. Voces ùt præcisè signa sunt, *ordinariè* significant *immediatè*, *primariò*, & *per se* res ipsas; *mediatè* verò *secundariò*, & *per accidens* significant mentis conceptus. *Ratio 1mæ partis est*, quia auditâ præcisè voce rem ipsam cogitamus, & plerumque ad loquentis mentem non advertimus. Sic audiens vocem *Homo*, vel *Lapis* &c. hominem ipsum, vel lapidem cogitat, non autem conceptum, quem loquens, de homine vel lapide format. Accedit, quòd vox *primariò*, & *per se*, significet illud, quod in propositione sive mentali, sive vocali in recto prædicatur, & *ùt quod*; sed res, sive objectum conceptûs, non autem rei conceptus prædi-

prædicatur *ùt quod*; aliàs, dum dico: *Petrus est doctus*, sensus foret: *Petrus est conceptus docti*, vel *conceptus Petri est doctus*, vel *conceptus Petri includitur in conceptu docti*, quod quàm ridiculum sit, nemo non videt; ergo voces significant primariò, & per se ipsas res. *Ratio 2dæ partis est*, quia audiens vocem loquentis tantùm mediante ratiocinio alterius conceptum cognoscit; sic enim ratiocinatur: Homines ideò loquuntur, ut conceptus similes iis, quos mente formârunt, in audientis animo generent; ergo loquens mihi v. g. de homine, hominis conceptum in mente habet. Dixi supra 1. *ùt præcisè signa sunt*: Nam non nego, quòd voces, *ùt symbola sunt*, sive *ùt impropriè* significant, *primariò*, & *immediatè* ipsos mentis conceptus significent. Id ex ratione symboli colligitur, quæ in eo sita est, ut alterius loco ponatur, idémque præstet, quod præstaret aliud, si præsens foret; cùm igitur loquens ipsum conceptum mentis suæ audientibus immediatè præsentem sistere non possit, voces adhibet quasi sequestras, conceptuúmque suorum vicarias. Quando verò voces symbola sint, colligere poteris ex his verbis: *sentio*, *opinor*, *cogito* &c. nisi fors aliud ex circumstantiis colligere liceat. Dixi 2. *Ordinariè*, nam, quòd voces etiam ùt signa strictè talia subinde ipsos conceptus mentis *immediatè* significent, constat in his propositionibus: *conceptus est operatio mentis*, *argumentatio est oratio unum ex alio inferens*; in quibus conceptus, & argumentatio per voces immedia-

mediatè innoteſcunt. Duo autem conceptus mentis hìc diſtinguendi ſunt; primus eſt objectum, & res ſignificata; alter eſt rei ſignificatæ conceptus, ſcilicet conceptus mentis, qui primò repræſentatur.

458. *Obj.* 1. Voces ſignificant res mediantibus conceptibus; ergo ſemper immediatè conceptus ſignificant. R. N. *ant.* vel D. mediantibus conceptibus *ùt quod*, tanquam objectis priùs ſignificatis N. mediantibus *ùt quo*, & mediatè cognitis C. *Si ais*: Ariſt. *lib.* 1. *de Interpr.* docet, voces eſſe ſigna paſſionum, i. e. conceptuum, ut interpretatur D. Thomas *lib.* 1. *de interpretatione lect.* 2. R. Idem & nos docemus; quamvis negemus, quòd immediatè ſemper ſignificent conceptus. *Si reponas*: quòd Ariſtoteles paulò poſt dicat, voces eſſe primò ſigna paſſionum animi. R. Sunt primò ſigna paſſionum animi, ſi ùt ſigna naturalia ſpectentur; ſecùs eſt, ſi illa ùt ſigna ad placitum conſideres. *Si objicias* textum D. Thomæ *Lib.* 1. *contra gentes. cap.* 35. & 1. *p. q.* 13. *a.* 4. ubi ſic ait. *Sciendum, quòd ſignificatio nominis non immediatè refertur in rem; ſed mediante intellectu, ſunt enim voces notæ earum, quæ ſunt in anima, paſſionum, & ipſæ conceptiones ſunt rerum ſimilitudines.* R. S. Thomam *loc. cit.* loqui de vocibus ùt ſunt ſymbola, non verò ùt ſunt ſigna ſtrictè talia. Inhæret nimirùm verbis Philoſophi, qui *lib.* 1. *de Interpr.* cap. 1. voces vocat *σύμβολα τῶν παθημάτων*. i. e. ſymbola conceptuum. *Si urgeas.* Philoſophus paulò poſt voces appellat *συμβὰ πρώτως*,

πρώτως, i. e. signa animi passiones primò significantia. R. Aristotelem ibi intelligere voces, ùt sunt signa naturalia; sic enim habet: *At verò & sensa animi, quorum primùm verba notæ sunt, & res, quarum sensa animi, speciem gerunt, idem apud omnes valent; sed de his in libris de animo diximus; non enim ad institutum sermonem pertinent.*

459. *Reflexio I.* Quæstio hìc non procedit de particulis quibusdam, v. g. *Nisi, si, sed, Utinam, ô si, vel, et, neque, forsitan* &c. quæ probabiliùs non significant rem distinctam à cogitatione intellectûs, sed certum modum tendendi, ùt ex propositionibus patet, in quibus ejusmodi particulæ adhibentur. II. Aliæ voces significant res ùt existentes in intellectu, & cum statu præcisionis, v. g. *universale, genus, species* &c. quæ & rem & conceptum *tanquam objectum* immediatè significare videntur; quia significant res ùt existentes in intellectu, quoad denominationes, quæ secundùm statum illis conveniunt. Aliæ significant res secundùm esse physicum, v. g. *deambulare, dormire, Petrus* &c. Huc etiam revocantur illæ voces, quæ significant genera, vel species, v. g. *Homo, Canis, Lignum* &c. An verò vel quando ejusmodi voces significent res secundùm esse physicum, & quando secundùm esse intentionale, & cum statu, hoc ex sensu, & circumstantiis intelligendum est. Sic dum dico: *Lignum ardet, Homo currit:* nemo inficiabitur, has voces *Lignum, Homo* significare res secundùm esse physicum.

Econ-

Econtrà verò in his propoſitionibus: *Homo eſt ſpecies*, *Animal eſt genus*. τὸ *Homo*, & τὸ *Animal* ſignificant rem ſecundùm ſtatum præciſionis. Pro horum explicatione conſule dicta n. 377. III. Sicut voces ore prolatæ ſigna ſunt ad placitum, ita quoque voces ſcriptæ. Igitur dicta de vocibus ore prolatis, etiam vocibus ſcriptis cum proportione applicanda ſunt. Dixi *cum proportione*: ſicut enim voces ſigna ſunt ſubordinata conceptibus, ita ſcripturæ ſigna ſunt ſubordinata vocibus; quod S. Aug. teſtatur *lib. 2. de ordine cap. 12.* inquiens, *quia audiri verba abſentium non poterant, ratio peperit literas.* Hinc ſcripturæ ſaltem regulariter per ſe non ſignificant res, niſi per voces. Dixi *regulariter*; certum enim eſſe videtur, ſcripturas dari non voces, ſed res immediatè ſignificantes, ùt ſunt notæ numeros exprimentes, item Hieroglyphica Ægyptiorum, aliíque characteres ſymbolici, qui etiam ab ignorante ſcribentis linguam tenentur, ac propterea ab aliis aliter juxta ſuum cujusque idioma efferuntur.

ARTICULUS III.

De Nomine, & Verbo.

660. *Nota.* Vocum ſpecies octo communiter aſſignantur: *Nomen*, *Pronomen*, *Verbum*, *Participium*, *Adverbium*, *Præpoſitio*, *Interjectio*, *Conjunctio.* Has inter voces *Nomen*, & *Verbum* primariæ ſunt; his enim ad exprimendos mentis noſtræ conceptus poti-

tissimùm utimur; *Nomine* apprehensiones, *Verbo* autem nominibus juncto judicia manifestamus. Reliquæ voces vel ad duas modò dictas species revocantur, ùt *Pronomen*, & *Participium*. Vel modum rei, non rem ipsam significant, ùt *Adverbia*. Vel non tam modum rei, quàm diversos mentis operationum modos indicant, ùt *Præpositio*, *Interjectio*, *Conjunctio*. De primariis vocum speciebus, utpote idearum mentis nostræ manifestativis hìc paucis agendum; ne Philosophus iis malè perceptis vel applicatis, in ipsis intellectûs operationibus hallucinetur.

461. *Dico* 1. Nomen *lib.* 1. *de Interpr. cap.* 2. ab Arist. sic definitur. *Est vox significativa secundùm placitum, sine tempore, cujus nulla pars significativa est separata.* Explico. 1*mò*. Nomen *Vox* dicitur ad excludendos conceptus. 2*dò*. *Signicafitiva*, ut voces nihil significantes excipiantur, v. g. *Blictri*, ejusmodi enim voces ad propositionem scientificam inservire non possunt. 3*tiò* *Secundùm placitum*: Per has particulas rejicit hìc Aristoteles voces naturaliter significativas, v. g. voces ferarum, gemitus, suspiria &c. quas voces, quoniam scripto non experimuntur illiteratas appellat. 4*tò*. *Sine tempore*, i. e. Nomen præter principale significatum suum, nullam denotat primariam temporis differentiam, nec *præsens*, nec *præteritum*, nec *futurum*. 5*tò* *Cujus nulla pars est separata.* Per quæ verba nomen differt ab oratione, cujus partes etiam seorsim sumptæ idem significant, quod conjunctim.

e. g. Nominis *Homo*, nec *Ho*, nec *mo*, quæ sunt partes ejus, seperatim aliquid significant; sicut partes hujus orationis: *Homo doctus*. Item in nomine hoc composito καλλιππος, τὸ ἵππος in quantùm est pars hujus nominis compositi nihil significat, quia seperatim non significat illam rem, quam per modum unius denotat τὸ καλλιππος, scilicet hominem hoc nomine vocatum. Significat verò aliquid etiam seperatim in hac oratione καλὸς ἵππος. Hoc exemplo Aristoteles simul manifestat discrimen inter nomen simplex, & compositum. Nam partes nominis simplicis seperatæ non modò non significant, sed neque vim significandi habent, cùm ad aliquid significandum impositæ non sint, ùt partes hujus vocis *Pe-trus*. Econtra partes nominum compositorum seperatæ vim significandi habent, licet, in quantùm partes talis nominis sunt, vim significativam non exerceant. His explicatis Aristoteles *loc. cit.* sic pergit: *Non homo verò non est nomen, nec ei nomen ullum impositum est, quo appelletur, quandoquidem nec oratio est, nec negatio. Appelletur sanè nomen infinitum, quod æquè in quavis re dicatur, tam quæ est, quàm quæ nulla est. Hæc verò Philonis, & Philoni, & cætera ejusdem generis, non nomina sed casus nominis vocentur.* Ex quibus verbis liquet, Aristotelem ad nomen requirere vocem *finitam*, cùm termini infinitantes nihil determinatum significent; & *Rectam*, i. e. in Nominativo positam; nam casus obliqui non tam nomina, quàm aliquid nominis, ejusque inflexio,

& mo-

& modificatio sunt, cùm soli non faciant cum verbo propositionem veram vel falsam. Adverbia quoque per ultimam hanc particulam excluduntur.

462. *Dico* 2. Verbum juxta Aristotelem *lib. 1. de Interpr. cap. 3.* est, *Quod tempus adsignificat, cujus pars nulla significat separatim, semperque est nota eorum, quæ de altero dicuntur.* Distinguitur à nomine, quòd verbum præter principalem significationem suam, quam ex instituto hominum habet, determinatam temporis differentiam significet. Per has particulas: *semperque est nota eorum, quæ de altero dicuntur*, indicatur, quod verbum semper significet aliquid esse in subjecto, vel aliquid de subjecto dici. E. g. quando dico *Socrates ambulat*, significo, quod ambulatio sit in Socrate tanquam accidens in subjecto. Dum verò dico: *Socrates est homo*, significatur hominem dici de Socrate. Aliam harum particularum explicationem *vid. in Dialect.* P. Du Trieu *Tract. 2. p. 1. cap. 1. a. 2. de Verbo.* Philosophus præterea de verbo *loc. cit.* hæc habet: NON VALET *autem*, & NON LABORAT, *non appello verba. . . . & quoniam eis nomen nullum impositum est, verba infinita appellari licet . . . . Item* VALEBIT, & VALUIT *non sunt habenda verba, sed casus verbi.* His verbis excludit Philosophus 1*mò* voces infinitas, sive verba infinitanter accepta. 2*dò* Casus obliquos verborum, i. e. reliqua tempora, & modos verborum, præter tempus præsens modi indicativi. Nam solum præsens indicativi est

propriè verbum philosophicè dictum, cùm absque ordine ulteriori veram, vel falsam faciat propositionem; reliqua autem tempora, etsi modi indicativi, id non nisi per respectum ad tempus præsens faciunt. Sic hæc præpositio *Paulus persequebatur Ecclesiam*, vera est, quia fuit aliquando verum dicere: *Paulus est persequens Ecclesiam.* Reliquorum autem modorum tempora potiùs affectus animi, certósque modos significant. Est autem verbum aliud *substantivum*, ùt verbum *sum*, quod aliis verbis substat, & principaliter affirmationem, & nexum ordinariè facit. Aliud *adjectivum*, quod non subsistat aliis, & præter affirmationem ordinariè extrema propositionis implicitè complectitur, ùt *Amo*, quod sic resolves: *Ego sum amans.*

ARTICULUS IV.

De Termino Dialectico, ejúsque Affectionibus.

DE nomine secundùm se spectato hucusque actum est. Nunc de illo, prout in ordine ad propositionem judicii manifestivam consideratur, agemus. Quoniam verò plurima, quæ huc spectant, ab initio Logicæ fusiùs ex Dialectica explicari solent, hinc ea, quæ faciliora de nominis, in ordine ad propositionem spectati, essentiâ ac divisione occurrunt, breviter pertractabo, ut amplior de affectionibus ejus, quæ altioris indaginis sunt, agendi locus relinquatur. Sit itaque.

§. I.

§. I.

Quid sit Terminus, & quotuplex?

463. *Dico* 1. Nomen in ordine ad propositionem consideratum Philosophus *lib.* 1. *Priorum* cap. 1. definit, his verbis: *Terminum verò id appello, in quod dissolvitur propositio: nempe id, quod de alio dicitur, idque de quo illud dicitur, seu adjiciatur, seu tollatur illud esse, vel non esse.* Ex hac definitione Dialectici ansam sumpserunt, nomen, omneque illud, in quod ultimatò propositio resolvitur, *Terminum* appellandi, non quidem *physicum*, ùt sunt v. g. fluvii, montes, regnorum amplitudinem definientes; sed *Dialecticum*, eoquòd sit *Extremum propositionis*, quæ Logicæ seu Dialecticæ potissimùm considerationis est. Sensus Aristotelicæ definitionis est iste: Per τὸ *In quod resolvitur propositio*, indicatur quod terminus sit pars propositionis; quia termini factâ dissolutione, i. e. sublatâ copulâ propositionis, remanent. Per illa verba: *quod de alio dicitur, idque de quo illud dicitur*, insinuat Philosophus, quòd illa tantummodò pro terminis propriè talibus agnoscat, quæ per se subjectum, aut prædicatum propositionis esse possunt, ùt pulchrè explicat Casilius *lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 46. & 47. Denique Aristoteles subjungit: *seu adjiciatur, seu tollatur, illud esse, vel non esse*, ut indicet subjectum, & prædicatum per copulam *est* conjungi posse in propositione affirmativa, seu disjungi per *non esse* in propositione negativa. Quibus hæc definitio Aristotelica prolixior est, minúsque

exacta, dicere poterunt cum Pennafiel *Disp.* 1. *Summul. Sect.* 2. *Subsect.* 2. *Terminus est pars ùt quod constitutiva propositionis.* Dicitur *constitutiva ùt quod*; ne definitionem termini copulæ applices, quæ propositionem tantùm *ùt quo constituit*, cùm sit nexus uniens prædicatum & subjectum tanquam extrema componentia propositionem *ut quod.* Poteris etiam cum Arriaga, & aliis terminum sic definire: *Est id quod est extremum propositionis.* Necesse tamen non videtur, ut semper *actu* sit propositionis extremum, sed sufficit si tale sit *potentiâ*, ut ex Soto refert Casilius *loc. cit. n.* 40. *Ex his colliges*, quòd copula *est*, *formaliter* sumpta, sive actu exercens munus copulæ, non sit terminus; quia sic non est extremum propositionis. Poterit tamen esse terminus, si *materialiter* sumatur, ùt in hac propositione: *Est est monosyllàbum*, ob rationem contrariam. *Item*, quòd voces etiam non significativæ *materialiter*, & pro se ipsis sumptæ termini esse valeant, id quòd *Oviedo*, *Spinula*, *Comptonus*, & alii asserunt. *Item*, quòd ex vocibus significativis nomina, & participia naturam nominum induentia, ex nominibus autem soli recti termini propriè tales dici possint; eoquòd hæc sola per se subjectum propositionis, vel prædicatum esse valeant.

464. *Dico* 2. Quemadmodum propositio alia mentalis, vocalis alia, alia scripta dicitur; ita passim terminus *primò* dividitur in *Mentalem*, qui est ipsa mentis idea, sive conceptus internus

nus repræsentans subjectum aut prædicatum. In *Vocalem*, qui ad manifestandam ideam ore profertur. In *scriptum*, qui literis exprimitur. Dividitur 2*dò* in *significativum*, qui ex instituentium placito aliquid à se distinctum manifestat; sic vox *Sol* præter se ipsam, luminare illud majus significat, quod præest diei. In *Non significativum*, qui non est institutus ad aliquid præter se significandum; sic vox *Blictri* non est instituta ad significandum aliquid à se distinctum. *Nec obstat*, quòd significet hominem præsentem, aut loquentem: Id enim non ex institutione sua, sed ex naturali connexione præstat. *Nec juvat dicere*: Vocem Blictri significare *nihil*. Nam non significat nihil *positivè*, sicut hæc vox *Nihil*, quæ verè ad hoc significandum instituta est; sed significat *nihil*, tantùm *negativè*, i. e. nullam ex instituto habet significationem. Dividitur 3*tiò* in *Categorematicum*, *Syncategorematicum*, & *Mixtum*, de quibus consule Dialecticam vulgatam. 4*tò* In *Complexum*, & *Incomplexum*. Hos pariter in Dialectica vulgata explicatos habes. 5*tò* In *Concretum*, de quo egimus n. 364. *usque ad* n. 375. & in *Abstractum*, qui solam formam significat, ùt *Albedo*. 6*tò* In *Denominativum*, & *Denominantem*. Hos explicatos vide n. 361. *usque ad* n. 364. 7*timò* In *Connotativum*, qui significat formam quasi adjacentem. Huc etiam revocantur termini relativi, qui explicari non possunt, nisi per ordinem ad aliud ùt *Pater*, *Cœna* &c. & in *Absolutum*, qui significat substantivè, sive qui signi-

ficat rem ad modum per se stantis, ùt *Homo*, *Angelus*, *Albedo*, *Calor*, & similia accidentia, quæ licèt non significent rem *simpliciter* per se stantem, significant tamen *ad modum* per se stantis. 8vò In *Univocum*, *Æquivocum*, & *Analogum*. De his actum est fusiùs in Ante-Prædicamentis n. 353. *usque ad* n. 361. 9nò In *Universalem*, & *Singularem*. Horum explicationem vide n. 214. & n. 347. 10mò In *Primæ*, & *secundæ intentionis*. 11mò In *Finitum*, & *Infinitum*. Hos fusiùs explanatos vide n. 376. & 379. De reliquis termini divisionibus, scilicèt de *Transcendentali*, & *Non transcendentali*; de *Positivo*, *Negativo*, & *Privativo* actum est n. 378. & n. 380. De terminis verò *Comparatis*, *Pertinentibus*, *Impertinentibus*, *Oppositis* in Post-Prædicamentis diximus à n. 432. *usque ad* n. 442.

§. II.

Quid sit Suppositio, & quotuplex, & quæ ejus Regulæ?

465. *Nota.* Terminus dialecticus respicere potest vel objectum, vel verbum, vel alium terminum, cui annectitnr. Ex triplici hoc respectu multiplex oritur termini affectio, non quidem strictè talis, quæ ex rei essentia profluit; sed latè talis, quatenus affectio seu proprietas modum significat, quo termino in propositionibus utimur. In quantùm est signum suppositivum objecti, i. e. in quantùm non modò significat rem, sed etiam pro re objecta substituitur, unicam habet affectionem, quæ dicitur *suppositio*. Quatenus refertur ad verbum affec-

tiones

tiones sex habet, nimirùm *Statum*, *Ampliationem*, *Distractionem*, *Restrictionem*, *Alienationem*, & *Diminutionem*. Quatenùs verò refertur ad terminum, unicam rursus numerat, nimirùm *Appellationem*. De suppositione in præsenti §. agam, quam huc transferendam judicavi, quia, licèt terminus extra propositionem significet, non tamen strictè, & determinatè supponit, nisi intra illam. Reliquas affectiones §. sequens explanabit.

466. *Dico* 1. *Suppositio* in genere est *Usurpatio vocis pro aliquo*. Hæc definitio omni, & soli convenit, ut ea, quæ de suppositionis divisione statim dicentur, declarabunt. Observandum autem hìc est, significationem termini, ejusque suppositionem disconvenire in hoc: quòd significatio per institutionem vocis ad significandum fiat; suppositio autem sit termini jam significantis, sive institutionem suam jam habentis usurpatio.

467. *Dico II.* Suppositio alia est materialis, alia formalis. *Materialis* est, usurpatio vocis pro se ipsa, ùt si dicam: *Homo est dissyllabum*. Hanc Toletus & alii rursus in extrinsecam & intrinsecam dividunt. *Materialis intrinseca* est usurpatio vocis pro se ipsa, secundùm ea, quæ à natura habet; sic in allato modò exemplo usurpatur τὸ *Homo*. Materialis extrinseca est acceptio vocis pro se ipsa, secundùm illud, quod habet ex institutione grammaticali; sic accipitur *Homo*, dum dicitur: *Homo est generis masculini*, vel tertiæ declinationis. *Formalis* est usurpatio

vocis pro re, ad quam ſignificandam inſtituta eſt; ut fit in hac propoſitione: *Homo eſt animal.* Hæc, ſi vox uſurpetur pro re, ad quam ſignificandam primò eſt impoſita, dicitur *Formalis propria*; ùt ſi de ove animali pronuntiem: *Balat ovis.* Si autem vox accipiatut pro re, quam impropriè tantùm ſignificat, & ad quam denotandam inſtituta primò non eſt, *Formalis impropria* nuncupatur; ùt ſi Chelym reſonantem ita deſcribam: *Balat ovis, reſonant Sylvæ, titubante gaballo.*

468. *Dico* 3. Suppoſitio formalis dividitur porrò in ſimplicem, & Perſonalem. *Simplex* dicitur, quando terminus ſumitur pro natura, ùt conceptui ſubſtat, tribuenti denominationem logicalem; ſic ſimpliciter ſupponere dicitur ſubjectum hujus propoſitionis: *Animal eſt genus. Perſonalis* eſt, quando vox accipitur pro natura, ùt eſt in individuis, ſeu perſonis; ùt ſi dicam: *Homo ridet, Animal currit* &c. in quibus propoſitionibus, *Homo*, & Animal ſumuntur pro individuo, ſeu perſona, cùm *actiones ſint ſuppoſitorum.* Præter has ſuppoſitionis formalis ſpecies datur adhuc alia, quæ vocatur *Abſoluta*, ſive *Præciſiva*, vel *ſignatè Perſonalis*, & *exercitè ſimplex*, éſtque acceptio vocis pro natura abſolutè ſpectata, h. e. absque reſpectu ad ſtatum ipſius naturæ ſignificatæ. Hæc ſuppoſitionis ſpecies, hodie paſſim admittitur, nec antiquioribus Summuliſtis ignota fuit, ex quibus P. Lingen *in theſi de actuali prædicat.* Petrum Hiſpanum adducit. Hanc fuſiùs explicavimus, ſolutíſque objectionibus illuſtra-

lustravimus n. 273. usque ad n. 276. Signum suppositionis personalis communiter affertur hoc; si terminus *mobiliter* sumatur, h. e. si manente propositionis veritate signum universale, aut particulare addi, vel demi possit. Sic dum dico: *Homo vivit*, manente propositionis veritate dicere possum: *Omnis homo*, vel *aliquis homo vivit*. Si verò addi signa ejusmodi, vel demi nòn possint, signum est, terminum supponere simpliciter, ùt *Animal* in hac propositione: *Animal est genus*. Nec enim *omne animal*, *nec aliquod animal genus est*.

469. *Dico* 4. Suppositio Personalis vel est singularis, vel communis. *Singularis* est acceptio termini pro significato singulari v. g. *Hic homo disputat*. *Communis* est acceptio termini pro significato communi, v. g. *Homo est animal*. Suppositio personalis communis celeberrimâ divisione rursus dispartitur in *Distributivam*, *Collectivam*, *Disjunctivam*, & *Disjunctam*. *Distributiva*, quæ etiam *copulativa* dicitur, est usurpatio vocis communis pro suis inferioribus, vel denominatis enumerandis *copulativè*, i. e. per particulam *et*, integras connectentem propositiones. Sic supponunt *distributivè* subjecta harum propositionum: *Omnis homo est animal*, *Omne album est corpus*. Sic enim resolvuntur: *Et Petrus est animal*, *& Paulus est animal* &c., quæ sunt inferiora hominis. Item sic: *Et nix est corpus*, *& lac est corpus* &c., quæ sunt denominata albi. Suppositio distributiva potest præterea esse vel absoluta, vel accommoda. *Ac-*

com-

commoda est, quando terminus communis sumitur pro omnibus inferioribus *copulativè* enumerandis, uno tamen vel altero excepto; sic sumitur subjectum hujus propositionis: *Omnis homo conceptus est in peccato originali.* Excipitur enim *Christus*, & *B. Virgo Maria.* *Absoluta* est, quando terminus distributivè supponens sine exceptione sumitur; hoc autem duplici fieri modo potest: Vel enim terminus distributivè supponens sumitur sine exceptione pro generibus singulis, aut speciebus sub tali termino contentis, non autem pro singulis individuis; & hæc dicitur *suppositio absoluta pro generibus singulorum.* Sic supponit subjectum in hac propositione: *Omne animal, fuit in arca Noë.* Vel terminus universalis non solùm pro quavis specie, sed pro quolibet etiam individuo divisim sumitur; & dicitur *suppositio distributiva prò singulis generum.* Sic supponit hujus propositionis subjectum: *Omne animal sentit.*

Suppositio collectiva, vel *copulata* est usurpatio termini communis pro inferioribus suis, vel denominatis enumerandis *copulatim*, i. e. per particulam & ejusdem propositionis terminos tantùm connectentem. In hac suppositione sumitur subjectum hujus prædicationis: *Omnes Apostoli sunt duodecim*: sic enim resolvitur: *Et Petrus, & Joannes &c. sunt duodecim.* Non autem sic: *Et Petrus sunt duodecim, & Jacobus sunt duodecim* &c. Signum suppositionis hujus desumitur ex prædicato, quod vel nomen collectivum est, vel numerum significat.

Sup-

Suppositio disjunctiva, *sive determinata* est acceptio termini communis pro suis inferioribus, seu denominatis recensendis *disjunctivè*, h. e. per particulam *Vel*, & per integras propositiones, ita, ut, si propositio vera sit, percurrendo inferiora ad unum, aut plura *quoad se* determinata perveniatur, quibus prædicatum determinatè conveniat; ùt si dicas: *Aliquis homo in templo orat:* quæ propositio hunc sensum habet: *Vel Petrus in templo orat, vel Paulus in templo orat* &c. sic percurrendo homines singulos ad unum determinatè pervenies, cui prædicatum reverà conveniat. Dixi: *si propositio vera sit*; si enim sit falsa, ùt hæc: *Aliquis homo est lignum*, tunc uni inferiorum prædicatum non poterit determinatè convenire, cùm subjectum nulla ejusmodi inferiora habeat.

Suppositio confusa, sive *disjuncta*, aut *indeterminata* est, quando terminus communis usurpatur pro suis inferioribus, vel denominatis enumerandis *disjunctim*, h. e. per particulam *vel*, non autem per integras propositiones; ita tamen, ut percurrendo inferiora singula, aut denominata, ad nullum determinatè perveniatur, de quo determinatè verificetur prædicatum. Ita supponunt subjecta sequentium propositionum: *Aliquis oculus necessarius est ad videndum. Aliquis florenus pro censu annuo solvendus est. Aliquis liber promissus est.* Nam de nullo determinatè dici potest, *Hic est necessarius, hic est solvendus, hic est promissus*; cùm tamen aliquis indeterminatè necessarius sit, aut aliquis flore-

florenus ſolvendus &c. *Ratio* autem hujus indeterminationis eſt, quia in prima propoſitione ex parte prædicati ſignificatur neceſſitas potentiæ ad actum, quæ neceſſitas & *potentiam*, & *abſentiam* alterius cujuscunque potentiæ ad eundem actum ſufficientis importat; cùm igitur oculus uterque ad ponendam viſionem ſufficiens ſit, nec ullus abſentiam alterius potentiæ ſufficientis adjunctam habeat, hinc nec in dextro, nec in ſiniſtro determinatè oculo abſoluta reperitur neceſſitas ad videndum. Dici proinde debet: *vel dexter, vel ſiniſter oculus eſt neceſſarius ad videndum.* Hanc ipſam rationem propoſitionibus reliquis applicare poteris. Ex eadem ratione facilè colliges; cur prædictæ propoſitiones ſupponant *confusè*; Hæ autem: *Aliqua fides eſt neceſſaria ad ſalutem. Aliquis ſenſus eſt neceſſarius ad videndum* &c. quæ tamen prioribus videntur ſimiles, ſupponant determinatè. Traditam hactenus de ſuppoſitionibus doctrinam plurimùm illuſtrant regulæ, quæ ad eas diſcernendas à Philoſophis afferri ſolent. Eas proinde unà cum ſubjunctis explicationibus hìc ſubjungam.

Regulæ ad diſcernendas ſuppoſitiones accommodatæ.

Regula generaliſſima à Summuliſtis hæc paſſim admittitur: *Subjectum ſupponit juxta exigentiam prædicati.* Hanc accuratiùs & uberiùs explicant regulæ ſpeciales non ſolùm pro ſubjecto, ſed etiam pro prædicato ſancitæ.

Regula I. Terminus ſignificativus ſupponit *materialiter*, quando pro nuda voce accipitur,

v. g.

v. g. *Papa est nomen. Princeps est vox duarum syllabarum.*

Regula II. Terminus formaliter supponens, sive sit primò, sive secundò intentionalis sumitur plerumque in suppositione personali, si universale signum, aut particulare ipsi præfigi possit. *Ratio est*, quia explicari per aliquem descensum potest; ùt patet in his propositionibus: *Omnis homo est rationalis. Omne genus est universale. Addidi primò* in regula τὸ *plerumque*, quia subinde saltem ipsa denominatio logica exigit affigi signum; v. g. in his propositionibus: *Aliquis homo est individuum vagum. Omnis homo est terminus universalis distributivus.* In quibus subjecta sumuntur simpliciter, etsi signa affixa habeant; cùm illa exigant hæ denominationes logicæ: *Individuum vagum, Terminus universalis distributivus. Addidi secundò* in ratione τὸ *Descensum.* Est autem *Descensus*, progressus ab universali ad singularia sub eo contenta, qui progressus fieri potest quatuor modis. Vel enim progredior à termino communi distributivè supponente, per particulam *Et*, non terminos modò, sed propositiones etiam connectentem, ad singularia; & dicitur *Descensus distributivus*, qualis hic est: *Omnis homo est rationalis*; ergo & *Petrus est rationalis*, & *Paulus est rationalis* &c. Vel progredior à termino communi in suppositione copulata ad terminos singulares collectim sumptos; & dicitur *Descensus copulatus aut collectivus*, qualis hic est: *Omnes Apostoli sunt duodecim*; ergo *hic apostolus*, & *iste*,

iste, & *ille &c. sunt duodecim.* Vel progredior à termino universali in suppositione determinata ad terminum singularem determinatum; & dicitur *Descensus disjunctivus*; ùt si dicam: *Aliquis homo loquitur*; ergo *vel Paulus loquitur*, *vel Joannes loquitur.* Vel progredior à termino communi in suppositione confusa ad terminos particulares indeterminatos; & dicitur *Descensus disjunctus*, *aut confusus*; ùt si dicam: *Aliqua causa ad effectum ponendum requiritur*; *ergo vel hæc*, *vel illa &c. requiritur.* Datur præterea etiam *Ascensus*, qui est progressio à particularibus sufficienter enumeratis ad universale, v. g. *Homo est substantia*, *Leo est substantia*, *Equus est substantia &c. ergo Omne animal est substantia.* Potest hic ascensus fieri quatuor modis, sicut descensus; hos proinde ex præcedentibus facilè desumes.

Regulâ III. Terminus si ratione adjecti prædicati secundò intentionalis fiat, sumitur in suppositione simplici. *Ratio est*; quia in hoc casu fieri nequit descensus. Sic *Homo* in hac propositione: *Homo est species*, supponit simpliciter; cùm inferre non liceat: Ergo & *hic homo est species*, & *ille homo est species* &c. *Dixi*: si ratione prædicati secundò intentionalis fiat. Nam si significationem secundò intentionalem à prædicato non accipiat, supponet *personaliter*, licèt prædicatum secundò intentionale sit; ùt si dicas: *Nullus homo est species. Genus est universale. Homo est cognitus.* Cùm enim in propositione prima prædicatum de subjecto negetur, significatio-

tionem secundò intentionalem ab eo non accipit. In secunda autem propositione subjectum jam habet significationem secundò intentionalem, independenter etiam à prædicato. Denique in tertia propositione subjectum nullam omninò significationem secundò intentionalem à prædicato participiat; quia prædicatum non convenit illi, ùt antecedenter jam cognito per cognitionem aliam, ex parte ipsius subjecti se jam tenentem; quod tamen requiritur ad hoc, ut subjectum significationem secundò intentionalem à prædicato accipiat; ùt videre est in hac propositione: *Homo est species*, quæ hunc sensum habet: *Natura humana abstracta est species. Si ais.* In hac propositione: *Aliquod animal est species infima*, subjectum supponit simpliciter, & tamen patitur descensum disjunctivum; ergo adducta ratio regulæ nulla est. R. N. *ant.* Vel enim dicta propositio intelligitur de singulis individuis animalis? & sic falsa erit. Vel habet hunc sensum: *Aliqua species animalis est species infima?* Sic vera quidem erit; sed subjectum significationem secundò intentionalem à prædicato non participat; quandoquidem eam independenter à prædicato jam habet; adeoque supponet personaliter. *Si reponas:* Dum dico: *Omnis homo est individuum logicum*; subjectum supponit simpliciter, & tamen patitur discensum; ergo datur terminus supponens simpliciter, qui tamen patitur descensum. R. N. *1mam partem Antecedentis.* Subjectum enim supponit personaliter; cùm sensus propositionis sit iste: *Omne in-*

 divi-

dividuum hominis est individuum logicum. Ubi subjectum sumitur personaliter ex dictis in præcedenti objectione. Ex hac ipsa responsione sequitur, hunc syllogismum bonum esse: *Omnis homo est individuum logicum; sed Petrus est homo; ergo est individuum logicum.* Cùm enim subjectum majoris supponat pro inferioribus, idémque sit, ac si diceres: *Omne individuum hominis est individuum logicum*; hinc subjectum jam habet significationem logicam, eámque non accipit modò à prædicato; adeoque supponit personaliter, patitúrque descensum: mirum proinde non est, si in minori descendatur ad inferius in majori jam contentum.

Regula IV. Si subjecto communi præfigatur signum universale, & prædicatum conveniat singulis ejus inferioribus, vel saltem plerísque seorsim sumptis, tunc subjectum supponit distributivè vel absolutè, vel accommodè. Patitur tamen hæc regula sequentes exceptiones. *Prima est:* si τὸ *Omnis* idem significet, ac *Totus*, ùt si de unico exercitu dicas: *Omnis exercitus pro salute patriæ invictè decertavit. Secunda est:* Si prædicatum sit collectivum, aut numerale cardinale, conveniátque tantùm inferioribus simul sumptis; hoc enim casu subjectum *collectivè* supponet; ùt si dicam: *Partes orbis sunt quatuor. Omnes cives sunt civitas. Tertia est:* Si subjectum signo universali affectum inferiora non habeat. In hoc enim casu, cùm *formaliter* distribui subjectum non possit, distribuetur saltem æquivalenter; ùt si dicas: *Omnis Deus est omnipotens.* Aut si uni-

unico tantùm homine existente & ambulante dicas: *Omnis homo ambulat.* Nam ùt benè tradit Haunoldus *Log. pract. p. 1. cap. 2. a. 2. n. 10.* τὸ *Omnis* sæpiùs idem significat, ac *Quicunque*; quæ vox subinde suppositionem *formaliter*, subinde *æquivalenter* distributivam denotat; sicut nimirùm distribuitur terminus singularis.

Regula V. Quodsi subjecto communi signum particulare præfigatur, & prædicatum uni inferiorum conveniat *determinatè*, subjectum supponit *disjunctivè*; Quodsi autem prædicatum *indeterminatè* solùm uni inferiorum conveniat; subjectum supponet *confusè*. *Ratio 1mæ partis est*; quia prædicatum determinatè conveniens uni, ad suî verificationem unum saltem ex pluribus requirit quoad se determinatum, etsi non quoad nos. Ut si dicam: *Aliquis homo currit*; ad quam propositionem verificandam requiritur, ut aliquod inferius hujus subjecti *Homo*, quoad se determinatum verificet hoc prædicatum: *currit.* Adverte hìc, quòd determinatè uni conveniant prædicata contingentia, quæ exercitium physicum significant, aut actionem, aut effectum; si de subjecto *absolutè* prædicentur. Exercitium enim physicum, vel actio, aut effectus non nisi è determinato principio procedunt, nec ipsum exercitium &c. absolutè seu actualiter procedens indeterminatum esse potest; cùm nihil indeterminatum actu existat. *Ratio 2dæ partis est*; Eòquod, si prædicatum uni inferiorum indeterminatè conveniat, non sit potior ratio pro uno, quàm pro altero. Talia prædicata plerum-

rumque sunt, quæ *necessitatem*, *indigentiam*, aut *debitum* significant: ùt si dicam: *Aliquis equus ad equitandum necessarius est. Si ais* 1. In data modò propositione τὸ *Equus* supponit *determinatè*; quia equus est determinatè unum ex necessariis ad equitandum; ergo. ℟. N. *ant.* Rationem D. Equus est determinatè unum ex necessariis ad equitandum, si comparetur cum aliis equis, qui existere supponuntur. N. Si comparetur cum aliis requisitis, v. g. *Fræno*, *Ephippio* &c. C. *Si ais* 2. Per equum determinatè sumptum equito; ergo etiam aliquis equus determinatè sumptus necessarius est ad equitandum. *Prob. cons.* Per illum equum equito, qui est necessarius; ergo. ℟. D. *ant.* Qui est determinatè necessarius. N. Qui est indeterminatè necessarius. C. *Si ais* 3. Equus eo modo necessarius est ad equitandum, quo modo equitatio fieri potest; sed hæc fieri non potest nisi per equum determinatè sumptum; ergo. ℟. N. *maj.* Equitatio enim est actio, quæ non nisi à determinato instrumento, vel causa procedere potest. At verò necessitas instrumenti instrumentum determinatum denotare nequit, cùm plura instrumenta ad ejusmodi actum idonea dentur. *Si inferas.* Ergo data propositio verificaretur per aliquid impossibile; quia equus indeterminatus, per quem verificaretur, est aliquid impossibile. ℟. N. *Illatum. Rationem D.* Equus indeterminatus indeterminatione *objectivâ* est aliquid impossibile. N. indeterminatione *subjectivâ*. C. Equus indeterminatus indeterminatione objectivâ, est

equus

equus cognitus cognitione tendente indeterminatè; & hic possibilis est, verificátque propositionem. Equus autem indeterminatus indeterminatione subjectivâ est equus, qui non foret ens determinatum, qui utique implicat.

Regula VI. Quodsi subjecto communi nullum præfigatur signum, adeoque subjectum commune ita sibi relictum reddat propositionem indefinitam; tunc subjectum supponet *distributivè*, si propositio sit in materia necessaria, aut necessariò vera. Cujus ratio est, quia propositio indefinita in materia necessaria æquivalet universali affirmativæ. Sic hæc propositio: *Homo est animal*; æquivalet huic: *Omnis homo est animal.* Idem dic de subjecto propositionis indefinitæ in materia impossibili; hæc enim æquivalet propositioni universali negativæ. Hinc propositio hæc: *Homo non est planta*, idem sonat, ac *nullus homo est planta.* Hæc regula servari quoque solet in materia *Fidei*, & *Juris.* Ut si dicam: *Justus salvatur*, *Homicida puniatur.* Tales enim propositiones sunt *conditionatè*, & *consequenter* necessariæ; suppositio nimirùm Dei promisso, & statuto juris; etsi extra hypothesin in materia contingenti forent. Exceptiones, quæ hìc occurrere possent, annotatas habes *in Regula IV.* Quòdsi verò propositio indefinita sit in materia contingenti, tunc subjectum ordinariè supponit *disjunctivè*; quia ejusmodi propositio æquivalet particulari; ùt si dicam: *Equus currit*, *Homo ambulat.*

Regula VII. Prædicatum propositionis affirmativæ, sive universalis sit, sive particularis ordinariè supponit *disjunctivè*. *Ratio est*: quia tale prædicatum explicatur per particulam *vel*, ita, ut deveniatur tandem ad aliquid determinatum, in quo verificatur propositio. Ita Hauñoldus *p.* 1. *cap.* 1. *a.* 5. *n.* 27. Quòd autem hæc ratio teneat, examinanti patebit in his propositionibus: *Omnis homo est animal. Homo est species. Petrus est dictio dissyllaba. Omnia elementa sunt quatuor. Aliquis calamus est necessarius ad scribendum.* In quibus prædicata sunt hæc: *Aliquod animal, aliqua species; Aliqua dictio dissyllaba; Aliquis numerus quaternarius, aliquod necessarium*, i. e. *secundùm obliquum* saltem, secundùm quem dicit necessitatem, eámque non vagam, sed determinatam ad scribendum; non autem *secundùm rectum*, qui est id, cujus est necessitas, quódque non est determinatum. *Confirmatur hæc regula.* Hæc propositio: *Omnis homo est animal*, convertitur sic: *Aliquod animal est homo*; in qua postrema propositione convertente, *Animal* supponit disjunctivè; ergo etiam in priori, sive conversâ sic supponat, necesse est: quia in convertente & conversâ termini eodem modo supponere debent; aliàs propositio de se vera, posset ostendi falsa, quod admitti certò nequit; eòquod conversio excogitata sit, ad ostendendam clariùs veritatem conversæ. Patitur tamen præsens suppositionis regula exceptiones. *Prima est.* Si propositio sit de divinis; in his enim prædicatum propositionis affirmativæ supponere potest *distributivè*, si non *formaliter*, saltem

æqui-

æquivalenter; vel, ùt alii docent, si non *realiter*, saltem *per intellectum*; ut in his propositionibus: *Deus est sua absoluta perfectio. Omnis perfectio divina est omnis perfectio divina*, quas propositiones etiam juxta principia philosophica ulterius examinandas Theologis relinquimus. *Secunda est*: Si prædicatum de nullo determinatè verificetur; ùt fit in convertente, cujus conversa habebat subjectum confusè supponens. v.g. *Aliquis calamus est necessarius ad scribendum.* Hæc sic convertitur: *Ergo aliquod necessarium ad scribendum est aliquis calamus.* Ubi prædicatum supponit confusè; quia utpote subjectum conversæ confusè quoque supponebat. *Tertia est*; si prædicatum sit terminus singularis; hic enim æquivalenter distributivè supponit, cùm sumatur pro omni eo, pro quo sumi potest. *Si ais*, Saltem prædicatum propositionis affirmativæ infinitantis, qualis est hæc: *Petrus est non lignum*, supponet distributivè. R. D. Supponet distributivè secundùm obliquum. C. secundùm rectum. N. Sensus datæ propositionis est: *Petrus est quid distinctum ab omni ligno*, ubi prædicatum sic exponitur *Petrus vel est hoc distinctum*, vel est illud distinctum &c., & ab hoc ligno, & ab illo ligno &c. In qua expositione vides, quomodo prædicatum secundùm rectum disjunctivè supponat, secundùm obliquum autem distributivè.

VIII. Prædicatum propositionis negativæ supponit distributivè. Idem tenendum de subjecto, cui præfigitur particula negans. *Ratio est*; quia particula negans est malignantis naturæ, excludítque distributivè omnia, quæ afficit.

§. III.

Quænam sit notio reliquarum affectionum?

470. Præter suppositionem septem adhuc terminorum affectiones n. 465. retulimus, quarum explicationem hìc breviter dabimus. *Status* est acceptio termini pro eo tempore, quod per propositionis copulam importatur. Ut si dicas: *Petrus est albus*; quæ propositio ut vera sit, necesse est, ut Petro tempore præsenti albedo conveniat. Datur autem triplex status, pro triplici temporis differentìa: nimirùm *præsens*, *præteritus*, *futurus*.

471. *Ampliatio* termini fit, quando ejus significatum non ad illud modò tempus refertur, quod copula importat; sed ad alia quoque tempora extenditur. Potest autem ampliari terminus ad præsens, & futurum; ùt si dicas: *Vivens morietur*; h. e. qui vivit, vel vivet morietur. Item ad præsens, præteritum, & futurum; ùt in hac propositione: *Justus salvabitur*; cujus hic sensus esse potest; *Qui sunt, fuerunt, & erunt justi, salvabuntur*. Item ad tempus possibile; ùt in hac prædicatione: *Homo est animal*, quæ se non ad præsens modò, aut præteritum, aut futurum, sed ad possibile etiam extendit.

472. *Distractio* (quam alii cum ampliatione confundunt) est acceptio termini pro tempore alio à tempore per copulam importato. Sic accipiuntur subjecta harum propositionum: *Cæci vident*, *Claudi ambulant* &c.

473.

473. *Restrictio* fit, quando terminus à majori ad minorem significationem contrahitur; quod fieri potest *primò*: Si termino casus obliquus adjiciatur. v. g. *Accessit ad eum mater filiorum Zebedæi.* Matth. 20. *Secundò*: si apponatur adjectivum. v. g. *Homines mites possidebunt terram.* *Tertiò*: si circumstantiam addas. v. g. si in certis circumstantiis dicas: *Philosophus ita sentit*, sic, ut ex circumstantiis colligatur, te loqui de Aristotele.

474. *Alienatio* est termini à propria sua significatione ad impropriam translatio. Ejusmodi alienatio maximè fit in tropicis locutionibus. v. g. *Pes mensæ cecidit*, *Vites lacrymantur* &c.

475. *Diminutio* fit, quando termino utor secundùm suum significatum, non quidem absolutè & simpliciter; sed secundùm quid, sive secundùm partem, quod *implicitè* fieri potest vel *explicitè*. Ut si dicas: *Æthyops est albus secundùm dentes.* Scotus & alii hanc reducunt ad *Restrictionem.* Semery autem, & alii hoc inter utramque discrimen assignant: quòd *Restrictio* terminum communem ad individua restringat; *Diminutio* autem ad partes integrantes, vel accidentia.

476. *Appellatio* dicitur applicatio significati formalis unius termini ad significatum alterius. Si terminus appellans materiali significato termini appellati applicetur, dicitur *Appellatio materialis.* v. g. si de Petro magnæ quidem staturæ, sed modicæ doctrinæ dicas: *Petrus est magnus Philosophus.* Si verò terminus appellans

applicetur significato formali, erit *Appellatio formalis*. v. g. si de Logico quoad staturam quidem parvo, eximio autem quoad doctrinam dicas: *Est magnus Logicus*. Cæterùm quâ ratione terminus appellet, hoc sæpiùs ab intentione loquentis dependet, &, ùt benè advertit Arriaga *Disp.* 1. *Sect.* 9. ex tono proferentis, aliísque circumstantiis est dignoscendum.

477. *Reflexio.* Dicta hactenus de termini affectionibus non utilia solùm, sed etiam penè necessaria sunt, ad evitanda & conversionum, & syllogismorum vitia: eorumque fraudes tutiùs ac citiùs detegendas. Etenim si intra eundem syllogismum terminus idem suam mutet proprietatem, argumentatio non modò non erit demonstratio, sed in sophisma quoque degenerabit. Hoc faciliùs colliges ex sequentibus regulis. I. est. A materiali suppositione ad formalem non valet consequentia. V. g. *Omne, quod loqueris, transit per os; sed currum, & equos loqueris; ergo currus, & equi transeunt per os.* II. A suppositione simplici ad personalem nulla est consequentia. v. g. *Animal est genus; sed Plato est animal; ergo Plato est genus.* III. Nulla est illatio, quando terminus in præmissis *amplè* sumptus, in conclusione *statum* habet. v. g. *Qui expergiscebatur vigilat; sed dormiens expergiscebatur; ergo dormiens vigilat.* IV. Captiosa est argumentatio, si terminus in una præmissarum distractus in conclusione statum habeat. v. g. *Videntes percipiunt colores; sed cæci sunt videntes; ergo cæci percipiunt colores.* V. A termino restricto

ſtricto ad non reſtrictum non benè concluditur affirmativè. Hinc non ſequitur: *Homo fortis pugnat; ergo omnis homo pugnat.* Nec valet argumentio à termino ſumpto *impropriè* ad eundem *propriè* ſumptum. v. g. *Quod ridet eſt animal riſibile; ſed prata rident; ergo prata ſunt animalia riſibilia.* Nec licet argumentari à termino diminuto ad non diminutum. v. g. *Æthiops eſt albus ſecundùm dentes; ergo Æthiops eſt albus.* VI. Vox appellans addita ſubjecto appellat ſubjectum. Ut ſi dicas: CaroLVs phILIppVs CLeMens & IVſtVs, eX fLorente greIffenCLaVIano sangVIne, eſt prInCeps herbIpoLensIs. Ubi voces appellantes: *Clemens & Juſtus* appellant CAROLUM PHILIPPUM. Si verò appellans terminans prædicato addatur, prædicatum quoque appellat. Ut ſi dicas: *Alexander fuit magnus Bellidux.* ubi τὸ *Magnus* appellat *Belliducem*, non verò *Alexandrum*: Nam *Magnus Alexander corpore parvus erat.* Ex his ſequitur, quod mutatâ appellatione non ſit conſecutio legitima. v. g. *Alexander fuit magnus Bellidux; ergo Alexander fuit magnus.*

DISPUTATIO II.

De Propoſitionibus.

SIcut ideas, ſive mentis conceptus per terminos vocales manifeſtamus; ita ad judicia explicanda propoſitionibus utimur. Inde fit, ut judicium, & propoſitio promiſcuè ſæpiùs ſumantur, unúmque per alterum intelligatur; etſi

etsi in rigore idem omninò non sint. Nam Judicium *propositionem mentalem* denotat, sive actum intellectûs, qui ideas geminas vel affirmando conjungit, vel negando unam ab altera removet. Per propositionem verò plerumque intelligitur propositio vocalis, sive oratio externa mentis sententiam, judiciumve internum vocibus exprimens. Exprimuntur autem ideæ per terminos, conjunctio verò per verbum, quod propterea copula dicitur. De judicio interno agetur in sequenti disputatione; hìc de propositione vocali nobis potissimùm sermo est.

ARTICULUS I.

De Propositionis Natura, & Divisione.

478. Dico 1. Philosophus *lib. 1. Priorum. c. 1.* Propositionem ita definit: *Est Oratio, quæ aliquid de aliquo affirmat, aut negat.* & *lib. de interpret. cap. 4.* ait: *Est oratio verum, vel falsum significans.* Verùm utraque definitio plerisque non satis exacta videtur; Nam prima fit pet membra dividentia; altera verò per accidentia, veritas enim & falsitas propositioni accidunt. Hinc propositionem cum Oviedo accuratiùs definiunt illi, qui dicunt, quòd sit *Oratio unius de alio enuntiativa.* *Oratio* est genus, per quod cum orationibus aliis, etiam non enuntiativis convenit. Definitur autem Oratio ab Aristotele *lib de interpret. cap. 4.* sic: *Est vox, quæ significat, cujus pars aliqua sejuncta separatáque ùt dictio, non ùt affirmatio, aut negatio significat.*

ficat. Definitionis hujus explicationem uberiorem vide *in Dialect. Vulgata. Tract. 2. p. 1. cap. 2. a. 1.* Per hæc verba: *Unius de alio enuntiativa*, ab aliis orationibus non enuntiativis, aut non perfectè enuntiativis differt, quales sunt: *Homo albus. Quo vadis? utinam studeres* &c. In qualibet autem propositione considerantur à Dialecticis quatuor: Nimirùm *Materia*, *Forma*, *Quantitas*, *Qualitas*. Pro materia quidam assignant terminos; pro forma autem ipsam terminorum dispositionem adducunt. Verùm hæc explicatio quamvis rejicienda non sit, ad rem tamen præsentem non facit, ùt testatur Semery *Disp. 2. cap. 4.* & ex divisione propositionis mox adducendâ patebit. Igitur *Materia* propositionis est ipsum objectum, sive subjectum objectivum, & prædicatum pariter objectivum, prout inter se habitudinem, & respectum dicunt. *Forma* autem huic materiæ correspondens est unio, sive copula. *Quantitas* est extensio, sive restrictio subjecti, ut plura vel pauciora significet. *Qualitas* juxta antiquiorem Dialecticorum sententiam est *Affirmatio*, & *Negatio*; quia quærenti, *qualis sit propositio?* aptè respondetur est affirmativa, vel negativa. P. Senfftleben autem, aliíque recentiores tradunt qualitatem propositionis esse *veritatem* & *falsitatem*; affirmationem verò & negationem esse differentias essentiales; quæ ultima sententia in ratione magis fundata esse videtur. Verùm utrique sententiæ satisfieri poterit, si dicatur, quòd *Affirmatio* & *Negatio* sint qualitates essentiales;

cùm

cùm Aristoteles etiam differentias, imo genera, & species subinde qualitates appellet. *Veritas* autem, & *falsitas* sint qualitates accidentales, ùt inferiùs, ubi de veritate agetur, pluribus explicabitur.

479. *Dico* 2. Propositio *ratione materiæ* dividitur in *necessariam*, *impossibilem*, & *contingentem*. Has explicatas vide in Dialect. P. Du Trieu *Tract.* 1. *p.* 1. *cap.* 2. *a.* 4. Prætereà adverte, non idem omninò esse propositionem esse necessariam, esse impossibilem, & propositionem esse in materia necessaria, in materia, impossibili. Nam hæc propositio: *Homo non est animal*, est quidem in materia necessaria, cùm connexio hominem inter & animal necessaria sit; & tamen propositio est impossibilis. Hæc verò propositio: *Homo non est lignum*, est quidem necessaria, sed in materia impossibili. Prætereà propositio ratione materiæ alia est *Ordinata*, alia *Inordinata*, alia *Identica*, quarum explicationem pariter ex *Tract.* 1. *p.* 1. *cap.* 2. *a.* 2. Dialecticæ vulgatæ jam notam suppono. Dividitur *secundò ratione Quantitatis* in *Universalem*, cujus subjecto signum universale præfigitur. In *Particularem*, cujus subjectum particulare signum præfixum habet. In *Indefinitam*, quæ pro subjecto terminum communem habet, nullo notatum signo. Hæc in materia necessaria, & impossibili universali æquivalet; in materia autem contingente æquivalet particulari. E. g. Si dicas: *Homo est animal*, vel *Homo non est lapis*; idem est, ac si diceres: *Omnis*

nis homo est animal, vel *Nullus homo est lapis.* Hæc autem propositio: *Homo currit*, idem significat, ac *Aliquis homo currit.* In *singularem*, cujus subjectum terminus singularis est. v. g. *Petrus*, vel *hic homo est doctus.* *Ratione Qualitatis essentialis* alia est *Affirmativa*, quæ etiam *Prædicatio* dicitur, in qua copula principalis aliquid affirmat. Alia est *Negativa*, cujus copula principalis præfixam habet particulam negantem NON.

480. *Dico* 3. Propositio *ratione formæ* dividitur in simplicem & compositam. *Simplex*, sive *categorica* est, quæ uno subjecto, prædicato uno, & unicâ copulâ principali constat; ùt hæc: *Paries est albus.* Addidi: *unâ copulâ principali*, quia propositioni simplici officere non videtur, quando subjectum, aut prædicatum copulâ minùs principali implicatur. Hinc hæc propositio: *Paries, qui est albus, disgregat visum*, cmmuniter simplex dicitur. *Composita* est, quæ pluribus propositionibus simplicibus constat, adeoque plures copulas principales habet. *Simplex* rursus subdividitur in *Absolutam*, & *Modalem* *Complexa* verò, sive *composita* in *copulativam*, *disjunctivam*, *conditionalem*, & *causalem*, item in *Exponibilem.* De his, cùm speciales difficultates habeant, non nihil distinctiùs, & fusiùs agendum. Itaque

481. *Dico* 4. Propositio *absoluta* est, quæ prædicatum de subjecto præcisè enuntiat, nullum exprimendo modum, quo hoc eidem insit, vel non insit. v. g. *Ignis calefacit.* *Petrus non est lapis.* *Modalis* est, quæ insuper exprimit

modum,

modum, quo prædicatum ſubjecto convenit. v. g. *Ignis neceſſariò calefacit.* Circa propoſitiones modales ſequentia ſunt

Obſervanda. I. Modus proùt hìc ſumitur eſt quadruplex, in quadruplici prædicati cum ſubjecto connexione fundatus; Nimirùm: *Neceſſe*, *Impoſſibile*, *Poſſibile*, *Poſſibile* non, ſive *contingens*. Etſi enim modum contingentem Dialectici hìc latiùs ſumant pro eo, quod non repugnat eſſe, ac propterea cum poſſibili confundant; ſi tamen hi duo modi ſtrictè ſumantur, diverſi ſunt inter ſe. Nam *contingens* illud prædicatum dicitur, quod licèt de facto inſit ſubjecto, poſſet tamen abeſſe: aut dum de facto abeſſe dicitur, poſſet tamen adeſſe. *Poſſibile* autem dicitur, quod prædicatur præcisè ùt potens convenire, aut diſconvenire ſubjecto, ita, ut nihil ſtatuatur, an defacto con- aut diſconveniat ſubjecto, an neceſſariò, an contingenter conveniat nec ne? Præter hos modos aſſignantur quatuor *temporanei*, quales ſunt: *Semper*, *Nunquam*, *Aliquando*, *Aliquando non.* Et quatuor *locales*, quales ſunt: *Ubique*, *Nullibi*, *Alicubi*, *Alicubi non.* Ad hos modos revocantur etiam adverbia plurima: ùt ſi dicam: *Petrus diligenter ſtudet.* II. Quatuor primi modi poni poſſunt vel *adverbialiter*, & afficiunt copulam; v. g. *Homo neceſſariò eſt animal.* Vel *nominaliter*, & ſic habent rationem prædicati; v. g. *Hominem eſſe animal eſt neceſſe.* III. In quâvis propoſitione modali duo continentur: Modus ſcilicet & dictum. *Modus* eſt vox aliqua

ex

ex modò enumeratis. *Dictum* vocatur illud, quod sub modo affertur. v. g. In hac propositione: *Petrum currere est possibile.* Modus est τὸ *Possibile*; Dictum autem est τὸ *Petrum* currere. IV. *Necesse*, vel *Necessariò* est modus universalis affirmativus. *Impossibile* est modus universalis negativus. *Possibile*, si jungatur dicto affirmativo est modus particularis affirmativus. Si autem dicto negativo jungatur, est particularis negativus, vocaturque *possibile non*, idemque sonat ac *aliquis non.* Hæc omnia sequenti metro expressère summulistæ:

Omne *Necesse* valet: valet *Impossibile* nullus:
Possibile quidam: quidam non *Possibile non.*

Ex his modis *Impossibile*, & *possibile non*, non ideò modi negativi dicuntur, quòd propositionem negativam reddant; sed ideò, quòd in oppositione modalium teneant locum illum, quem in oppositione simplicium occupant propositiones negativæ; ùt infra de oppositione propositionem declarabitur. V. An propositio modalis affirmativa, an negativa sit, non desumitur ex affirmatione, aut negatione *Dicti*, nec ex modo affirmativo, aut negativo; sed ex eo colligitur, quòd ipse modus affirmetur aut negetur. Hinc propositio hæc: *Hominem non currere est possibile*, licèt sit de dicto negativo, modumque negativum habeat, affirmativa tamen est. Econtrà hæc propositio: *Hominem latrare non est possibile*, est negativa. *Ratio* horum est; quia præcipuum propositionis modalis munus est, *modum* vel affirmare, vel negare. VI. Quan-

titas modalium ex quantitate modi, non autem ex quantitate dicti desumenda est. v. g. Hæc propositio: *Paulum esse animal rugibile est impossibile*, etsi sit de *dicto* singulari, universalis tamen est. Hæc autem: *Nullum hominem currere est possibile*, particularis est, licèt sit de dicto universali. *Ratio est*: Eòquod in modalibus potior ratio modi, quàm dicti habeatur.

482. Propositio *copulativa* est, quæ pluribus constat propositionibus, per particulam: *&*, *copulativè* acceptam connexis, sive hæ eodem, sive diverso prædicato explicitè, vel implicitè constent. v. g. *Et Petrus ambulat, & Paulus ambulat. Et Petrus loquitur, & Paulus scribit. Et Petrus, & Paulus dormit.* Dixi: *copulativè acceptam.* Nam τὸ *&* *copulatè*, aut *collectivè* acceptum non facit propositionem propriè compositam. v. g. *Et Asia, & Africa, & America, & Europa sunt quatuor. Disjunctiva* est, quando plures propositiones per particulam: *Vel, disjunctivè* sumptam connectuntur. v. g. *Vel Petrus legit, vel Paulus loquitur. Conditionalis* est, quæ pluribus constat propositionibus, per particulam *si* copulatis. v. g. *Si peccator egerit pœnitentiam, peccata illi remittentur.* Prior propositio dicitur *conditio*, sive *antecedens*; posterior *conditionatum, sive consequens.* Ad propositiones conditionales plures reducunt propositionem *causalem*, quæ constat particulâ *Quia*; v. g. *Quia sol lucet, dies est.* Item *Rationalem*, quæ constat particulâ *Ergo*; v. g. *Sol est, ergo dies est.* Item *Quantitativam, Qualificativam,*

Tem-

Temporalem, & *Localem*; quales sunt: *Quantus est Petrus, tantus est Paulus. Qualis est Pater, talis est filius. Quando Petrus orat, Paulus ludit. Ubicunque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ.* De propositionibus compositis adverte I. Propositio composita, *ùt composita est*, affirmativa erit, si conjunctio grammaticalis affirmetur: erit autem negativa, si hæc negetur. *Ratio est*; quia conjunctio grammaticalis in ejusmodi propositionibus est copula principalis, potiorque habetur ratio particulæ utramque propositionem simplicem conjungentis, quàm ipsius propositionis simplicis. Hinc hæc propositio: *Et Petrus non ambulat, & Paulus non ambulat*, habetur affirmativa; negativa autem fiet, si particulam *Non* conjunctioni præponas sic: *Non & Petrus non ambulat, & Paulus non ambulat.* Pariformiter de propositione disjunctiva, conditionali &c. loquere. Dixi *ùt composita est*: Nam si verbalem singularum propositionum simplicium copulam tantùm respicias, prima propositio negativa erit, æquivalens huic: *Nec Petrus ambulat, nec Paulus ambulat.* Posterior autem erit affirmativa æquivalens huic: *vel Petrus, vel Paulus ambulat.* II. Quantitas propositionum compositarum desumitur à quantitate simplicium, ex quibus componuntur. Copulativæ tamen *quà tales* universales dici possunt, ob particulam &; Disjunctivæ verò, particulares, ob particulam *vel*; Causalis autem æquivalenter universalis est: ex supposito enim quòd verum sit dicere: *Quia*

Petrus currit. Movetur, etiam verum est dicere: *Omnis currens movetur.*

483. Propositio *Exponibilis* est propositio *explicitè* quidem simplex, *implicitè* autem composita, quia per plures propositiones, ut clarè intelligatur, exponi debet. Propositiones, per quas alia explicatur, dicuntur *Exponentes*; quæ explicatur, vocatur *Exposita.* Dantur autem tria exponibilium genera. Alia enim est *Exclusiva*, cujus subjecto, vel prædicato signum excludens præfigitur. v. g. *Tantùm, solum* &c. Si ejusmodi signum afficiat subjectum ab omni alio subjecto removet: ùt si dicas: *Tantùm Deus est amandus super omnia*; idem est, acsi diceres: *Deus est amandus super omnia, & nihil aliud est amandum super omnia.* Si verò prædicatum afficiat; omnia alia prædicata ejusdem rationis à subjecto removet: ùt si dicas: *Petrus est tantùm Logicus:* Sensus est: *Petrus est Logicus, & nullius alterius scientiæ peritus.* Si autem signum exclusivum ambiguè ponatur, ita, ut nescias, an subjectum, an prædicatum afficiat? ad tollendam æquivocationem mens loquentis exploranda est, vel certè distinctio adhibenda. Talis ambiguitas est v. g. in hac propositione: *Petrus tantùm est Logicus.* Alia est *Exceptiva*, in quâ per particulam exceptivam *Præter*, vel æquivalentem, aliquid in termino communi distributo incluſum excipitur. v. g. *Omnes homines præter B. V. Mariam peccârunt in Adam.* Dixi: *Aliquid in termino communi distributo incluſum.* Nam frivolè excipitur, quod

in termino communi non continetur: v. g. *Omnes cives, præter canem Titii, interſunt concioni.* Adverte prætereà, quòd particula *Præter* exceptivè ſumi debeat; ſi enim alio in ſenſu accipiatur, propoſitio exceptiva non erit; ùt ſi dicas: *Aliquis præter Joannem eſt in ſchola:* Cujus propoſitionis ſenſus eſt: *Aliquis cum Joanne eſt in ſchola.* Alia denique propoſitio exponibilis dicitur *Reduplicativa*, eſtque illa, cujus ſubjectum particulam reduplicantem continet, quæ denotat terminum reduplicatum vel eſſe rationem, cur prædicatum ſubjecto conveniat; vel eſſe radicem, & cauſam, unde prædicatum profluit; vel eſſe conditionem, aut neceſſarium requiſitum ad hoc, ut prædicatum ſubjecto convenienter tribuatur. Ut ſi dicas: *Ignis quà calidus calefacit.* Vel: *Petrus quà muſicus delectat.* Vel: *Ignis quà approximatus urit.* Quarum propoſitionum ſenſus eſt: *Ignis eſt calidus, & calefacit, & ratio, cur calefaciat, eſt calor; Petrus eſt muſicus, & delectat.* &c. Obſerva, quòd reduplicativæ propoſitiones affirmativæ ſint, aut negativæ, prout affirmata fuerit, aut negata earum reduplicatio; ſive dein *Dictum* illarum, vel copula verbalis negetur, aut affirmetur. Hinc hæc propoſitio: *Homo ùt materiâ conſtans non eſt ſpiritus*, affirmativa habetur; iſta autem negativa: *Petrus non ùt Logicus cantat.* Poſtremò benè notandum: quòd omnis propoſitio exponibilis affirmativa æquivaleat propoſitioni copulativæ; negativa verò æquivaleat disjunctivæ. Hinc hæc propoſitio: *Solus Deus*

est æternus; sic resolvitur: *Deus est æternus, & nihil à Deo distinctum æternum est.* Hæc autem: *Non solus homo est animal*; ita exponitur: *Vel homo non est animal, vel etiam aliquid aliud ab homine distinctum est animal.*

ARTICULUS II.

De Veritate, & Falsitate Propositionum.

484. VEritas variè considerari potest. Alia enim est *Veritas transcendentalis*, quæ etiam *veritas rerum* nuncupatur. Hæc convenit omni enti, estque ejus cognoscibilitas. Alia est *Veritas in significando*, quæ est conformitas signi cum re significata. Alia est *Veritas in præstandis promissis*, quæ rectiùs fidelitas dicitur. Alia est *Veritas in loquendo*, quæ est conformitas loquelæ cum idea interna mentis; hæc meliùs appellatur veracitas. Alia est *Veritas intellectualis*, vel *artificialis*, quæ est conformitas actûs cum regula artis. Alia est *veritas moralis*, quæ est conformitas actûs cum prudenti dictamine, & potiùs est moralis bonitas. Alia denique est *Veritas formalis*, sive *cognitionis*, quæ est conformitas actûs intellectûs cum objecto. *Falsitas* huic opposita dicitur difformitas actûs ab objecto. Veritas hæc ultimo loco posita, & falsitas, de quibus hic quæstio est, judicio mentali, & interno propriè Conveniunt; quia tamen propositio ad manifestandum judicium instituta est, veritatem quoque, aut falsitatem participat. Illa est conformitas propositionis

cum

cum objecto; Hæc verò est propositionis ab objecto difformitas. Quamvis autem agendum hìc tantùm foret de veritate, & falsitate propositionis; non tamen absque utilitate fore judicabam, si, quæcunque de veritate & falsitate in logica dicenda veniunt, huc transferrem; ita tamen, ut plurima principaliùs de judicio intelligantur. Discutiam proinde hic *primò*, quid physicè, quid metaphysicè veritas sit, quid falsitas? *Secundò*, An actui sit essentialis? *Tertiò*, an suscipiat magis, & minùs? *Quartò* an actus semel verus transire in falsum possit? *Quintò*, quæ sint regulæ ad dignoscendam veritatem in propositione relucentem?

§. I.

Quid sit Veritas, quid Falsitas?

485. *Dico.* Veritas formalis in concreto, & physicè spectata est ipse actus connotans objectum sic se habens, ùt ille enuntiat. Est hæc doctrina conformis menti D. Augustini, qui *lib. de vera religione cap.* 36. ita scribit: *Cui manifestum est falsitatem esse, quâ id putatur esse, quod non est; intelligit eam esse veritatem, quæ ostendit id, quod est.* Idem asserit Aristoteles, qui *in post-prædicamentis*, ita habet: *Ex eo, quòd res est, vel non est, propositio vera, vel falsa est.* Ex his advertes, quòd Veritas formalis, quæ etiam logica dicitur, sit relatio, & quidem prædicamentalis. *Relatio* est, quia omne conforme alicui conforme est. *Prædicamentalis* autem est,

quia actum denominari verum, actui cuicunque est contingens. *Fundamentum* hujus relationis est actus. *Ratio fundandi* est repræsentatio objecti, sic se habentis. *Terminus* est ipsum objectum, cui actus est conformis. *Forma relativa* est conformitas actûs cum objecto, ùt est in se; in hac consistit veritas, si in abstracto, & metaphysicè spectetur. Ex his colliges, de veritate formali haud aliter differendum esse, quàm supra in *art.* 5. *de Prædicamentis*, locuti sumus de relatione. Quod de veritate hactenùs dictum est, hoc ipsum de falsitate cum proportione statuendum.

486. *Obj.* Terminus sæpè non existit, & tamen propositio vera est; ergo veritas non est relatio prædicamentalis; hæc enim requirit terminum actu existentem. *Prob. Ant.* Plures propositiones de præterito veræ sunt, & tamen earum terminus non existit; ergo. R. D. *Ant.* Et tamen terminus non existit realiter physicè, & pro nunc. C. Non existit objectivè & pro tunc. N. Nimirùm terminus in propositione de præsenti actu existit; in propositione autem de præterito existit pro tempore præterito, pro quo propositio enuntiat. *Inst.* 1. Denominatio veri est denominatio extrinseca; ergo veritas physicè non consistit in actu. *Prob. Ant.* Denominatio veri habetur à forma extrinseca, scilicet à sic se habentia objecti; ergo. R. N. *utrumque Ant.* Nam denominatio veri non est à sic se habentia objecti; sed à conformitate actus cum objecto sic se habente. Hæc autem conformi-

tas

tas posito aliquo extrinseco resultat, & recipitur in ipso actu. *Inst.* 2. Actus judicii essentialiter repræsentat objectum; ergo non dicit prædicamentalem duntaxat relationem ad objectum. R. D. *Ant.* Essentialiter repræsentat objectum repræsentationis, & simpliciter. C. Objectum verificationis, & ùt est in se. N. *Inst.* 3. Si filius non existat actu, & physicè, etiam non existit relatio paternitatis; ergo nec existit relatio veritatis, si objectum non existat actu. R. N. *Cons. Disp. est.* Quia relatio paternitatis est relatio physica & realis, qua Pater refertur ad filium à se genitum, sic autem referri non potest, nisi filius existat. Econtra relatio veritatis est relatio intentionalis, & conformitatis cum objecto, quæ haberi potest, etsi terminus, sive objectum actu physicè non existat. Nam actum esse conformem objecto, nihil aliud est, quam actum repræsentare objectum sicuti est, quod fieri nihil implicat, etsi objectum actu physicè non detur; alioquin nulla daretur veritas de præterito, vel futuro. *Inst.* 4. Dum dico: *Chimæra implicat*, actus est verus, & tamen objectum ejus nequidem objectivè existit; ergo. R. D. *Ant.* Objectum non existit, objectivè, ut aliquid reale C. ùt aliquid per fictionem apprehensum, & repræsentatum. N. *Inst.* 5. Objectum est sæpè divinum, & corporeum, actus verus autem est humanus, & spiritualis; ergo non requiritur, ut actus verus sit conformis objecto. R. D. *Cons.* Ut sit conformis objecto physicè, & in essendo C. ut sit conformis intentionaliter, & in repræsentando.

tando. N. Sicut necesse non est, ut actus repræsentans *animal*, quoad suam entitatem sit animal; ita nec requiritur, ùt actus repræsentans infinitum, aut divinum, sit entitativè infinitus, & divinus; quandoquidem veritas formalis non est conformitas physica, sed intentionalis, sive in repræsentando.

§. II.

An Veritas sit actui essentialis?

487. *Nota.* Quæstio hìc non est de veritate radicali, quæ est perfectio actûs, vi cujus ipse exigit esse verus, vel ratione principii indefectibilis, ùt fit in actibus supernaturalibus & divinis; vel ratione objecti immutabilis, ùt fit in his actibus: *Deus existit. Homo est animal rationale* &c. sed *status quæstionis est* de actibus iis, qui sunt à principio ad verum, & falsum indifferente, & præcipuè circa objectum contingens, ac mutabile; an scilicet his veritas formalis, & actualis ita intrinseca, & essentialis sit, ut propter exigentiam suam intrinsecam falsi esse non potuerint?

488. *Dico.* Veritas actui non est essentialis. *Ratio est*: Quia veritas actui secundùm se sumpto adesse potest, vel abesse, salvâ ejus essentiâ. Nam hic actus: *Sultanus dormit*, ex supposito verus, potuisset elici tunc, quando *Sultanus non dormiebat*, quo casu fuisset falsus. Ergo. Hæc conclusio de veritate formali non tantùm tenet in iis actibus, qui objectum contingens habent,

&

& mutabile; sed etiam in iis, ubi objectum immutabile est, & necessarium. Nam immutabilitas hæc respectu actûs præcisè se habet per accidens; quandoquidem actus nec ex ratione generica cognitionis, nec ex ratione repræsentationis exigit objectum sic se habens, sicut ipse enuntiat; alias à nullo actu veritas separabilis foret. Quod de veritate hìc concluſum est, id ipsum cum proportione falsitati facilè applicabis.

489. *Obj.* Veritas est relatio transcendentalis actûs ad objectum, quia implicat veritatem esse sine objecto; ergo veritas est actui essentialis. R. D. *Ant.* Veritas est relatio transcendentalis ad objectum repræsentationis. C. Ad objectum verificationis. N. Nimirùm omnis actus judicii debet habere aliquod objectum; quia essentialiter affirmat aliquid, vel negat; sed objectum non necessariò ita se habet, ùt actus enuntiat. *Inst.* 1. Objectum verificationis est illud, quod actus affirmat, vel negat; sed actus ad ejusmodi objectum dicit relationem transcendentalem; ergo. R. N. *maj.* Nam objectum verificationis est illud, quod ita se habet, ùt actus enuntiat. *Inst.* 2. Actus est essentialiter conformis objecto verificationis; ergo. *Prob. Ant.* Non est essentialiter difformis; ergo. R. N. *Conf.* Actus per essentiam suam nec est conformis, nec difformis objecto sic se habenti; sed præscindit ab utroque: sicut homo per essentiam suam nec est barbatus, nec imberbis. *Inst.* 3. Veritas physicè spectata est ipsa entitas actûs;

actûs; ergo. Rx. D. *Ant.* Est entitas actûs absolutè sumpta. N. Respectivè sumpta. C. Forma relativa etsi intrinseca sit subjecto, illi tamen essentialis non est. *Inst.* 4. Album est essentialiter album; ergo etiam verum est essentialiter verum. Rx. D. *Ant.* Album ùt album. C. Album materialiter tale, & quod est album. N. Eodem modo actus verus, ùt verus est essentialiter verus; sed præsens quæstio est tantùm de actu vero secundùm se, & qui verus est. *Inst.* 5. Quilibet actus judicii est essentialiter affirmativus; ergo etiam essentialiter verus, vel falsus erit. Rx. N. *Cons. Disp. est*, quia affirmatio, vel negatio est ipsa tendentia actûs, quæ est purè âb intrinseco, & ipsi essentialis. Econtrà denominatio veritatis, vel falsitatis formalis non est ipsa tendentia actûs ab intrinseco proveniens, & manens sive objectum ita se habeat, sive non; sed est denominatio dependens ab extrinseco, sive ab objecto sic se habente; quòd autem objectum ita se habeat, est actui secundùm se per accidens. *Inst.* 6. Sicut affirmatio, & negatio est ipse actus; ita etiam veritas, vel falsitas est ipse actus; ergo. Rx. N. τὸ *sicut*. Nam affirmatio, & negatio sunt ipse actus *absolutè* sumptus; Veritas autem, vel falsitas est actus *respectivè* tantùm sumptus. *Inst.* 7. Judicium æquè dividitur in verum & falsum, ac dividitur in affirmativum, & negativum; ergo. Rx. N. *Ant.* Nam divisio prima est divisio subjecti in accidentia, sicut dum divido hominem in album, & nigrum. Posterior autem divisio est divi-

divisio generis in species. Ex his advertes actum verum, & falsum non differre specie essentiali, sed accidentali. *Inst.* 8. Actus habentes diversa objecta differunt specie essentiali; sed actus verus, & falsus diversa habent objecta; ergo differunt specie essentiali; cùm actus ab objectis specificentur. R. D. *Maj.* Habentes diversa objecta repræsentationis, h. e. quorum unus aliquid aliud affirmat, vel negat, quàm alter C. diversa objecta verificationis, h. e. quorum unus affirmat rem, uti est, & alter eandem rem aliter affirmat, ac est. N. Hi actus v. g. *Petrus est homo*, *Paulus est planta* differunt specie essentiali, non ideò, quia primus est verus, alter verò falsus; sed ideò quia circa diversa objecta versantur. *Inst.* 9. Omnis actus necessariò vel est verus, vel falsus; ergo. R. D. *Ant.* Ex intrinseca exigentia actûs. N. Ob extrinsecam necessitatem contradictoriorum, vel ratione objecti, quod necessariò ita se habet, vel non ita se habet. C. *Inst.* 10. Bonitas, vel malitia est essentialis actui; ergo & veritas, vel falsitas. R. D. *Ant.* Bonitas *radicalis*, quæ desumitur ab objecto essentialiter bono, vel à principio supernaturali &c. C. Bonitas *formalis*, quæ est conformitas actûs cum dictamine rationis. N. Nam idem actus jam conformis dictamini, in aliis circumstantiis potest esse difformis; igitur hæc bonitas illi essentialis non est.

§. III.

§. III.

An unus actus possit esse verior, vel falsior altero?

490. *Nota.* Non quæritur: An unus actus possit verior esse *radicaliter*; certum enim est, actus Dei, & actus supernaturales fidei, ratione principii, vel etiam ratione objecti veriores esse actibus humanis, quorum principium fallibile est, vel objectum contingens. Nec quæritur: an actus verior esse possit altero, aut falsior *extensivè*; nulli enim dubium est, quòd actus dicens, viginti currunt, ex suppositio, quòd 30. currant, propiùs accedat ad verum, quàm actus dicens, decem currunt. *Status proinde quæstionis est:* An veritas, vel falsitas *formaliter*, & *intensivè* suscipiat magis, & minùs? sive, an unus actus *intensivè*, & *formaliter* verior, aut falsior esse possit altero?

491. *Dico.* Nec veritas, nec falsitas suscipit magis, & minùs. *Ratio primæ partis est:* Quia veritas formalis est adæquata, & omnimoda conformitas actûs cum objecto sic se habente; nam actus ut verus sit, eodem prorsus modo repræsentare debet objectum, quo illud se habet; sed adæquata & omnimoda conformitas cum objecto sic se habente non suscipit magis, & minùs; aliàs esset adæquata conformitas, & non esset; ergo. *Ratio secundæ partis est:* Quia falsitas consistit in difformitate actûs cum objecto, ùt est in se, sive in carentia omnimodæ conformitatis cum objecto, ùt est

in

in se; sed carentia omnimodæ conformitatis non suscipit magis, & minus: Nam, ex supposito, quòd *decem currentibus* actus unus asserat: *novem tantùm currunt*; alter verò dicat: *quinque tantùm currunt*; uterque falsus est, non ideò præcisè, quia unus affirmat cursum novem hominum, & alter cursum hominum quinque; sed ideò, quia uterque actus numerum denarium à cursu excludit, id quod uterque æqualiter præstat; igitur tota diversitas inter ejusmodi actus materialis tantùm est, & extensiva, quatenùs prior ad plura se objecta extendit, posterior ad pauciora.

492. *Obj.* 1. *contra* 1*mam partem.* Omnis qualitas suscipit magis & minus; sed veritas est qualitas; ergo. R. 1. Majorem falsam esse, constat ex n. 403. R. 2. D. *maj.* Omnis qualitas physica, quæ est per gradus augibilis. C. Etiam qualitas metaphysica, & resultans in actu, ex sic se habentia objecti, qualis est veritas. N. *Inst.* 1. Unus actus potest esse melior, certior, & evidentior altero; ergo etiam verior. R. N. *Cons. Disp. est:* Quia *bonitas* non tantùm desumitur à conformitate cum regula morum, sed etiam dependet à circumstantiis, à fervore operantis, ab intentione &c. quæ crescere possunt. *Certitudo* autem non est necessariò omnimoda adhæsio ad objectum, sed ob motiva, & rationes jam plures jam pauciores, jam graviores, jam minus graves incrementum suscipit. *Evidentia* denique non est necessariò summa claritas; sed sicut objectum jam clariùs, jam minùs clarè

clarè proponi intellectui potest ; ita etiam evidentia jam clarior, jam minùs clara esse potest. Econtrà veritas est omnimoda conformitas actus cum objecto sic se habente ; quæ certè magis & minùs non suscipit, aliàs non erit omnimoda. *Inst.* 2. Potest unus actus esse perfectior altero ; ergo & verior. R. D. *Ant.* In iis, quæ admittunt incrementum C. quæ incrementum non admittunt. N. *Inst.* 3. Hi actus : *Deus est : Christus est verè realiter præsens in Eucharistia* ; sunt veriores, quàm hi : *Petrus existit ; Turca à Persis victus est* &c. ergo. R. D. *Ant.* Sunt veriores *radicaliter* ratione principii, vel objecti C. *Formaliter* N. Eodem modo actus, quo Deus dicit : *Petrus pervenit ad cœlum*, verior est *radicaliter*, quàm actus, quo id ipsum sempronius v. g. affirmat, non autem *formaliter*. *Inst.* 4. Actus dicens : *Canis est animal latrabile*, verior est, quàm actus dicens : *Canis est animal* ; ergo. R. D. *Ant.* Verior est *intensivè* & *formaliter*. N. Verior est *extensivè*, quia plures formalitates objecti exprimit. C. *Inst.* 5. Præmissæ sunt veriores, quàm conclusio ; quia hæc vera est propter præmissas ; *Propter quod* autem *unumquodque tale*, *illud magis tale* ; ergo. R. D. *Ant.* Sunt veriores *causaliter* C. *formaliter*. N. Eodem modo explicandum est allatum axioma. Alii dicunt, illud intelligendum duntaxat esse de causa finali, quia finis magis diligitur, quàm media, quæ ad finem assequendum adhibentur, & propter eum diliguntur. *Inst.* 6. Actus verus est imago, & similitudo ob-

objecti, sed una imago potest objecto esse conformior; ergo. R. D. *Maj.* Est imago, & similitudo adæquata, & omnimoda C. inadæquata, & aliqualis. N. *Inst.* 7. Falsitas, & veritas sunt contraria; sed hæc susciplunt magis & minùs; ergo. R. D. *Maj.* Sunt contraria physica, quæ fiunt per additionem gradûs ad gradum N. sunt contraria logica. C.

493. *Obj.* 2. *contra* 2*dam partem.* Unum mendacium est majus altero; ergo & unus actus falsior altero. R. D. *Ant.* Est majus altero philosophicè N. moraliter, & Theologicè ratione culpæ, vel damni, vel aliarum circumstantiarum, à quibus in moralibus etiam desumitur malitia actûs. C. Ad hæc mentiri, & falsum dicere non est omninò idem; mendacium enim est locutio contra mentem; Actus verò dicitur falsus, si enuntiet aliter, ac objectum est in se. *Inst.* 1. Una propositio falsa esse potest ex pluribus capitibus, quàm altera; ergo erit falsior. R. Sequitur tantùm, quod esset falsior *extensivè*, vel *radicaliter*; non autem *intensivè*, & *formaliter*. *Inst.* 2. Falsitas est inæqualitas; sed inæqualitas suscipit magis & minùs; ergo & veritas. R. 1. N. *Maj.* Inæqualitas enim convenit quantitati; sed falsitas non est quantitas, sed qualitas propositionis. R. 2. Etiam minor falsa est; licèt enim inæqualitas *extensivè* magis & minùs suscipiat, non tamen *intensivè*. Ut dictum est n. 400.

§. IV.

An actus de vero in falsum transire possit?

494. *Nota.* Verbum, sive copula in propositione essentialiter significat tempus. Ex hoc consectaneum est, quòd mutatis temporis differentiis, mutetur quoque ipse actus, specie saltem inadæquatâ. Est autem in hac thesi duplex tempus distinguendum: Aliud dicitur *Tempus subjecti*, estque illud, quo propositio profertur. Aliud *Tempus objecti* appellatur, estque illud, quod verbum propositionis repræsentat tanquàm objectum. Repræsentatur prætereà tempus duplici modo; nempe *determinatè*, vel *indeterminatè*. *Determinatè* repræsentatur, quando copula unum, aut plura instantia determinata significat. v. g. *Petrus instanti A. vigilat*, vel *Petrus Instanti A. & B. vigilat*. *Indeterminatè* repræsentatur, quando copula nullum certum instans denotat. v. g. *Petrus aliquo instanti legit*. His positis *status quæstionis est*. An actus in materia contingente, qualis est v. g. hic: *Petrus studet*, semel verus, in falsum mutari possit, & viciſſim?

495. *Dico.* Actus semel verus nequit transire in falsum. Ita Oviedo, Arriaga, Suarez, Lusit. *Ratio est* 1. Quia actus judicii continuari per plura instantia non potest; Cùm enim actus Judicii, ùt infra tradetur, in indivisibili annutu, vel abnutu consistat, instantaneus est. *Si dicas*, admittendum hoc esse, ut quæstioni sit locus. Respondeo, tanti quæstionem hanc facien-

faciendam non esse, ut in ejus gratiam falsum suppositum admittatur. Verùm permisso etiam falso hoc supposito, cum authoribus suprà citatis aliisque recentioribus benè multis assero, actum semel verum in falsum transire non posse, idque hoc argumento evinco: Sit hæc propositio: *Petrus scribit.* Vel ergo sensus hujus propositionis est iste: *Petrus aliquo tempore scribit*, & tunc semel vera, semper erit vera, modò unico instanti scribat, quodcunque illud sit; sicut hæc propositio: *Aliquod animal est in foro*, semper vera est, modò unicum animal sit in foro, quodcunque illud sit. Vel sensus præfatæ propositionis est. *Petrus per duo instantia collectivè sumpta scribit*; & sic semper erit falsa, modò unico instanti non scribat, quia propositio non enuntiat, ùt objectum est in se. Vel sensus dictæ propositionis est hic: *Petrus nunc scribit*, & sic præsens instans significat, adeoque pro secundo instanti non erit propositio eadem; quia non amplius habet idem objectum repræsentationis. Vel si contendas esse propositionem eandem, tunc certè in secundo etiam instanti pro primo significabit; adeoque si pro primo fuerit vera, manebit vera, sive pro secundo instanti Petrus scribat, sive non. Accedit Authoritas D. Augustini, qui *in Psal.* 108. inquit: *veritas immortalis est, veritas incommutabilis.* Et S. Anselmus *in Monologio c.* 17. hæc habet: *cogitet, qui potest, quando incepit, aut quando non fuit hoc verum, scilicet; quia futurum erat aliquid, aut quando desinet, & non erit hoc verum, scilicet, quia præteritum erit aliquid.*

496. *Obj.* Veritas, & falsitas est actui accidentalis, ergo potest ab eo abesse tum veritas, tum falsitas. R. D. *Cons.* Potest ab eo abesse veritas absolutè, & antecedenter. C. Potest abesse consequenter, & ex hypothesi, quòd ei semel veritas insit. N. Nimirùm veritas consequenter est accidens inseparabile, sicut esse visum, esse cognitum. *Inst.* 1. Aristoteles, & D. Thomas sunt contrarii huic sententiæ. R. Loquuntur de propositione vocali, vel scripta, non autem de mentali, de quâ hic agitur. Si verò contendas, eos de propositione mentali fuisse locutos; tunc (verba sunt P. Jacobi Channevelle) veritati non consentiunt. *Si postules disparitatem*, cur propositio vocalis, aut scripta de vera in falsam transire possit, non autem mentalis? laudatus modò author assignat hanc: Eòquod mentalis determinetur ad tempus, illudque adsignificet; vocalis verò, vel scripta indifferens sit ad omne tempus; adeóque hæc propositio: *Petrus scribit*, in primo instanti, Petro scribente, erit vera, in secundo autem, Petro non scribente erit falsa. *Inst.* 2. Tempus in dicta propositione: *Petrus scribit* sumitur præcisivè; ergo poterit adhuc ex vera in falsam transire. R. Permisso antecedente N. *Cons.* Quia ad verificationem propositionis præcisivè enuntiantis sufficit, si vel unicum individuum sub termino præcisivo contentum sic se habeat; ad ejus falsificationem autem requiritur, ut nullum sic se habeat; nam propositio præcisiva in materia contingenti æquivalet disjuncti-

junctivæ. Inde sequitur, quòd hæc propositio: *Petrus scribit*, modò in aliquo instanti scribat, semper vera sit, & si in nullo instanti scribat, semper sit falsa.

497. *Reflexio* I. Objectum hujus actûs: *Petrus scribit*, non tantùm est scriptio Petri, sed etiam tempus per verbum importatum. II. Idem actus nequit simul verus esse & falsus, respectu ejusdem objecti. Quia aliàs objectum verificativum simul esset, & non esset, quod implicat. III. Nec dantur actus nec veri, nec falsi; quia objectum verificativum necessariò vel est, vel non est, & nequit nec esse, nec non esse. IV. Propositiones, quas insolubiles vocant, impossibiles sunt, & implicatoriæ, nisi in sensu accommodo accipiantur. E. G. *Fiam Philosophus, si Plato verum dixerit*; dicat deinde Plato: *Non fies Philosophus*. Hæc propositio erit implicatoria, nisi prima: *Fiam Philosophus, si Plato verum dixerit*, intelligatur cum exceptione sic: *Excepto eo, si præcipiat, ut non fiam philosophus.*

§. V.

Quænam sint Regulæ ad dignoscendam veritatem, & falsitatem propositionis?

498. *Dico.* Regula *Prima* generalis, & ab objecto desumpta est hæc: Ad veritatem propositionis qualiscunque requiritur, ut omnia dentur eo modo, ac tempore, ut propositio enuntiat. Ad falsitatem sufficit, si vel una pars non ita se habeat. Sic falsa est hæc: *Petrus di-*

ligenter ſtudet, ſi vel ſola diligentia deſit. *Ratio eſt*: Quia bonum ex integra cauſa, malum ex quolibet defectu.

499. *Secunda eſt:* Affirmativa propoſitio in materia neceſſaria ſemper vera eſt; quia identitatem prædicati cum ſubjecto, quæ neceſſariò datur, affirmat. Econtrà propoſitio negativa in ejusmodi materia ſemper falſa eſt, ob rationem contrariam. In Materia autem impoſſibili propoſitio affirmativa ſemper falſa; negativa verò ſemper vera eſt; quia hæc identitatem prædicati cum ſubjecto negat, quæ in materia impoſſibili nunquam datur; illa verò eam affirmat. Denique in materia contingenti propoſitio affirmativa vera, aut falſa eſſe poteſt, quia identitas prædicati cum ſubjecto, quæ eſt contingens, affirmari poteſt, tunc quando non datur, vel quando datur, ac viciſſim negari. Idem intellige de propoſitione negativa in materia contingenti.

500. *Tertia eſt:* Propoſitio in materia neceſſaria aſſerit realem ſubjecti cum prædicato identitatem, & ex conditione duntaxat ſubjecti exiſtentiam. E. G. Senſus propoſitionis: *Homo eſt animal rationale*, eſt hic: *Quandocunque exiſtit homo, eſt identificatus cum animali rationali*; Hinc propoſitio hæc vera foret, etſi nullus exiſteret homo. Idem dicendum eſt de propoſitione negativa in materia impoſſibili. *Si dicas:* Hæc propoſitio, *Deus eſt juſtus*; eſt in materia neceſſaria, & tamen affirmat exiſtentiam ſubjecti; ergo hæc regula non tenet. R. D. *Conſ.* Hæc regula non tenet in iis propoſitionibus, in qui-

quibus subjectum est indifferens ad existendum N. in quibus subjectum indifferens ad existendum non est. C. Allegata regula de iis tantùm subjectis procedit, quæ existere possunt, vel non existere. Ex his colliges, quòd posita in objectione propositio non ideò subjecti existentiam affirmet, quòd sit necessaria, sed quòd subjectum necessariò existat.

501. *Quarta est:* Affirmativa propositio *de secundo adjacente*, ut vera sit, requirit existentiam subjecti; si autem sit negativa, requirit ejus non existentiam. *Ratio est:* Quia existentia subjecti per affirmativam expressè affirmatur, per negativam verò negatur. Quodsi autem propositio sit affirmativa *de tertio adjacente*, & in materia contingenti, plerumque requiritur existentia subjecti, & prædicati pro eodem tempore per copulam importato, & identitas eorundem inter se secundùm id, quod important in recto. *Ratio est:* Quia ejusmodi propositiones præfata omnia affirmant. E. G. Hæc propositio: *Petrus est Logicus*; sic resolvenda est: *Petrus existit, & aliquis Logicus existit, & Petrus est identificatus cum aliquo Logico.* Hæ & similes propositiones vel ex unius capitis defectu falsificari possunt; vel enim non existit subjectum, & dicuntur propositiones *de subjecto non supponente*; vel non existit prædicatum, & vocantur propositiones *de prædicato non supponente*; vel denique sunt defectuosæ ex defectu identitatis prædicatum inter & subjectum, quam tamen propositio affirmativa asserit. Hæc tamen

nolim intelligas de propositione universali affirmativâ; nam hæc in materiâ contingenti non affirmat existentiam subjecti secundùm omnem suam latitudinem sumpti. e. g. Hæc propositio: *Omnis Philosophus studet*; non habet hunc sensum: *Omnis Philosophus possibilis defacto existit, & studet.* Hæc enim resolutio necessariò falsa foret, cùm omnes Philosophi possibiles, utpote infiniti, nunquam dari possint. Igitur sic resolvenda est ultima propositio: *Existit saltem unus, aut alter Philosophus, & ille, vel hi omnes, de facto existentes, student.* Quodsi nullus existeret Philosophus, propositio foret *de subjecto non supponente*, & esset falsa, quia supponeret aliquem statum subjecti, quem illud non habet. Dixi suprà: *plerumque requiritur existentia subjecti.* Nam aliud accidit in propositionibus de prædicato intentionali, v. g. *Abraham est cognitus.* Item in propositione de copula distracta, vel ampliata, v. g. *Cicero est oratorum Princeps.* Item in propositionibus, in quibus negativum est prædicatum, vel præteritum, vel futurum, v. g. *Domus est destructa. Anti-Christus est nascituru. Quadrans præteriit.* Patet in his non requiri subjecti existentiam saltem realem, & physicam.

502. *Quinta est*: Propositio negativa in materia contingente *de 3tio adjacente* vera esse potest ob defectum existentiæ unius, aut utriusque ex rectis, vel si inter prædicatum & subjectum non sit identitas. Sic hæc propositio: *Anti-Christus non est crudelis*, vera est præcisè ideò, quia non datur existentia subjecti; cujus

ratio

ratio est, quia disjunctivè resolvenda est sic: *Vel Anti-Christus non existit, vel non existit crudelitas, vel Anti-Christus non est subjectum crudelitatis.* Ut autem propositio disjunctiva vera sit, sufficit, si vel unicum membrum ita se habeat, ùt enuntiat propositio. Adde, quòd, si data propositio negativa falsa esset, ejus contradictoria, quæ hæc est: *Anti-Christus est crudelis*, foret vera; quod tamen dici nequit, cùm sit de subjecto non supponente.

503. *Sexta est*: Propositio copulativa, ut vera sit, omnes propositiones simplices, ex quibus componitur, veræ sint necesse est. Hinc propositio hæc: Et *Petrus, & Paulus, & reliqui Philosophi student*, falsa est, si vel solus Petrus Philosophus non studeat. *Ratio est*, quia ejusmodi propositio singularum propositionum simplicium objecta ita se habere implicitè asserit. Adde, quòd, si præcedens propositio vel unico Philosopho non studente vera esset; simul vera esse posset ejus contradictoria, quæ est hæc: *Vel Petrus, vel Paulus, vel alius Philosophus non studet.*

504. *Septima est:* Propositio disjunctiva ut vera sit, sufficit, si una propositio in ea contenta sit vera. Sic vera est hæc: *Vel Petrus legit, vel Paulus legit*, si solus Petrus legat; nec obest ejus veritati, si uterque legat, nisi particulam *vel* exclusivè accipias, ita, ut involvat τὸ *Tantùm*, tunc enim utroque scribente falsa erit.

505. *Octava est:* Propositio conditionalis affirmativa vera est, si inter conditionem, &

conditionatum detur connexio, posito, quòd hæc existant, nec requiritur actualis eorum existentia. Sic vera est hæc propositio: Matth. 11. *Si in Tyro, & Sydone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent.* Adverte, hanc regulam intelligendam esse de conditionalibus propriè talibus: Nam conditionales disparatæ veræ sunt, si conditionatum positâ conditione existat, licèt nulla detur inter conditionem & conditionatum connexio, aut dependentia. v.g. *Si Turca dormiet, pluet.*

506. *Nona est:* Ad veritatem causalis requiritur utriusque simplicis propositionis veritas, & insuper, ut una sit causa alterius, aut inter utriusque objectum infallibilis sit connexio. Ad ejus falsitatem autem sufficit, si vel unum horum deficiat. *Ratio est:* Quia causalis affirmativa hæc omnia affirmat, estque æquivalenter copulativa.

507. *Decima est:* Ad veritatem modalis non sufficit, ut prædicatum, quod affirmatur, subjecto insit, vel ut illud, quod negatur, à subjecto absit; sed insuper necessarium est, ut eo modo insit, aut absit, quo inesse, aut abesse affirmatur vel negatur. Hinc propositio hæc: *Petrum currere est necesse*, etiam Petro currente falsa est, quia, licèt dictum verum sit, modus tamen fallit. Toletus hìc benè advertit, propositionem modalem veram ita esse veram, ut falsa esse non valeat; & falsam, ita esse falsam, ut non possit esse vera: Eoquòd objectum principa-

cipale modalis sit ipse modus, qui si dicto semel conveniat, non potest ei non convenire, nec potest non repugnare illi, si semel repugnet: igitur nulla modalis, quà talis, in materia contingenti esse valet.

508. *Undecima est.* Ad veritatem exponibilium requiritur veritas exponentium. Hoc ut meliùs intelligas, adverte. 1. Quòd propositio *Exclusiva*, si affirmativa sit quoad signum, æquivaleat copulativæ; hinc juxta copulativarum regulas supra positas dirigi debent. Si verò sit negativa quoad signum, æquivalet disjunctivæ, ejusque regulas sequitur. 2. Etiam propositio *exceptiva*, quoad veritatem sequitur regulas copulativarum, disjunctivarum, sicut exclusiva; Nam eodem ferè modo, ac Exclusiva, exponitur. 3. Ut *Reduplicativa* affirmativa vera sit, necesse est, ut terminus reduplicatus subjecto conveniat, ut prædicatum etiam sine reduplicatione de subjecto verificetur; aliàs negabitur propositionis suppositum: & denique ut terminus reduplicatus aliquo modo ratio sit, cur subjecto prædicatum conveniat. *Ratio est:* Quia hæc omnia ita se habere propositio reduplicativa affirmans enuntiat, exponiturque *copulativè*. Vid. n. 483. Si autem negativa sit, exponitur *disjunctivè*. Hinc veritas vel falsitas Reduplicativæ propositionis ex regulis copulativarum, vel disjunctivarum dignoscenda est.

ARTI-

ARTICULUS III.

De Oppositione Propositionum.

§. I.

Quid, & quotuplex sit propositionum oppositio?

309. *Dico* 1. Propositionum oppositio à modernis summulistis passim ita describitur: *Est duarum propositionum, idem subjectum, & prædicatum habentium, diversitas, vel in qualitate, vel in quantitate, vel in utraque simul.* Ex his advertes ad oppositionem requiri, 1. Propositiones duas; cùm una sibi opponi non valeat. 2. Ut habeant idem subjectum, & prædicatum; adeoque hæc extrema *æquivocè* sumi non debent. 3. Ut copula in utraque propositione idem significet tempus; ut res sumatur in eodem loco, tempore, in iisdem circumstantiis, cum iisdem signis, connotatis, adverbiis, ampliationibus &c. 4. Ut termini in eadem suppositione sumantur. Excipe tamen hìc suppositionem distributivam, & disjunctivam; hæ enim non vitiant oppositionem, ùt patet in his propositionibus: *Omnis Philosophus studet, aliquis Philosophus non studet. Ratio est*: Quia licèt hæ suppositiones diversæ sint, diversos tamen terminos non faciunt; eòquod terminus particularis sub universali contineatur; adeoque in propositione particulari negatur aliquid, quod cum reliquis affirmatum fuit in propositione universali. 6. Denique oppositæ propositiones

nes differre debent vel in quantitate, vel in qualitate, vel in utraque simul.

510. *Dico.* 2. Oppositio propositionum est quadruplex, secundùm quatuor modos diversos, quos propositiones secundùm quantitatem, & qualitatem habere possunt. Aliæ enim oppositæ sunt *Contradictoriæ*, aliæ *Contrariæ*, aliæ *Subcontrariæ*, aliæ *Subalternæ*. *Contradictoriæ* sunt duæ propositiones eodem subjecto, & prædicato constantes, & repugnantes in quantitate, & qualitate. *Contrariæ* sunt propositiones duæ universales repugnantes in qualitate. *Subcontrariæ* sunt duæ propositiones particulares in qualitate pugnantes. *Subalternæ* sunt duæ propositiones nonnisi in quantitate pugnantes. Propositio universalis in subalternis dicitur *subalternans*; particularis verò *subalternata*. Ex his advertes subalternas esse oppositas minùs strictè tales, eòquod non involvant oppositionem affirmationis, & negationis. Atque ex hac ratione ab initio non posui definitionem Aristotelicam oppositarum, quæ sic habet: *Oppositæ sunt affirmatio & negatio ejusdem de eodem non æquivocè*; hæc enim tantùm de oppositione strictè tali intelligenda est, & subalternas non complectitur. *Observa* præterea datam oppositarum divisionem eas complecti propositiones, quæ pro subjecto terminum communem habent, signo universali aut particulari affectum, & in numero singulari sumuntur; eòquod scientiæ de singularibus plerumque non agentes, eas potissimùm curent: & hæ vocantur

tur oppositæ *de modo enuntiandi.* Cæterùm aliæ adhuc dantur oppositæ, quæ leges oppositarum servant, licet in aliis deficiant. v. g. *Petrus est doctus, Petrus non est doctus. Omnes Philosophi student, non omnes Philosophi student.* Et hæ oppositæ *de lege* appellantur. Pro meliori notitia oppositarum simplicium de modo enuntiandi appositam tabulam sæpiùs inspice. De reliquis oppositis posteà agetur.

§. II.

Quæ sint Leges oppositarum simplicium?

511. *Dico* 1. Leges contradictoriarum sunt sequentes. I. est. *Contradictoriæ in nulla materia possunt simul esse veræ, aut simul falsæ. Ratio* petitur ex illo principio: *Idem non potest simul esse, & non esse.* Ex quo aliud principium logicum æquè certum desumitur, nempe hoc: *Idem de eodem verè affirmari nequit, & negari.* Nam ad *esse* sequitur *Dici*, vel affirmari. II. est. In propositionibus contradictoriis una præcisè tantùm negare debet, quantùm requiritur, & sufficit ad falsificandam alteram, non *plùs*, nec *minùs*: Aliàs ambæ possunt esse veræ, aut ambæ falsæ. Hinc propositiones contradictoriæ non sunt: *Omnis homo est doctus, Petrus*, vel *hic homo non est doctus.* Nec hæ: *Omnis Logicus aliquando ambulat; Aliquis Logicus aliquando non ambulat.* Nam in priori negativa *plùs* negatur, quàm requiritur ad falsificandam alteram; in posteriori verò negativa negatur *minùs*, ùt examinanti patebit.

512. *Obj.*

ad Fol. 478.



cans

ad Fol. 478.

Terminus

Terminus

PROPOSITIONUM

A.	Quantitas et Qualitas	I
E.		O.

Asserit A. negat E. Verũ generaliter ambo.
asserit I. negat O. sed particulariter ambo.

Categorematica Complexus incomplexus

Syncategorematica Concretus Particularis Abstractus Communis Singularis

Collectivus Distributivus

Impertinens Pertinens

Superior Inferior Convertibilis

Primæ subalternæ Secundæ subalternæ

Infinitus Positivus Negativus Privativus

analogia

oppositæ

Contrariæ

A. Omnis homo est justus

E. Nullus homo est justus.

Contra

Contra

Subalternæ

Subalternæ

DIC

Totæ

Totæ

I. Quidam homo est justus.

O. Quidam homo non est justus

Subcontrariæ

Conversio

FECI simpliciter convertitur E vel A. per acci
Aut Oper contra: Sic fit conversio tota.

Æquipollentiæ.

præ Contradic: post Contra: præposteque Subalter.

AFFECTIONES

AFFECTIONES

TERMINI

Suppositio
ampliatio
Restrictio
Alienatio

Suppositio universalis vel particularis terminorum in propositionibus

A. E. I. O.

Primus in A; sed solus in O contraria lex est
Neuter in I; Sed in E Contra partitur utrique

TERMINI

Status
Distractio
Appellatio.
Reduplicatio



512. *Obj.* Hæ propositiones contradictoriæ sunt simul veræ. 1. *Omnis Gallus est homo*; *Aliquis Gallus non est homo.* 2. *Omnis Leo est animal*; *Aliquis Leo non est animal.* 3. *Omne animal fuit in arca Noë*; *Aliquod animal non fuit in Arca Noë*, scilicèt asinus, quo Christus usus est. 4. *Nullus cæcus videt*; *Aliquis cæcus videt.* 5. *Omne, quod moritur, est animal*; *Aliquid, quod non moritur, est animal.* R. N. Has, & similes propositiones esse contradictorias, si supponantur simul veræ. Nam 1*mæ* non habent idem subjectum, quia τὸ *Gallus* sumitur æquivocè modò pro homine gallo, modò pro gallo gallinaceo. Ex eadem ratione 2*dæ* non habent idem subjectum. In Propositionibus 3*tio* loco positis mutatur suppositio, transitur enim à sensu accomodo ad absolutum. In propositionibus autem 4*to* loco positis subjectum semel sumitur cum statu, & semel cum distractione, sive ampliativè. Denique ambæ propositiones 5*to* loco allatæ sunt affirmativæ, quia particula *non* in secunda propositione non afficit copulam principalem. *Si ais.* Saltem propositiones: *Omne currens movetur*; *Aliquod currens non movetur*, ex supposito, quod nemo currat, sunt simul falsæ. R. N. Quia ejusmodi propositiones, non affirmant præcisè cursum, sed currentis motum, adeoque faciunt hunc sensum: *Omne currens, si existit, movetur*, quæ propositio vera est etiam nemine currente, cùm sit in materia necessaria. *Si reponas*: Saltem hæ propositiones sunt simul falsæ: *Omnis*

canis

canis rationalis est animal; Aliquis canis rationalis non est animal. R. N. Has propositiones esse simul falsas: Nam propositio universalis affirmativa habet hunc sensum: *Quando existit canis, existit rationale, & existit animal, & animal est identificatum cani rationali.* Et hæc propositio falsa est, quia unum membrum falsum est, nempe *existere rationale, si existat canis*, quod ad falsificandam propositionem copulativam sufficit. Verùm propositio particularis negativa sic exponenda est: *Quando existit canis, vel non existit rationale, vel non existit animal, vel animal non est identificatum cani rationali:* quæ vera est, quia saltem unum membrum verum est, scilicet: *non existere rationale, si existat canis.* Quod sufficit ad veritatem propositionis disjunctivè. Qui plures contra hanc materiam objectiones deliderat, poterit consulere P. Haunoldum, vel *Quæst. 2. Art. 4. §. 2. Summularum Logicæ* P. Jacobi Dedelley, quæ hodie satis communes sunt, & præcipuam laudem in hac materia merentur. Ante tamen, quàm hanc materiam concludam, duo velim adhuc diligenter observes. *Primum est:* In propositionibus contradictoriis tam *quoad rectum*, quàm *quoad obliquum* attendendum esse, ut sibi debitè repugnent in quantitate. Ex hoc defectu propositiones contradictoriæ non sunt: *Omnis miles in omni legione est strenuus; Aliquis miles in omni legione non est strenuus.* Sed secunda particularis deberet sic poni: *Aliquis miles in aliqua legione non est strenuus. Nec dicas:* Ergo nec hæ propositiones erunt contra-

dicto-

dictoriæ: *Nullius hominis aliquis canis latrat; Alicujus hominis aliquis canis latrat.* R. N. *illatum.* Nam τὸ *aliquis canis* in prima propositione verè distribuitur, quia ponitur post particulam negativam, *nullus*; adeoque, si ex suppositio aliquis canis latret, particularis erit vera, universalis falsa. Patitur tamen hæc observatio rursus exceptionem, nimirùm in propositionibus, quæ per copulam minùs principalem exponuntur; in his enim necesse non est, ut signa universalia omnia in particularia mutentur, ùt patet in hac propositione: *Omnis homo, servans omnia mandata Dei, salvatur.* Cui malè contradiceres sic: *Aliquis homo, servans aliqua mandata Dei non salvatur*; cùm ambæ hæ propositiones veræ esse possint: Sed debes hoc modo priori contradicere: *Aliquis homo, servans omnia mandata Dei, non salvatur.* Cujus ratio est; quia in prima propositione ex parte ipsius subjecti jam importatur copula licèt minùs principalis; si igitur locò *servans omnia mandata*, poneretur *servans aliqua mandata*, non maneret idem subjectum, & consequenter nulla foret contradictio. *Alterum*, quod observes, *est*, cuilibet propositioni suam assignari posse contradictoriam, vel *de modo enuntiandi*, vel *de lege*. *Ratio est*; quia quidquid de aliquo subjecto affirmatur, id ipsum præcisè negari potest de subjecto eodem: hoc autem perfectè, & maximè commodè fiet, si toti propositioni affirmativæ particulam *non* neganter sumptam præponas; Negativæ verò propositioni eam auferas. Sic

huic propositioni: *Omnis homo est doctus*, optimè contradices dicendo: *Non omnis homo est doctus*: major enim contradictio haberi non potest, quàm si tota affirmatio negetur.

513. *Dico* 2. Lex I. contrariarum est: *Contrariæ in nulla materia simul veræ esse possunt.* Ratio est; quia aliàs etiam duæ contradictoriæ essent simul veræ, adeoque idem esset, & non esset. Hæc ratio sic declaratur: Ex supposito, quòd hæc propositio: *Omnis homo desiderat felicitatem*, vera sit, etiam vera est hæc: *Petrus desiderat felicitatem.* Et si insuper vera sit hæc negativa: *Nullus homo desiderat felicitatem*; hæc quoque vera erit: *Petrus non desiderat felicitatem.* Si igitur ambæ contrariæ propositiones simul veræ sint; etiam contradictoriæ simul veræ erunt: quales sunt: *Petrus desiderat felicitatem*, *Petrus non desiderat felicitatem.* Lex II. est: *Contrariæ in materia necessaria*, & *impossibili nec simul veræ, nec simul falsæ esse possunt. Ratio* 1*mæ partis* ex superiori regula est desumenda. *Ratio* 2*dæ partis est:* Quia in materia necessaria prædicatum necessariò convenit subjecto; ergo propositio affirmans hanc convenientiam necessariò vera est; altera verò hanc negans falsa. Si autem propositio in materia impossibili sit, tunc prædicatum subjecto convenire nequit; adeoque negans propositio vera erit, affirmans falsa. Lex III. est. *Utraque contrariarum in materia contingenti falsa esse potest. Ratio est*: Quia, cùm ambæ universales sint, una plus negat, quàm requiratur ad falsificandam alte-

alteram. Adde, quòd prædicatum contingens uni possit convenire, alteri non.

514. *Obj.* Nequeunt ambæ contrariæ esse simul veræ; ergo nec simul falsæ. R. N. *Cons. Disparitatem* dedi suprà in rationibus, quas legibus subjunxi. Adde quod plus requiratur ad veritatem, quàm ad falsitatem, cùm bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu. *Si ais:* Hæ sunt propositiones contrariæ, simul veræ: *Omnis hominis alter oculus est dexter; Omnis hominis alter oculus non est dexter;* ergo. R. N. has esse contrarias, quia non sunt universales; Universalitas enim *ex recto* subjecti, non autem *ex obliquo* desumitur. *Si reponas.* Saltem hæ propositiones: *Omne animal est rationale; nullum animal est rationale,* sunt contrariæ in materia necessaria, & tamen ambæ sunt falsæ; ergo saltem secunda contrariarum lex non tenet. R. N. *Ant.* Licèt enim aliquod animal sit necessariò rationale; id tamen dici non potest de animali genericè sumpto, cui contingens est contrahi ad rationale, vel irrationale.

515. *Dico* 3. Lex I. subcontrariarum est: *Subcontrariæ in nulla materia possunt esse simul falsæ. Ratio est;* si subcontrariæ, v. g. hæ: *Aliquis homo est doctus; aliquis homo non est doctus,* essent simul falsæ; ergo earum contradictoriæ: scilicet istæ: *Nullus homo est doctus; Omnis homo est doctus.* Necessariò forent simul veræ; sed hoc implicat, quia, ùt paulò antè dictum est, contrariæ in nulla materia simul veræ esse

possunt; ergo & implicat subcontrarias esse simul falsas. Lex II. est: *Subcontrariæ in materia necessaria, & impossibili nec simul falsæ, nec simul veræ esse valent.* 1ma *pars* probatur ex priori ratione. 2da *pars ita stabilitur*: Si subcontrariæ in assignata materia forent simul veræ; ergo earum contradictoriæ essent simul falsæ; quod falsum esse inde constat, quia subcontrariarum contradictoriæ ad se invicem collatæ sunt propositiones contrariæ, de quibus suprà probavimus, quòd in materia necessaria & impossibili simul falsæ esse non possint. Lex III. est: *Subcontrariæ in materia contingenti possunt simul esse veræ. Ratio est*; Quia prædicatum contingens respectu subjecti, uni potest convenire, alteri non potest convenire; ùt si dicas: *Aliquis homo currit, aliquis homo non currit*; quæ ambæ propositiones verificari possunt per Petrum currentem, & Paulum non currentem.

516. *Obj.* Si subcontrariæ possint esse simul veræ; ergo non erunt oppositæ. R. D. *sequel.* Non erunt oppositæ in quantitate, aut veritate. C. in qualitate. N. *Si reponas*: Subcontrariæ simul veræ non habent idem subjectum; ergo non sunt oppositæ. R. D. *Ant.* Non habent idem subjectum verificationis. C. Repræsentationis, aut suppositionis. N. h. e. Dum dico: *Aliquis homo currit, aliquis homo non currit*, hæ propositiones verificantur quidem per Petrum currentem; & Paulum non currentem; utraque autem propositio supponit disjunctivè pro Petro, vel Paulo, vel alio

alio homine, adeoque habet idem subjectum suppositionis, quæ identitas subjecti ad oppositionem subcontrariarum sufficit. *Si postules:* An propositiones indefinitæ in materia contingente, v. g. *Homo est doctus, homo non est doctus*, sint contradictoriæ, an subcontrariæ? R. Sunt subcontrariæ. Nec obstat Aristoteles, qui *lib.* 1. *de Interpret. cap.* 6. propositiones ejusmodi dicit contradictorias; nam vocat illas contradictorias, non ideò, quòd sint verè tales, sed quòd appareant contradictoriæ.

517. *Dico* 4. Lex I. subalternarum est: *Subalternata, sive particularis in nulla materia falsa esse potest, si subalternans, vel universalis vera sit. Ratio est:* Quia subalternata in subalternante continetur. Lex II. est: *Si falsa est subalternata, etiam subalternans falsa erit. Ratio est;* Quia aliàs idem v. g. Petrus posset esse doctus, & non esse doctus; ùt examinanti patebit. Lex III. est: *Si vera est subalternata, subalternans falsa esse potest in materia contingente; secùs est in materia necessaria. Ratio* 1*mi est:* Quia prædicatum contingens convenire uni ex inferioribus potest, quin conveniat omnibus. Sic licèt verum sit, aliquem hominem currere, falsum tamen esse potest, omnem hominem currere. *Ratio* 2*di est:* Quia id, quod in materia necessaria uni ex inferioribus convenit, convenit necessariò omnibus. Ex his conclude sequentia: 1. *Ex veritate subalternantis sequitur veritas subalternatæ, in quavis materia.* 2. *Ex falsitate subalternatæ sequitur falsitas subalternantis, in quavis materia.*

3. *Ex veritate subalternatæ non sequitur veritas subalternantis, in materia contingente.* 4. *Ex falsitate subalternantis non sequitur falsitas subalternatæ in materia contingente, sequitur autem in materia necessaria.* Hæc de oppositis propositionibus simplicibus satis dicta sunto; restat, ut de compositis in compendio agamus.

§. III.

Quænam circa oppositionem compositarum propositionum notanda.

518. *Dico* 1. Propositioni copulativæ contradicitur per disjunctivam. Sic huic propositioni: *Et Petrus orat, & Paulus orat*; ut contradicas, hanc disjunctivam: *Vel Petrus non orat, vel Paulus non orat*; ponas, necesse est. *Ratio est:* Quia si priori copulativæ, aliam opponeres copulativam, v. g. hanc: *Nec Petrus orat, nec Paulus orat*; ambæ possent esse falsæ; quandoquidem hæc ultima copulativa negans, plùs negaret, quàm ad falsificandam priorem requiratur. Econtrà Propositioni disjunctivæ per copulativam contradicitur. E. g. Huic propositioni disjunctivæ: *Vel Petrus studet, vel Paulus studet*; contradicit hæc copulativa negans: *Nec Petrus studet, nec Paulus studet.* Si enim disjunctivæ opponeres disjunctivam hanc: *Vel Petrus non studet, vel Paulus non studet*; habebis subcontrarias, & consequenter ambæ simul poterunt esse veræ.

519. *Dico* 2. Propositioni propriè conditionali contradicitur, si præcisè connexio conditio-

ditionis cum conditionato negetur, cujus negatio per tò *non ideò* aptissimè exprimitur. Sit hæc propositio: *Si Petrus audiet concionem, convertetur.* Huic optimè contradices sic: *Si Petrus audiet concionem, non ideò convertetur.* Hujus ratio est; quia in propositionibus conditionalibus hæc connexio principaliter affirmatur, vel negatur; igitur si in unâ propositione hujus connexionis affirmatio ponatur, in altera ejus negatio, dicitur tantùm, quantùm præcisè sufficit ad alteram falsificandam. Si verò conditionalis sit disparata, tunc sufficiet ad contradictionem, si una præcisè neget coëxistentiam conditionati positâ conditione; quia hæc in disparatis conditionalibus principaliter significatur. Eodem modo per tò *non ideò* contradicitur propositioni causali. Ubi tamen observandum adhuc venit, quòd Propositio causalis singularis affirmans in materia contingente affirmet existentiam causæ, & causati pro tempore per copulam importato, & insuper connexionem causam inter, & causatum; hinc ejus contradictoria hæc omnia negare debet disjunctivè. v. g. Hæc propositio: *Clavius est excellens Mathematicus, quia diu multúmque in hoc studium incubuit*; habet hunc sensum: *Clavius est excellens Mathematicus, & diu multúmque in hoc studium incubuit, & ideò est excellens Mathematicus, quia diu multúmque in hoc studium incubuit.* Contradictoria huic est hæc: *Clavius non ideò est excellens Mathematicus, quia diu multúmque in hoc studium incubuit*; quæ disjunctivè sic exponi debet:

bet: *Clavius vel non est excellens Mathematicus, vel non diu multumque in hoc studium incubuit; vel si est excellens Mathematicus, & diu multumque in hoc studium incubuit, non ideò est, quia incubuit &c.*

520. *Dico* 3. Propositioni modali optimè contradicitur, si modus in una propositione affirmatus, de eodem dicto negetur in altera. v. g. huic propositioni: *Petrum currere est necesse*; Contradicit hæc: *Petrum currere non est necesse*, sive, quod idem est: *Petrum non currere est possibile. Ratio est:* quia in propositione modali ad modum, non ad dictum attenditur. Propositioni denique exponibili contradicitur, si in suas exponentes resolvatur, & hæ postmodùm juxta regulas & copulativis, & disjunctivis contradicendi, superiùs assignatas ordinentur. Nam exponibiles quoad signum affirmativæ, copulativis æquivalent; negativæ autem disjunctivis. Ut ea, quæ hactenùs de contradictoriis dicta sunt, faciliùs memoriæ imprimas, & reliqua, quæ de contrariis, subcontrariis, ac subalternis in quavis materia assignandis dicenda adhuc forent, nullo veluti negotio condiscas, sequentes tabulas oculis tuis subjicio, quas si sæpius inspicias, & juxta ea, quæ de propositionibus, & oppositionibus hucusque diximus, examines, in hac materia cæteroquin difficillima progressus facies non pœnitendos, à quibus intricatæ, & longiores regularum viæ Logicos solent deterrere.

§. IV.

TABULA OPPOSITARUM. ad fol. 488

I. *Singularium.*

Petrus eſt doctus.	*Contrariæ.*	Petrus non poteſt eſſe doctus.
Subalternæ.	*Contra dictoriæ.*	*Subalternæ.*
Petrus poteſt eſſe doctus.	*Subcontrariæ.*	Petrus non eſt doctus.

II. *Simpicium cum caſu obliquo.*

Omnis Studioſus cujuslibet Scholæ ſtudet.	Nullus Sudioſus ullius Scholæ ſtudet.
Aliquis Studioſus alicujus Schdæ ſtudet.	Aliquis Studioſus alicujus Scholæ non ſtudet.

III. *Copulativarum, & Disjunctivarum.*

Et Titus ludit, & Plautus ludit.	Nec Titus ludit, nec Plautus laudit.
Vel Titus ludit, vel Plautus ludit.	Vel Titus non ludit, vel Plautus non ludit.

IV. *Conditionalium.*

Omne animal, ſi currit, movetur.	Nullum animal, ſi currit, movetur.
Aliquod animnal, ſi currit, movetur.	Aliquod animal, ſi currit, non movetur.

V. *Cauſalium.*

Omnis ignis urit, quia habet calorem.	Nullus ignis urit, quia habet calorem.
Aliquis ignis urit, quia habet calorem.	Aliquis ignis non urit, quia habet calorem.

VI. *Modalium.*

Neceſſe eſt, animal currere.	Impoſſibile eſt, animal currere.
Poſſibile eſt, animal currere.	Poſſibile eſt animal non currere.

VII. *Modalium temporanearum.*

Thales ſemper ſtudet.	Thales nunquam ſtudet.
Thales aliquando ſtudet.	Thales aliquando non ſtudet.

VIII. *Exponibilium.*

Tantùm Petrus ambulat.	Tantùm Petrus non ambulat.
Non tantùm Petrus non ambulat.	Non tantùm Petrus ambulat.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nalium.

Nullum animal, ſi currit, movetur.

Aliquod animal, ſi currit, non movetur.

lium.

Nullus ignis urit, quia habet calorem.

Aliquis ignis non urit, quia habet calorem.

alium.

Impoſſibile eſt, animal currere.

Poſſibile eſt animal non currere.

mporanearum.

Thales nunquam ſtudet.

Thales aliquando non ſtudet.

nibilium.

Tantùm Petrus non ambulat.

Non tantùm Petrus ambulat.

§. IV.

An Propositionum contradictoriarum de futuro contingente una sit determinatè vera, & altera determinatè falsa?

521. *Nota.* *Futurum* illud dicitur, quod nunc non est, erit autem posteà. Est terminus concretus, qui pro subjecto, vel recto dicit rem, quæ futura est; pro forma autem sive obliquo dicit futuritionem, nempe formalem, quæ est non existentia rei pro nunc, & existentia ejus pro tunc, i. e. pro tempore sequenti. Dixi *Formalem*; nam alia futuritio est causalis, quæ est ipsa causa productura effectum. Ex his advertes, quod futuritio duo dicat tempora, alterum præsens, in quo dicit negationem rei, alterum secuturum, in quo existentiam rei asserit. Observandum prætereà, quòd futurum aliud sit *contingens*, quod ita futurum est, ut possit non esse futurum, ùt *Pluvia*, vel *serenitas*. Aliud est *necessarium*, quod ita futurum est, ùt non possit non esse futurum; sic futurus est *solis ortus*. Aliud est *Absolutum*, quod futurum est independenter ab aliqua conditione, ùt *Sol oriturus*. Aliud est *Conditionatum*, quod dependenter ab aliqua conditione fiet, ùt *conversio peccatoris*, *si concioni devotè intereſſet*. Aliud est futurum *determinatum*, quod certò, & determinatè fiet, præscindendo, an fiat ex necessitate causæ, an ex libera causæ determinatione. Sic *determinatè futurum est peccatum Anti-Christi*, *etsi liberè*; quia se liberè determinabit ad peccatum. Denique benè notandum est, necessitatem aliam

esse antecedentem, aliam consequentem. *Antecedens*, sive *absoluta* est, quæ oritur à causa ex natura ad certum effectum determinata; sic *ignis applicatus ad paleam, eam necessariò comburit. Consequens*, sive *conditionata* est, quæ oritur ex hypothesi, vel suppositione liberæ determinationis. *Sic Petrus, si se liberè ad peccandum determinâvit, necessariò peccat consequenter*; aliàs peccaret, & non peccaret. His positis, & suppositis *status quæstionis* est hic: An ex propositionibus contradictoriis singularibus de futuro contingente (quales sunt v. g. *Petrus peccabit, Petrus non peccabit*) una sit hodie determinatè vera, & altera determinatè falsa quoad se, idque præscindendo à decreto Dei? h. e. Etiamsi non cogitemus, Deum de facto jam statuisse, peccatum futurum permittere, aut non permittere, modò decretum illud divinum pro tempore per copulam importato concipiatur ponendum.

522. *Dico.* Una talium propositionum est hodie determinate vera, altera falsa, etiam præscindendo à Decreto Dei. Ita Conimbricenses, Suaretz Gran. Amicus, & plurimi alii, tum Theologi, tum Philosophi. *Ratio est:* Quia propositionum contradicentium de futuro contingente, una est hodie objecto suo determinatè conformis, & altera determinatè difformis; ergo etiam una est hodie determinatè vera, & altera determinatè falsa; nam determinata conformitas est determinata veritas, & determinata difformitas est determinata falsitas.

Prob.

Prob. ant. Illa propositio est hodie determinatè conformis objecto, cujus objectum ita existet determinatè, sicut propositio enuntiat; & illa propositio est hodie determinatè falsa; cujus objectum determinatè non existet, ùt propositio enuntiat; sed unius propositionis objectum ita existet determinatè, ùt ipsa enuntiat, & alterius objectum determinatè non existet, ùt altera enuntiat; ergo. *Minor constat exinde*; quia idem objectum nequit simul esse futurum, & non esse futurum; sicut idem nequit simul esse, & non esse; fuisse, & non fuisse. Dixi: *Etiam præscidendo à decreto Dei.* Nam, etsi Petrus v. g. pro tempore futuro reipsa peccaturus sit, dependenter à decreto Dei permissivo, hoc tamen decretum non necessariò intelligitur pro illo tempore, in quo sit, & vera est propositio affirmans, Petrum peccaturum; & sicut propositio de præsenti aut præterito vera aut falsa est, præscindendo à decreto Dei, ita & propositio de futuro. Adde, quod verificativum formale propositionis de futuro non sit *futuritio causalis* objecti, quæ decretum Dei includit; sed *Formalis futuritio*, quæ à Decreto Dei præscindit, & formaliter non est aliud, quàm non existentia rei pro nunc, & existentia rei pro tunc, sive pro tempore futuro, quo haberetur formaliter, licèt res pro nunc non existens, existeret posteà independenter ab omni decreto Dei.

523. *Obj.* 1. Objectum ejusmodi propositionum non est determinatè futurum, vel non futu-

futurum ; ergo nec una illarum est determinatè vera, & altera falsa. *Prop. ant.* Objectum est adhuc indifferens ad futurum, vel non futurum ; ergo. R. D. *ult. Ant.* est indifferens pro tempore præsenti, quo profertur propositio, & ante determinationem causæ liberæ. C. Pro tempore futuro, pro quo profertur, & suppositа determinatione causæ liberæ. N. Ut propositio sit determinatè vera, sufficit, si objectum sit determinatum pro tempore per copulam importato. *Si ais.* Objectum nondum habet, sui determinativum ; ergo necdum est determinatè futurum. R. D. *ant.* Nondum habet sui determinativum nunc pro nunc. C. nunc pro tunc, sive pro illo tempore, pro quo futurum esse enuntiatur. N. Determinativum duplex est ; aliud dicitur *causale*, & *extrinsecum* ; hoc est decretum Dei, aliæque causæ extrinsecæ. Aliud est *formale*, & *intrinsecum* ; hoc est ipsa sic se habentia rei. Neutrum horum nunc existit, existet autem postea, pro tempore, pro quo objectum futurum enuntiatur. *Si reponas*, Una harum propositionum nunc nequit esse conformis objecto, quia hoc nondum est ; ergo. R. D. *ant.* Nequit nunc esse conformis pro nunc. C. pro tunc. N.

524. *Obj.* 2. Ut paries sit albus, debet hodie dari id, per quod sit albus ; ergo etiam ut propositio sit vera, debet hodie dari id, per quod est vera. R. 1. Sequeretur, nec propositionem de præterito hodie esse veram. R. 2. N. *Cons. Disp. est :* Quia paries albus est per albedi-

bedinem sibi physicè unitam; ut autem unum alteri physicè uniatur, physicè existere debet. Econtrà actus verus est per conformitatem cum objecto existente pro illo tempore, pro quo propositio enuntiat; cùm igitur enuntiet pro futuro, illud pro futuro & non pro præsenti existere debet. *Inst.* 1. Quod actu nihil est, nequit actu verificare propositionem; sed objectum futurum actu nihil est; ergo. R. 1. Ergo nec datur propositio vera de præterito. R. 2. D. *maj.* nequit verificare propositionem de præsenti. C. De futuro vel præterito, *subd.* quod nihil est & physicè, & objectivè. C. quod nihil est physicè, est tamen aliquid objectivè, & in repræsentatione. N. *Inst.* 2. Hæc propositio: *Petrus cras peccabit*, potest fieri falsa, quia Petrus potest non peccare; ergo nequit esse determinatè vera. R. D. *ant.* Potest fieri falsa, in sensu composito liberæ determinationis Petri. N. in sensu diviso. C. *Inst.* 3. Ergo Petrus necessariò peccabit. R. D. *necessitate antecedente* liberam ejus determinationem. N. *necessitate consequente* eam. C. *Inst.* 4. Ex supposito, quòd hæc propositio: *Petrus peccabit*, jam sit determinatè vera; ergo jam ab æterno fuit determinatè vera, & Deus ab æterno Petrum peccaturum prævidit. R. C. Nam supposito, quod Petrus crastinâ die peccet, futuritio formalis hujus peccati *logicè*, *denominativè*, & *inesse veri* jam ab æterno extitit, etsi non *in esse rei*, & *physicè*. *Inst.* 5. Priùs est Deum prævidere, quàm Petrum peccare. R. D. Priùs est tem-

tempore, & *durationè*. C. Prius est *logicè*, & *causalitate*. N. Futuritio peccati est *logicè* & *objectivè* prior præscientiâ Dei; Nam ideò Deus præscit peccatum futurum, quia illud in se formaliter futurum est; non verò ideo futurum est, quia Deus præscit. *Inst.* 6. Saltem præscientia Dei infert necessitatem peccati; quia est infallibilis, & non potest impediri. R. D. *assert.* infert necessitatem antecedentem. N. Consequentem. C. Ad *causalem* R. Præscientia Dei est quidem infallibilis; propterea tamen non infert necessitatem antecedentem, quia supponit liberam Petri determinationem ad peccatum, & quamvis Petrus, si Deus eum peccaturum præviderit, facere non possit, ut non videat, potuisset tamen facere, ut non vidisset, si nimirùm non liberè se ad peccatum determinâsset. Elegantissimè in hanc rem Venerabilis Beda *lib. qq. q.* 13. *Quid ergo*, inquit, *coëgit nos Deus, ut mali sibi videremur ab æterno? absit: Nos coëgimus eum, ut nos malos videret.* Ex his tamen non sequitur, Præscientiam Dei pendere â nobis *dependentiâ causalitatis physicæ*; sed pendet tantùm à nobis *dependentiâ connexionis*, quæ oritur ex infinita Dei fœcunditate, & perfectione, quam nihil futuri latere potest.

525. *Obj.* 3. Quidquid futurum est, per decretum Dei futurum est, quo decernat vel ponere effectum, vel permittere; ergo præscindendo à decreto Dei res futura intelligi non potest. R. D. *ant.* Futurum est per decretum Dei vel *præsens*, vel *futurum*. C. necessariò per

decre-

decretum *præsens*. N. Etiamsi hodiè nondum sit, aut nondum concipiatur decretum de permittendo peccato crastino, illud tamen cras fore supponitur, quod sufficit, ut peccatum futurum dicatur. Poteris etiam sic distinguere; quidquid est futurum, est futurum *causaliter* per decretum Dei C. est futurum formaliter per illud. N. *Inst.* 1. Determinatè futurum, est determinatum ad esse futuri, sed ad hoc requiritur decretum præsens; ergo. R. D. *Maj.* est determinatum *physicè*, & *in esse rei*. N. est determinatum *objectivè*, & *in esse veri*. C. h. e. Peccatum futurum nondum est physicè determinatum, per decretum actu existens, potest tamen nunc intelligi pro suo tempore determinatum esse. *Inst.* 2. & *quæris*: An res, quòd futuræ sint determinatè, hoc habeant à se, vel ab aliqua causa? R. quòd futuræ sint *causaliter*, hoc habent à causa; quòd autem futuræ sint *formaliter*, hoc habent á se ipsis; Nam licèt futuritio formalis sit ab alio in genere causæ efficientis, non tamen est ab alio in genere causæ formalis.

526. *Reflexio I.* Futuritio formalis rei *causaliter*, & *efficienter* habetur à decreto Dei, libertate creatâ aliisque concausis præsuppositis; *Formaliter* verò habetur à negatione existentiæ nunc, & existentiâ rei posteà. II. Agens liberum est quidem indifferens adhunc vel illum effectum; propterea tamen non indiget influxu, vel qualitate prædeterminante physicâ, qualem adstruunt Thomistæ; sed quia est agens indif-

indifferens *activè*, non *passivè*, hinc se ipsum determinare potest, & se determinando simul determinat Deum ad præstandum suum concursum, quem Deus utpote causa universalis præstare tenetur, supposito decreto concurrendi cum causis secundis. III. Ut intelligatur, prævisionem divinam circa peccatum futurum non obstare libertati peccantis, concipienda sunt plura instantia rationis. In 1. concipitur libertas Petri v. g. indifferens ad peccandum, vel non peccandum. In 2. est libera determinatio Petri ad peccandum; in hoc signo propositio jam est determinatè vera. In 3. est visio Dei, quâ peccatum hoc videt: Unde colliges, visionem hanc esse solùm speculativam, quia non facit, vel determinat peccatum, sed illud præsupponit.

ARTICULUS IV.

De Conversione, & Æquipollentia.

527. Dico 1. Comptonus *Disp. 6. Sect. 4.* cum communi conversionem sic definit: *Est unius propositionis ad alteram per extremorum transpositionem necessaria consequentia.* Sensum hujus definitionis uberiùs explicatum habes *in Prolegomenis n. 26.* Quotuplex autem sit conversio, & quæ ejus regulæ, dictum est *ibidem n. 24. & 25.* Præter ea autem, quæ locis citatis de conversione dixi, observandum adhuc est I. Quod leges conversionis non in simplicibus solùm propositionibus teneant, sed etiam in compositis, i. e. in *copulativis*, *disjunctivè*

ctivis, *conditionalibus*; Item in *exponibilibus*, quæ tamen antè in *exponentes* ſuas reſolvendæ ſunt, quàm convertantur. Item de modalibus. II. *Modales* hoc ſpeciale habent, quòd convertantur ſolùm ex parte *Dicti*, ita, ut *Modus* invariatus maneat. v. g. Hæc propoſitio: *Hominem eſſe animal eſt neceſſe*, quæ ratione modi univerſalis affirmativi univerſalis affirmativa eſt, convertitur per accidens ſic: *Aliquod animal eſſe hominem eſt neceſſe.* Vel per contrapoſitionem ſic: *Non animal eſſe non hominem eſt neceſſe.* III. Quædam modales juxta regulas converſionum converti non poſſunt: Tales ſunt illæ, quæ in *modo impoſſibili* non habent mutuam extremorum repugnantiam, aut quæ in *modo neceſſario*, neceſſariam connexionem mutuam non habent, vel quæ in *modo contingenti* non habent mutuam contingentiam. *Ratio eſt:* quia regulæ converſionis fundantur in *connexione*, aut *non connexione mutua* extremorum; cùm ergo alterutra in præfatis propoſitionibus deſideretur, juxta regulas converſionis converti nequeunt. E. G. Propoſitio in *modo impoſſibili* eſt: *Omne animal eſſe hominem eſt impoſſibile.* Hæc, quia ratione *modi* eſt univerſalis negativa, convertenda eſſet *ſimpliciter*, vel *per accidens*; ſed quocunque modo eam convertere nitaris, malè concludes, ex defectu mutuæ repugnantiæ. Propoſitio *in modo neceſſario* eſt: *Omnem Philoſophum eſſe hominem eſt neceſſe*; hæc, utpote univerſalis affirmativa ratione *modi*, deberet converti poſſe *per accidens*, vel *per contrapoſitionem*;

sed neutro modo benè convertitur, ex defectu mutuæ connexionis necessariæ. Propositio in *modo contingenti* est: *Aliquem hominem esse Juris Peritum est contingens*, Hæc, licèt particularis affirmativa sit, *simpliciter* tamen converti nequit, ob defectum mutuæ contingentiæ.

528. *Dico* 2. Æquipollentia, proùt hìc sumitur, *Est duarum propositionum priùs oppositarum æquivalentia, proveniens ex addita particula negativa, non.* Cùm enim hæc particula malignantis sit naturæ, destruit, & mutat omne id, quod afficit, & post se invenit, facítque ex affirmativa propositione negativam, particularem ex universali & vicissim. Consistit autem æquipollentiæ artificium in tribus regulis. *Prima* est: Si alteri contradictoriarum præfigatur ab initio particula negans, *non*, contradictoriæ erunt æquipollentes. V.g. Contradictoriæ sunt: *Omnis justus salvatur*, *Aliquis justus non salvatur*; huic secundæ propositioni præpone particulam, *non*, & dic: *Non aliquis justus non salvatur*, & sic erit æquipollens priori. *Secunda* est: Contrariæ propositiones, & subcontrariæ fiunt æquipollentes, si alterutrius subjecto particulam non postponas. E. G. Contrariæ sunt: *Nullus homo est doctus*, *Omnis homo est doctus*; si propositionem ultimam sic ponas: *Omnis homo non est doctus*, erit æquipollens priori. *Tertia* est: Subalternæ propositiones æquipollentes fiunt, si unius propositionis subjecto præ- & post-ponas particulam *non*. E. g. subalternæ sunt: *Omnis homo est justus*, *quidam*

dam homo est justus. Si propositionem ultimam sic ponas: *Non quidam homo non est justus*, erit æquipollens primæ. Enumeratæ modò regulæ plurimùm inserviunt ad declarandas propositiones dubias, & obscuras; sed in subalternis negativis, ùt rectè notat Haunoldus, æquipollentia plùs perplexitatis, quàm utilitatis habet, ob negationem triplicem, quæ ponenda est. Assignatas tres regulas Summulistæ hoc versu complectuntur:

Præ contradic, post contra, præ, postque subalter.

Ut autem scias, quæ signa sibi mutuò æquivaleant, memoriæ gratiâ sequentes versus excogitârunt Summulistæ, in quibus illa, quæ inter duo puncta continentur, æquipollentia sunt.

Non omnis, quidam non: Omnis non, quasi nullus:
Non nullus, quidam: sed nullus non, valet omnis:
Non aliquis, nullus: Non quidam non, valet omnis:
Non alter, neuter: Non alter non, quoque uterque.
vel *Non alter, neuter: neuter non, dicit uterque.*

Regulæ hactenùs assignatæ observandæ quoque sunt in propositionibus æquipollentibus compositis, exponibilibus & modalibus. Singularum exempla subjungo. Contradictoriæ sunt: *Et Petrus scribit, & Paulus ambulat. Vel Petrus non scribit, vel Paulus non ambulat.* Si propositioni copulativæ præfigas particulam *non*, dicásque: *Non & Petrus scribit, & Paulus ambulat*; erit æquipollens disjunctivæ. Contrariæ sunt: *Et Petrus, & Paulus studet; Nec Petrus, nec Paulus studet*; Si primæ propositionis

subjecto particulam *non* postponas sic: *Et Petrus, & Paulus non studet*, erit æquipollens secundæ. Subalternæ sunt: *Et Petrus, & Paulus studet; vel Petrus, vel Paulus studet.* Si dicas: *Non vel Petrus, vel Paulus non studet*; hæc posterior propositio æquivalebit priori copulativæ. In modalibus tamen specialiter notandum venit, quòd particula negans, *non*, censeatur præponi, dum additur ipsi *Modo*; si verò præfigitur *dicto*, censetur postponi; si denique & *Modo*, & *Dicto* præfigatur, censetur & præ- & postponi. V. g. Contradictoriæ sunt: *Petrum currere est necesse*; *Petrum non currere est possibile.* Si dicas: *Petrum currere non est necesse*, tunc prima secundæ æquivalebit. Modales contrariæ sunt: *Petrum currere est necesse*; *Petrum currere est impossibile.* Si dicas: *Petrum non currere est necesse*, tunc prima erit æquipollens secundæ. Subalternæ sunt. *Petrum currere est necesse*; *Petrum currere est possibile.* Dic: *Petrum non currere, non est necesse*; & prima secundæ æquipollebit. Plura de his, qui desiderat, poterit consulere P. Haunoldum, & P. Arriagam.

DISPUTATIO III.

De Judicio, ùt est secunda mentis operatio.

PRæter ea, quæ Judicio interno, ex dictis de propositionibus applicari possunt, restant adhuc tria de illo enucleatiùs discutienda

tienda. *Primum* est; in quo formaliter judicium internum consistat? *Alterum* est; An sit actus voluntatis, ùt quidam novatores contendunt, an verò actus intellectûs? *Tertium* est; quinam sint fontes præcipui, ex quibus errores in judicia nostra profluunt, & quomodò obstruendi?

ARTICULUS I.

De Judicii interni essentia?

529. *Nota.* Judicium internum communiter definitur: *Actus internus immediatè enuntiativus de aliquo.* Fit autem judicium hoc modo: Primò proponitur per unam cognitionem v. g. *Homo*; deinde per cognitionem aliam, sive eandem proponitur, v. g. *Animal*; tum cognoscitur utriusque objecti convenientia, quæ ex operationibus, & effectibus similibus desumitur; vel proponitur identitas objectiva hominem inter, & animal. Denique elicitur actus tertius, qui *Hominem*, prout uni apprehensioni subsstat, & *Animal*, prout subsstat alteri, inter se intentionaliter unit; quæ unio intentionalis est judicium affirmativum, & dicitur *Annutus.* Si verò ejusmodi actus extrema à se dividat intentionaliter, & alterum ab altero removeat, erit judicium negativum, & dicitur *Abnutus.* His ita explicatis quæritur; An judicium formaliter componatur ex pluribus apprehensionibus? an verò sit actus indivisibilis, h. e. An sit simplex annutus, vel abnutus, consistens in sola copula, prout hæc affirmat, vel

negat connexionem prædicati cum ſubjecto; vel, ùt alii loquuntur, an ſit ſimplex qualitas?

530. *Dico.* Judicium eſt ſimplex qualitas, ſive formaliter conſiſtit in ſimplici annutu, vel abnutu. *Ratio eſt:* Quia judicium eſſentialiter eſt affirmatio, aut negatio unius de alio, quæ, conſiſtens in ſpeciali tendendi modo in objectum, ex apprehenſionibus componi nequit. Apprehenſiones enim ſimpliciter intuentur objectum absque affirmatione, aut negatione; ergo, quantumcunque multiplicentur, judicium eſſe nequeunt. *Confir.* 1. Sola copula importatur in recto in definitione judicii; prædicatum autem & ſubjectum importantur in obliquo, exprimuntur enim per verba: *unius de aliquo.* ergo. *Confir.* 2. Judicium affirmans unit prædicatum cum ſubjecto, ergo formaliter non eſt ipſum prædicatum, & ſubjectum.

531. *Obj.* 1. Judicium eſt compoſitio, ſive unio prædicati cum ſubjecto; ergo non eſt quid ſimplex. R. D. *ant.* Eſt compoſitio *activa.* C. *paſſiva.* N. i. e. Judicium non eſt, id, quod unitur, ſed eſt copula, quæ unit. *Inſt.* 1. Teſte Ariſtotele, ubi datur veritas, vel falſitas, ibi datur compoſitio conceptuum; ſed in judicio datur veritas, vel falſitas; ergo. R. D. *maj.* Datur compoſitio conceptuum objectivorum, i. e. rerum repræſentatarum. C. Conceptuum formalium. N. *Inſt.* 2. Ubi eſt compoſitio activa, ibi etiam eſt paſſiva; ergo. R. D. *ant.* Reſpectu diverſorum. C. reſpectu ejusdem N. *Inſt.* 3. Unio realis inter corpus, & animam, eſt ipſum corpus, & anima reſpectivè

ſpectivè ſumpta, ùt dicetur in phyſica; ergo Unio intentionalis, ſive judicium, erit apprehenſio prædicati & ſubjecti, ceu extremorum reſpectivè ſumptorum. R. N. *Conſ. Diſp. eſt:* Quia habito corpore, & anima reſpectivè ſumptis, ſive cum omnibus requiſitis habetur unio, & compoſitum; Econtrà habito prædicato, & ſubjecto apprehenſis tantùm, etiam ùt reſpectiva ſunt, nondum habetur affirmatio, vel negatio. *Inſt.* 4. Si judicium humanum ſit quid ſimplex, ergo non differt ab Angelico, & divino; Conſequens eſt falſum; ergo. R. N. ſequelam. Differt adhuc ſatis à divino; hoc enim identificatum eſt ipſi Deo, nec præſupponit apprehenſiones prævias, & inadæquatas; ab angelico autem differt, quòd illud non dependeat à ſenſibus, & rarò apprehenſiones diſtinctas requirat; ſicut judicium humanum, ob intellectûs noſtri imperfectionem.

532. *Obj.* 2. Judicium reſolvitur in ſubjectum, & prædicatum; ergo ex iis componitur. R. *D. ant.* Judicium vocale, & objectivum. C. Mentale, & formale. *Subd.* Reſolvitur in ſubjectum, & prædicatum mentale *formaliter*, *entitativè*, & tanquam in partes conſtituentes N. *Virtualiter*, *æquivalenter*, & tanquam in præſuppoſita, & connotata. C. *Si ais.* Subjectum, & prædicatum ingrediuntur definitionem judicii; ergo ſunt partes ejus. R. D. *ant.* ingrediuntur ùt partes. N. ùt connotata. C. *Si reponas.* Subjectum, & prædicatum ſunt materia judicii; ergo ſunt partes ejus formales. R. D. *ant.* Sunt materia *ex*

qua judicii. N. *circa quam* scilicet judicium versatur. C. *Si urgeas.* Judicium vocale constat tribus vocibus; ergo & mentale tribus apprehensionibus. R. T. *ant.* N. *Conf. Disp.* est: Quia judicium vocale, saltem ùt est propositio, habitis talibus vocibus habetur, cùm sit oratio, quæ est quantitas discreta. Econtrà habitis etiam mille apprehensionibus, nondum habetur *annutus*, vel *abnutus*, cùm apprehensiones mutare nequeant essentialem suum tendendi modum. Dixi, *Transeat:* quia etiam judicium vocale, si formaliter spectetur, est simplex annutus, vel abnutus vocalis, sicut judicium mentale formaliter est annutus internus; id quod non pauci tuentur.

533. *Obj.* 3. Si judicium est simplex actus, ergo idem actus simplex posset repræsentare duo dissimilia; Sed hoc non; ergo. R. D. *sequelam.* Ergo idem actus simplex virtualiter tamen multiplex posset &c. C. Idem actus & realiter, & virtualiter simplex. N. Nimirùm judicium formaliter affirmat præcisè identitatem prædicati cum subjecto, vel eam negat; sed hoc faciendo repræsentat *æquivalenter*, sive ùt alii dicunt, *indirectè* prædicatum, & subjectum. *Inst.* 1. Eadem imago picta, v. g. *hominis albi*, nequit repræsentare simul *hominem nigrum*; ergo nec idem actus simplex potest repræsentare duo dissimilia. R. N. *Conf. Disp. est:* Quia imago picta omni modo, ut supponitur simplex est; igitur cùm ad repræsentationem assignati objecti duplicis requirantur colores contrarii, qui

se

se ab eadem parte subjecti excludunt, hinc absque dubio in ejusmodi repræsentatione est repugnantia. Secùs est in judicio æquivalenter saltem aut indirectè diversa repræsentante. Adde, quòd imago materialis, & picta sit imago mortua; Econtrà judicium est imago viva, cui absque dubio plùs tribuendum est. *Inst.* 2. Judicium habet multiplex objectum, ergo etiam est multiplex actus; quia objectum specificat actum. R. D. *ant.* Habet multiplex objectum repræsentationis. C. Verificationis N. Objectum verificans judicium est identitas, vel distinctio prædicatum inter, & subjectum, quæ est indivisibilis. Deinde si addita causalis aliquid solidè probaret, ergo si objectum est divinum, etiam actus deberet esse entitativè divinus, &c. *Inst.* 3. Judicium est actus vitalis; sed actus vitalis componitur ex actione, termino, & receptione; ergo. R. D. *min.* Actus vitalis ùt vitalis est componitur &c. T. qui talis est. N. Dixi *Transeat*: An enim actus intentionalis vitalis physicè consistat in actione, & termino realiter distinctis in Animastica examinandum venit. Cæterùm judicium hìc non sumitur ùt vitalis actus est; sed ùt est annutus, vel abnutus, de quo quæritur: An ex apprehensionibus componatur? *Inst.* 4. Discursus componitur ex tribus judiciis; ergo etiam jndicium ex tribus apprehensionibus. R. D. *ant.* Discursus, ùt tertia mentis operatio est, componitur &c. N. Ut artefactum logicum. C. eodem modo distinguendum consequens. Proinde concedi potest, judicium constare apprehensionibus, & annutu,

vel abnutu, si illud ùt artefactum logicum, sive pro actibus logicis quomodocunque concurrentibus sumatur: Ipsæ tamen apprehensiones non sunt partes ipsius annutûs; sed sunt vel quasi causæ, vel objectum quo, quia iis tanquam terminis prærequisitis intellectus de eorum objectis fert sententiam. *Inst.* 5. Audiens successivè proferri hanc propositionem: *Audaces fortuna juvat*, format tres apprehensiones subjecti scilicet, prædicati, & copulæ; ergo judicium componitur ex pluribus. R. N. *Cons.* Vel enim audiens sistit in trina hac apprehensione, & tunc non formabit judicium. Vel affirmat, aut negat allatam propositionem, & tunc in illo annutu, vel abnutu consistit judicium. *Inst.* 6. Essentia hominis non consistit in solo corpore, nec in sola anima, nec in sola unione; ergo nec essentia judicii consistit in sola copula. R. N. *Cons. Disp. est:* Quia homo est compositum physicum constans ex materia, & forma; ergo hæc tanquam partes includit. Econtrà judicium est tantùm annutus, vel abnutus; ergo non includit subjectum, & prædicatum, cùm hæc non sint ipse annutus, vel abnutus; sed sint ea, quæ per annutum uniuntur, & per abnutum separantur.

ARTICULUS II.

Inquiritur, utrùm Judicium sit actus Intellectûs, an voluntatis?

534. *Nota.* Communis est sapientissimorum virorum doctrina, Judicium ad intellectum, non ad voluntatem spectare; imò ex

Neo-

Neotericis non pauci eandem cum antiquioribus hac in re sententiam tenent. Contra hos Neotericorum quidam in arenam descendunt; non omnes tamen eundem pugnandi modum usurpant. Alii enim judicium præcisè operationem mentis appellant, utrùm autem voluntatis, utrùm intellectûs sit actus, non clarè decidunt. Alii verò judicium non intellectûs actum, sed voluntatis esse apertè tuentur, ùt legere est apud Purchotium *p.* 2. *Metaph. Sect.* 3. *cap.* 5. *Prop.* 1. & *p.* 2. *Logicæ Sect.* 1. *cap.* 1. Ratio horum est; quia judicium est posterius cognitione; ex quo porrò sic inferunt: ergo judicium non est cognitio; ergo nec pertinet ad intellectum, qui est potentia cognoscitiva; sed ad voluntatem, quæ per judicium aliquid approbat, vel improbat. Contra hos.

535. *Dico.* Judicium non est actus voluntatis, sed intellectûs. *Ratio est* 1. Actus voluntatis debet esse prosecutivus boni, & aversativus mali; sed judicium non est prosecutivum boni, & aversativum mali; ergo non est actus voluntatis. *Major* desumpta est ex Purchotio, qui *p.* 2. *Metaph. Sect.* 3. *cap.* 5. voluntatem ita definit: *Est facultas, quæ bonum generatim ab intellectu exhibitum prosequitur, & malum aversatur. Minor ita probatur*: Hæc sunt judicia: *Peccatum est fugiendum; Virtus est amplectenda*; Sed hæc non appetunt seu prosequuntur bonum; nec aversantur, aut fugiunt malum; ergo. *Minor inde constat*, quia stantibus etiam his judiciis, non pauci nil magìs aversantur & fugiunt, quàm virtutem, & econtrà nil magìs appetunt, quàm pecca-

peccatum. Accedit, quòd si quis præfata judicia formando poneret actus voluntatis, ergo haberet actus virtutis moralis meritorios; cùm alter esset actus voluntatis liber, & prosecutivus boni; alter verò esset actus liber aversativus mali; quæ tamen falsissima esse exinde liquet; quòd plures inveterati peccatores ejusmodi judicia formantes ex malitia potiùs, quàm ex fragilitate labantur.

Ratio est 2. Perceptio veri, ùt tenet Parchotius, spectat ad intellectum; ergo ad eundem quoque pertinet affirmatio veri, & negatio falsi. Sicut enim ipsum bonum est objectum voluntatis, ita ipsum verum, & non tantùm modus versandi circa verum, est objectum intellectûs. Ex quo prætereà sequitur, quòd affirmatio veri non sit prosecutio boni, nec negatio falsi sit fuga mali; aliàs affirmatio esset volitio, & negatio esset nolitio; quod tamen falsum esse ex paulò ante dictis satis probari putem. Plura ad confirmationem hujus theseos desumes ex sequentibus, in quibus Adversariorum objectiones solvemus.

536. *Obj.* Judicium est posterius perceptione ideæ, sive cognitione; ergo non est cognitio, & consequenter non est actus intellectûs. R. D. *ant.* Est posterius omni cognitione. N. aliquâ. C. Utique judicium prævias habet apprehensiones, sive perceptiones objectorum; ex quo autem non sequitur, quòd ipsum judicium non sit cognitio à nuda perceptione distincta. *Inst.* 1. Judicium affirmativum est approbatio, negativum est improbatio, sed hæc pertinent ad voluntatem; ergo. R. 1. N. *min.*

min. Ad voluntatem enim non tam *approbatio*, & *improbatio*, quàm *appetitus*, seu *prosecutio boni*, & *fuga* sive *aversio à malo* spectat. R. 2. D. *maj.* Judicium est approbatio sub ratione veri, & improbatio sub ratione falsi. C. sub ratione boni, vel mali. N. Judicium est assensus vero, vel dissensus falso præstitutus sub ratione veri, vel falsi; quòd certè ad intellectum spectat, sicut juxta ipsos Adversarios perceptio veri ad eundem pertinet. *Inst.* 2. Voluntas imperat assensum vel dissensum; ergo judicium est actus voluntatis. R. N. *Cons.* Sed sic deberes inferre: ergo imperium assensûs, vel judicii est actus voluntatis, non autem ipsum judicium. Hoc enim est quidem actus imperatus à voluntate, sed elicitus ab intellectu: Nam voluntas non inflectit se ipsam in partem affirmantem, aut negantem, sed inflectit intellectum; sive mens *ùt volens* inflectit se ipsam *ùt intelligentem* ad affirmationem, vel negationem propter convenientiam, vel disconvenientiam Objectorum, seu idearum. *Inst.* 3. Teste S. *Augustino lib. de Prædestinatione Sanct.* Fides, quæ perceptionem simul, & judicium complectitur, est in voluntate; ergo. R. 1. Ergo etiam perceptio veri erit actus voluntatis, quod tamen est contra Adversarios. R. 2. D. *Ant.* Fides est in voluntate quoad imperium, & piam affectionem, à qua fides divina libera denominatur. C. Fides est in voluntate, i. e. actus elicitus à voluntate. N. Responsio hæc desumpta est ex ipso S. Aug. qui *lib.* 1. *de Prædest. Ss. cap.* 2. hæc habet: *Ipsum credere, nihil aliud est, quàm cum assensione cogi-*

cogitare ... cogitat omnis, qui credit, & cogitando credit. Subsumo. Sed cogitatio est actus intellectûs; quandoquidem voluntas præter volitiones & nolitiones alios actus non habet; ergo. Responsionem supra datam confirmat *D. Thomas 2. 2. q. 2. a. 1. ad 3.* his verbis: *Intellectus credentis determinatur ad unum non per rationem, sed per voluntatem; & ideò assensus hìc accipitur pro actu intellectûs, secundùm quod à voluntate determinatur ad unum.* & *q. 4. a. 1. in* ⊙. sic ait: *Fides est habitus mentis ... faciens intellectum assentire non apparentibus; per hoc autem fides ab omnibus aliis distinguitur, quòd ad intellectum pertinet.* Ecce quàm manifestè & sanctissimi & doctissimi viri nobiscum sentiant!

ARTICULUS III.

De Fontibus, ex quibus errores in judicia nostra profluunt, & de remediis, quibus obstruendi.

537. *Dico.* Quatuor sunt causæ præcipuæ, quæ judicia nostra erronea reddunt. *Prima est:* Defectuosa rerum perceptio; si nimirùm aut obscuris, aut confusis, aut falsis omninò rerum ideis laboremus. Cùm enim judicium ideas, & rerum perceptiones sequatur, hinc ex ideis malè formatis judicium verum justúmque nequit dimanare. Exemplis res fiet clarior. Mens nostra sæpè sensibus exterioribus decepta in se plura apprehendit ùt unum, & vice versâ unum, ùt plura: has apprehensiones si intellectus in judicando sequatur, quid nî à veritate aberret? Item subinde percipit unum pro altero, v. g. gem-

gemmam pro vitro; vel subinde apprehendit prædicatum quoddam, quasi solum soli rei conveniret, & ad has ideas format judicium, profectò non aliud, nisi falsum, & erroneum, sicut & ipsæ ideæ falsæ sunt, & erroneæ. Hunc errorum fontem ut obstruas, necesse est, ut antè sedulâ investigatione res distinctè ac clarè percipias, quàm ad judicandum progrediaris. Si autem adhibitâ etiam industriâ, & deliberatione ideas rei claras, & distinctas habere non valeas, talem ponas assensum, qui limites probabilitatis non excedat.

Secunda est: Præjudicium. Hoc nil aliud est, quàm *anticipatum judicium ex sensuum non benè applicatorum, aut malè dispositorum perceptionibus ortum, absque sufficienti examine prævio de rectitudine perceptionum, aut falsitate.* Præjudicia hæc mentem nostram sæpè eousque abripiunt, ut nullis rationibus etiam gravissimis, & evidentibus ab errore semel concepto abduci se patiatur; ùt videre est in iis, qui in hæresi enutriuntur, aut doctrinæ in prima ætate haustæ pertinaciùs adhærent. Huic malo ut obsistas, præjudicia ejusmodi deponas necesse est, assuescásque deinceps de nulla re ferre judicium, nisi maturo priùs examine eam ponderaveris. Pulchrè in hanc rem Gracianus in *Oraculo prudentiæ*, quod sub Tit. *L'Homme de Cour*, notum est, inquit: *Procedat sapiens consideratus multùm . . . quatenùs ex diffidentiâ suî sciat judicare de rectitudine opinionis alienæ. Sistat se quandoque ex altera parte, & examinet motiva adversariorum; inde fiet, ut non condemnetur ab aliis, nec justificetur à se ipso, more cæco.*

Ter-

Tertia est: Præcipitatio mentis. Frequenter hæc judicia nostra erroris periculo exponit, quando nimirùm ex levi, vel ex nullius momenti conjectura de alterius vita, fama, & moribus judicamus; vel quando in iis, quæ ad disciplinas naturales spectant, conjecturis potiùs, & verisimitudinibus, quàm solidis rationibus ad judicandum movemur. Huic vitio sequens Antidotum præscribit Verinus canens:

Nil temerè incipias, sed primùm consule; cæpti
Nam multos serò pœnituisse liquet.

Præcipitationem mentis etiam plurimùm juvant vehementes animi passiones; has proinde frænare debet, quisquis in judicando à vero deflectere non cupit. Nam *Quisquis amat ranam, ranam putat esse Dianam.* Et ùt Cato inquit: *Impedit ira animum, possit ne cernere verum.*

Quarta est: Vocum ambiguitas, sive æquivocatio; quæ quot vitia in judicia nostra invehat, vix ullum latere potest. Sic hoc Enthymemate: *Mundus non mundat, sed mundos inquinat: ergo qui manet in mundo, quomodo mundus erit?* induci quis facilè posset, ad judicandum, omnes homines in mundo, etiam illos qui secundùm leges mundi non vivunt, absque peccato vivere non posse. Ad evitandum in judiciis vitium ex æquivocatione proveniens, multùm conducet, ad omnes circumstantias benè attendere, antecedentia & consequentia observare, loquentis mentem explorare; vel certè mentem suam non absolutè, sed conditionatè, & sub distinctione aperire.

TRAC-

TRACTATUS III.
DE
LOGICA DISCURSIVA.

TErtia mentis operatio est discursus. Hunc ex fine suo intrinseco dirigendum suscipit Logica discursiva, quæ nil aliud est, quàm regulæ dirigentes syllogismum. De operatione hac Aristoteles libros quatuor conscripsit, quos Analyticos, sive resolutorios appellat, eòquod in illis resolutionem Syllogismi in prima sua principia tum materialia, tum formalia tradat. Duos primos vocat *Libros Priorum*, qui de syllogismo in genere agunt. Duos postremos *Libros Posteriorum* nuncupat, in quibus ea, quæ ad demonstrationem pertinent, pertractantur. Hæc ipsa in hoc tractatu absolvam, quem in disputationes tres dispertior. In *Prima* de Discursu in genere, in *secunda* de Syllogismo ejusque regulis, in *tertia* de Demonstratione, & scientia maximè necessaria prosequar.

DISPUTATIO I.

De Discursu in genere.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Discursus?

538. *Dico.* Discursus, ab analogia cum cursu materiali, in quo currens âb uno ad aliud progreditur, sic dictus, *est Oratio, in qua unum ex alio infertur.* v. g. Deus est summum bonum; ergo est summè amandus. Id, ex quo infertur, *Antecedens* est, vel *Præmissæ.* Id, quod infertur, est *consequens.* Ipsa connexio antecedentis cum consequente dicitur *consequentia*, exprimitúrque per particulam *Ergo*, vel æquivalentem. Dum negatur consequentia, negatur veram dari connexionem consequentis cum antecedente, ob quam consequens inferri ex antecedente legitimè possit. Contingit hoc subinde, licèt antecedens, simul & consequens de se verum sit. v. g. *Aristoteles est substantia; ergo est homo*, ubi consequente de se vero, negatur consequentia; quia consequens non legitimè infertur, cùm Aristoteles non ideò est homo, quia est substantia. Adverte hìc, in discursu consequens, nunquam verò consequentiam distingui; hæc enim necessariò vera, vel falsa est: illud autem plures habere sensus potest, adeóque quoad unum sensum connexum esse potest cum antecedente, & non connexum quoad alterum. Hinc conceditur dari consequentiam, si consequens accipiatur secun-

secundùm unum sensum, & negatur dari, si sumatur secundùm alterum. Prætereà hìc notandum venit, quòd consequentia bona esse possit vel *materialiter*, sive *vi materiæ*, vel *formaliter*, sive *vi formæ*. *Bona materialiter* est, quando consequens ex antecedente tantùm infertur, ob connexionem ipsarum rerum inter se, non autem ob terminorum, & propositionum dispositionem; unde in alia materia, in qua similis connexio non est, licèt sit similis dispositio, malè talis consequentia inferetur. *Bona formaliter* est, quando consequentia est legitima ob terminorum, & propositionum dispositionem, ita ut in nulla simili argumentatione dari possit antecedens verum, consequente falso. Exempla horum in Philosophia passim occurrunt.

539. *Dico* 2. Discursus alius est virtualis, alius formalis. *Virtualis* est actus simplex veritatem unam in alia attingens, & cognoscens: v. g. *Deus est summè amandus, quia summum bonum*; hic discursus angelis convenit. *Discursus formalis* est illatio unius ex alio per plures distinctos realiter actus. Porro discursûs species sunt sequentes: *Inductio*, *Exemplum*, *Dilemma*, *Sorites*, *Enthymema*, *Syllogismus*. De quinque prioribus speciebus consule Dialecticam P. Du Trieu *Tract.* 3. *P.* 2. *Cap.* 3. *a.* 1. & *seqq.* De syllogismo, tanquam specie discursus perfectissimâ in sequenti disputatione fusiùs agetur. Hìc ea solùm adhuc pertractanda, quæ discursum in genere concernunt.

ARTICULUS II.

De Essentia Discursûs formalis, prout est tertia mentis operatio.

540. *Nota.* Discursus spectari potest, vel ùt artefactum logicum, vel ùt tertia mentis operatio. Consideratus *ùt Artefactum* ad regulas Logicæ elaboratum, in quo una cognitio ex alia deducitur, consistit tam in præmissis, quàm in conclusione; quia sic acceptus est certa extremorum dispositio cum termino medio, quæ dispositio præfata omnia includit. Si verò consideretur *ùt est tertia mentis operatio*, de ejus essentia non una omnium est sententia. Alii enim cum Barone docent, Discursum sic acceptum in solis præmissis, sive in solo antecedente consistere. Verùm hi discursum non satis distinguunt à Judicio. Alii sequuntur Hurtadum, essentiam Discursûs in præmissis simul, & conclusione statuentem Alii denique cum Comptono sentiunt, qui tradit, quòd essentia discursûs formaliter accepti, & ùt âb aliis duabus mentis operationibus distinguitur, consistat in solâ conclusione. Cum his

541. *Dico.* Discursus formaliter acceptus, prout est tertia mentis operatio consistit in sola conclusione formaliter tali, sive in speciali illa tendentia per particulam *Ergo* expressa, quæ denotat, me non simpliciter assentiri, vel dissentire objecto, sed ex vi actuum præcedentium, & propter connexionem objecti conclusionis cum objecto præmissarum. *Ratio est:*

Di-

Discursus formaliter talis, & ùt est operatio tertia à prima, & secunda mentis operatione distincta est judicium illativum; sed sola conclusio formalis, quà talis est judicium illativum; ergo. *Confir.* Sola conclusio, ut à præmissis distincta est, est actus aliquis intellectûs; sed non est apprehensio, neque judicium simplex, quia specialem habet tendendi modum; ergo est discursus, alia enim actuum intellectûs species non datur.

542. *Obj.* 1. Præmissæ ingrediuntur definitionem discursûs; ergo sunt ejus partes. R. D. *ant.* Ingrediuntur in recto, & tanquam actus vel potentia. N. in obliquo, & tanquam essentialia requisita, seû connotata extrinseca. C. Eodem modo distingue hæc argumenta: Discursus nequit concipi sine præmissis. Præmissis sublatis non habetur essentia discursûs, & quæ sunt similia. *Inst.* 1. Discursus benè sic definiri potest: Est antecedens, & consequens; ergo. R. D. *ant.* Si discursus *integraliter*, & *causaliter* spectetur, sive ùt totum quoddam intentionale ex antecedente & consequente consurgens. C. si essentialiter, & formaliter sumatur pro illatione unius ex alio. N. *Inst.* 2. Si præmissæ non constituant essentialiter discursum, ergo non differt à judicio; quia pariter erit judicium. R. N. *Sequel. Rationem* D. Erit judicium simpliciter. N. erit judicium illativum. C. Judicium autem illativum distinguitur intrinsecè per specialem tendentiam suam à judicio simpliciter tali, extrinsecè autem distinguitur per præ-

missas, sicut relatio per terminum. *Inst.* 3. Syllogismus probabilis à demonstrativo, simplex à complexo differt ratione præmissarum; ergo discursus in his consistit formaliter intrinsecè. R. D. *ant.* Differt *causaliter*, *effectivè*, & *extrinsecè* ratione præmissarum. C. *formaliter*, *intrinsecè*. N. Intrinsecè differt ratione propriæ entitatis proùt hæc dicit ordinem ad præmissas; sicut una relatio differt ab altera intrinsecè per ordinem ad terminum, extrinsecè autem per ipsum terminum.

543. *Obj.* 2. Syllogismus constituitur per certam dispositionem medii, & utriusque extremi; ergo non in sola conclusione consistit discursus. R. D. *ant.* ùt est artefactum logicum. C. ùt est tertia mentis operatio. N. *Inst.* 1. Syllogismus ùt est artefactum logicum, etiam est tertia mentis operatio; ergo. R. N. *ant.* Est nempe aliquid plus: nam complectitur duo judicia simpliciter talia, & unum judicium illativum. *Inst.* 2. Quod facit scire, est Syllogismus saltem partialiter; sed præmissæ faciunt scire; ergo. R. D. *maj.* Quod facit scire *formaliter*. C. Quod facit scire *causaliter* tantùm. N. Præmissæ faciunt tantùm scire causaliter, h. e. præmissæ non faciunt, ut sciam formaliter identitatem duorum inter se; sed faciunt tantùm, ut possim elicere conclusionem, per quam formaliter identitatem hanc sciam; igitur non faciunt scire formaliter *immediatè*, sed *mediatè* solùm, & per conclusionem, quam causant.

ARTI-

ARTICULUS III.

An, & quomodo Præmissæ necessitent intellectum ad inferendam conclusionem?

544. *Nota.* Duplex in hac thesi observanda venit potentiæ necessitas. *Prima* est *Necessitas contrarietatis*, sive *quoad speciem*, vi cujus potentia determinatur ad actus, & effectus certæ alicujus speciei, ita, ut non possit contrarios ponere. Sic Beati in cælis necessitantur ad actus amoris Dei, ut actus odii Dei ponere nequeant. *Secunda* est *Necessitas contradictionis*, sive *quoad exercitium*, quâ potentia habitis omnibus ad agendum requisitis, ita determinatur ad agendum, ut non possit suspendere, aut omittere actum; sic oculus positis omnibus ad videndum requisitis determinatur ad visionem eliciendam. Necessitati contrarietatis opponitur *Libertas contrarietatis*, quæ est indifferentia potentiæ ad actus contrarios; sic voluntas potest idem objectum vel amare, vel odisse. Necessitati contradictionis opponitur *Libertas contradictionis*, vi cujus potentia agere potest, vel non agere. *Status quæstionis* est: An intellectus Præmissas, & vim formæ syllogisticæ penetrans, eisque assentiens ita determinetur, ut necessariò debeat assentiri conclusioni, an verò eidem possit dissentire? sive an necessitetur quoad speciem actûs? Item: An stante assensu præmissarum intellectus necessariò elicere debeat conclusionem, ita, ut suspendere eam, vel omittere non possit? sive,

quod idem est, an necessitetur quoad exercitium?

545. *Dico* 1. Intellectus præmissis ritè penetratis & concessis, nequit dissentire conclusioni. Ita Aristoteles 1. *Poster. Cap.* 1. & 1. *Top.* 1. *S. Thomas* 1. *p. q.* 82. *a.* 2. & 1. 2. *q.* 13. *a.* 6. Hos sequuntur plerique alii Philosophorum. *Ratio est:* Quia aliàs intellectus idem objectum eodem modo propositum posset affirmare, & negare. Item posset dissentire vero quà tali. Hæc autem implicant; nam primum evertit principium lumine naturæ notum: *Idem non potest simul esse, & non esse.* Alterum verò est contra intellectûs humani finem; ergo & implicat id, unde hæc sequuntur; nimirùm intellectum præmissis ritè penetratis, & concessis posse dissentire conclusioni. *Primum assertum porrò sic probatur:* Intellectus concessis præmissis, jam concessit identitatem duorum cum uno tertio, quæ evidenter virtualis est identitas duorum inter se; igitur negando in conclusione identitatem duorum inter se, negaret id eodem modo propositum, quod affirmaverat in præmissis. *Alterum assertum ita stabilitur:* Ex supposito, quòd intellectus concesserit præmissas ritè penetratas, illásque agnoverit evidenter esse veras, hoc ipso etiam agnovit evidenter conclusionem esse veram, quæ in præmissis implicitè continetur; ergo si concessis præmissis negaret conclusionem, dissentiretur vero quà tali; & consequenter intellectus contra suum ageret finem, qui est acquirere veritatem.

546.

546. *Dico* 2. Intellectus ritè penetratis & conceſſis præmiſſis etiam nequit ſuſpendere, vel omittere aſſenſum concluſioni dandum, per ſe loquendo; ſive neceſſitatur ad concluſionem inferendam quoad exercitium. *Ratio eſt:* Quia intellectus eſt potentia neceſſaria, quæ poſitis omnibus ad agendum requiſitis debet neceſſariò agere. *Subſumo.* Sed intellectus in hac theſi ſupponitur habere omnia ad agendum requiſita; ſupponitur enim, quòd habeat concurſum Dei, quòd objectum ipſi ſit propoſitum ùt verum, quòd conceſſerit præmiſſas, & non retractârit, quod ſufficientem habeat cognitionem principiorum ſyllogiſticorum, & virtutis conſequentiæ; ergo conceſſis præmiſſis ritè penetratis debet neceſſariò agere, & inferre concluſionem. Hanc ipſam ſententiam videtur tenere Ariſtoteles, qui ſyllogismum ita definit: *Eſt oratio, in qua quibusdam poſitis aliud quiddam ab iis, quæ poſita ſunt, neceſſariò accipit, eoquòd hæc ſunt.*

547. *Obj.* 1. Conceſſis his præmiſſis: *Quod habet colorem, odorem, & ſaporem panis, eſt panis; ſed particula conſecrata habet colorem* &c. Intellectus non neceſſitatur ad hanc concluſionem hæreticam: *Ergo particula conſecrata eſt panis*; ergo intellectus conceſſis etiam præmiſſis non neceſſitatur ad inferendam concluſionem. R. D. *ant.* Non neceſſitatur ad concluſionem illam hæreticam ſtante aſſenſu præmiſſis dato. N. ſi revocet aſſenſum, ſicut revocare tenetur. C. Nimirùm præmiſſæ aſſignatæ univerſaliter con-

cedi nequeunt, quia ejusmodi accidentia saltem supernaturaliter existere sine subjecto valent. Idem respondendum ad has præmissas: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt idem inter se; sed tres Personæ divinæ sunt idem uni tertio*, scilicet cum essentia divina. Nam & hæ præmissæ non possunt sine distinctione concedi. *Vide dicta de hoc principio in Prolegomenis n. 22.* Item ad has: *Omnis homo est mendax; sed Christus est homo.* Major enim intelligenda tantùm est de puro homine. *Inst.* 1. Saltem intellectus non necessitabitur ad conclusionem, quando hæc est actus fidei; quia fides debet esse libera. R. N. Nam conclusio *formaliter* talis, ad quam intellectus necessitatur, non est actus fidei; sed *materialiter* talis. *Inst.* 2. Concessis præmissis sæpè negatur consequentia; ergo. R. D. *ant.* Negatur consequentia illegitima, & vitiosa. C. legitima. *Subdist.* Præmissis benè penetratis. N. non benè penetratis. C. Adde quòd negans consequentiam illegitimam, nisi omninò disparata sit, transmittat potiùs præmissas, quàm ut eas concedat, ex eo tantùm fine, ut vitium syllogismi assignet, quod assignando simul indicat, quo sensu assensum præmissis datum revocet, & quo sensu illum stabiliat. *Inst.* 3. Conclusio est sæpè probabilis tantùm; sed ad talem intellectus non necessitatur, quia huic assentitur cum formidine de opposito; ergo. R. D. *maj.* Conclusio *materialiter* sumpta, vel *ratione consequentis*, aut *materiæ* est probabilis tantùm. C. Conclusio *formaliter* spectata, *ratione formæ*, vel

vel *consequentiæ*. N. *Si ais:* Conclusioni probabili seorsim spectatæ, & extra syllogismum intellectus non assentitur necessariò; ergo nec intra syllogismum. R. D. *Cons.* Ergo nec intra syllogismum eidem necessariò assentitur *antecedenter*, h. e. ante concessas præmissas. C. *consequenter*, & præmissis concessis. N. Ratio autem ulterior est; quia hoc ipso, quòd intellectus dederit assensum præmissis probabilibus, implicitè jam & virtualiter concessit conclusionem, igitur nequit eandem posteà negare; aliàs sibi contradiceret. *Si reponas.* Præmissis probabilibus non necessariò assentior; ergo nec conclusioni ex illis deductæ. R. N. *Cons.* Ob rationem jam datam; conclusioni enim jam dedi assensum in præmissis saltem virtualiter, & per hoc intellectus est necessariò determinatus ad assentiendum conclusioni, ne sibi contradicat. Econtrà intellectus non est aliunde determinatus ad necessariò assentiendum præmissis probabilibus. *Si urgeas:* Conclusio syllogismi probabilis non habet evidentem veritatem; ergo ei intellectus non necessariò assentitur. R. D. *ant.* Non habet evidentem veritatem, si præmissæ non sint concessæ ùt veræ. C. si sint concessæ ùt veræ. *Subdist.* Non habet evidentem veritatem *consequentis*. C. *consequentiæ*. N. Si enim intellectus concessit, *duo esse probaliter idem cum uno tertio*, evidenter sequitur; *illa probabiliter quoque esse idem inter se.* Proinde præmissæ probabiles non necessitant ad conclusionem præcisè *ratione sui*; sed *ratione concessionis*,

nis, & ùt ſunt evidenter propoſitæ tanquam probabiles, unà cum principio regulativo: *Quæ ſunt eadem uni tertio, eo modo, quo ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe.* Si nimirùm duo extrema ſint evidenter eadem uni tertio in præmiſſis, etiam ſunt evidenter eadem inter ſe in concluſione: Et ſi ſint probabiliter eadem uni tertio, etiam ſunt probabiliter eadem inter ſe; quod utrumque evidens eſt.

548. *Obj.* 2. Intellectus ſubjacet imperio voluntatis; ergo hæc conceſſis etiam præmiſſis ab aſſenſu concluſionis avertere intellectum poteſt. R. D. *ant.* Subjacet imperio voluntatis *despoticè*. N. *politicè*. C. h. e. Intellectus non ſubjacet voluntati in ſuum malum, ut nimirùm id, quod ipſi proponitur evidenter verum, judicet falſum, aut viciſſim falſum judicet verum; aut ut ritè applicatus, non rapiatur in id, quod ei evidenter proponitur. Sed ſubjacet duntaxat voluntati in ſuum bonum, quatenùs voluntas applicare intellectum poteſt, ad agnoſcendum verum. Alii dicunt, Intellectum ſubjacere voluntati in iis tantùm, in quibus evidens veritas non apparet, non autem in iis, in quibus hæc evidenter cognoſcitur: In his enim intellectus, ex ſuppoſito, quòd ſit applicatus, eſt potentia neceſſaria; ſicut igitur voluntas oculo debitè applicato imperare nequit, ut non videat; ita nec intellectui applicato imperare valet, ut non aſſentiatur objecto evidenter ſibi propoſito. *Inſt.* 1. Licèt potentia loco motiva ſit potentia neceſſaria, imperio tamen voluntatis

tatis subjacet; ergo & intellectus. R. N. *Conf. Disp. est*; Quia potentia loco motiva cognoscitiva non est, hinc aliunde determinari nequit, nisi à voluntate, adeóque secundùm se totam voluntatis imperio subest. Econtrà intellectus, utpote cognoscitivus determinari potest ab evidente objecti veritate, vel ab evidentia consequentiæ, ùt fit in syllogismo probabili. *Nec obstat* D. Thomas, qui intellectum cum potentia loco motiva comparat: nam non comparat in omnibus, sed in aliquibus solùm scilicet in obscuris. Vide responsionem secundam supra ad objectionem datam. *Inst.* 2. Ex iisdem præmissis possunt persæpè variæ deduci conclusiones, v. g. universalis, vel particularis, in modo directo vel indirecto; ergo saltem in hoc casu intellectus suberit imperio voluntatis; quia non est ratio, cur potiùs hanc, quàm illam eliciat. R. N. *Conf.* Nulla hìc opus est determinatione voluntatis; si enim Intellectus præmeditatur figuram, aut modum, tunc eliciet conclusionem illi figuræ, aut modo congruam. Si verò non præmeditatur, tunc eliciet illam, quæ primo occurret. *Inst.* 3. Intellectus concessis etiam præmissis distrahi potest; ergo saltem in hoc casu non necessitatur. R. D. *Conf.* Non necessitatur *per accidens*. C. *per se*. N. Hinc in conclusione secunda jam addidi particulas: *Per se loquendo*. *Inst.* 4. Supposito, quòd Deus revelaret has præmissas: *Quidquid Deus revelat est verum; sed Deus revelat in syllogismo non fore tres propositiones*; intellectus has concedens necessitari

ceſſitari non poſſet ad concluſionem, quæ foret propoſitio tertia; ergo. R. 1. C. *Totum*; ſed nego, quòd hic caſus ad præſentem quæſtionem pertineat; eoquòd Deus poſitâ revelatione ſuâ negare deberet concurſum, ad propoſitionem tertiam, conſequenter intellectus non haberet omnia ad agendum requiſita, quæ tamen illum habere theſis hæc ſupponit. R. 2. Si velis prædictum caſum huc ſpectare, tunc nego antecedens; quia minor intelligenda tantùm foret in ſenſu accommodo, excepto nimirùm præſenti ſyllogismo. *Inſt.* 5. Apprehenſio etiam evidentiſſima non neceſſitat ad judicium; ergo nec judicium evidens, quale eſt in præmiſſis, neceſſitat ad concluſionem. R. N. *Conſ. Diſp. eſt:* Quia apprehenſio non eſt virtualiter ipſum judicium; at verò identitas duorum cum uno tertio, eſt evidenter virtualis identitas duorum inter ſe; hinc admittens identitatem duorum cum uno tertio, virtualiter admiſit identitatem eorundem inter ſe. *Inſt.* 6. Aſſentiens uni contradictorio, virtualiter diſſentit alteri, nihilo tamen minùs ad formalem diſſenſum contradictorii alterius non neceſſitatur; ergo à pari. R. D. *ant.* Non neceſſitatur ad diſſenſum formalem, ſi alterum contradictorium non occurrat formaliter. C. ſi occurrat, ſicuti in præmiſſis proponitur intellectui objectum concluſionis. N. *Inſt.* 7. Voluntas non neceſſitatur ad amorem ab ullo bono creato; ergo nec intellectus neceſſitatur ad aſſenſum âb ullo vero. R. N. *Conſ. Diſp. eſt:* Voluntas eſt potentia

tentia libera, quæ positis omnibus ad agendum requisitis agere potest, vel non agere. Econtra intellectus est potentia necessaria, quæ positis omnibus ad agendum requisitis necessariò agit.

ARTICULUS IV.

An ad assensum conclusionis requiratur cognitio reflexa de bonitate consequentiæ?

549. *Nota.* Per cognitionem reflexam de bonitate consequentiæ intelligitur hìc actus specialis, & realiter à præmissis formalibus, & conclusione formali distinctus, vi cujus intellectus, antequam concessis præmissis conclusionem eliciat, specialiter se reflectit super præmissas, & conclusionem, vidétque *signatè*, ac reflexè, an talis conclusio è talibus præmissis benè sequatur? Quæritur proinde hìc de tali actu speciali; an requiratur ad eliciendam conclusionem? Ecce tibi *statum quæstionis* in exemplo: Quæritur, an intellectus concessis v. g. his præmissis: *Omne animal est vivens; sed Petrus est animal*; debeat priùs elicere actum, quo v. g. sic dicat: *Ex eo, quòd omne animal sit vivens, & Petrus sit animal, benè sequitur hæc conclusio: Petrus est vivens:* atque posito hoc judicio reflexo, deinde modò ponat conclusionem: *Ergo Petrus est vivens?* Ex his advertes, quæstionem hìc potissimùm esse de præmissis objectivis. Nam, quòd conclusio non necessariò se reflectat in præmissas formales, Communior est Philosophorum: hæ enim non requi-

quiruntur ad conclusionem, nisi *ùt conditio, intentionaliter præmissas objectivas applicans*, sive *ùt causa conclusionis*; quid enim aliud præmissis formalibus tribuatur? ergo necesse non est, ut intellectus in conclusione se in eas reflectat; aliàs deberet se reflectere in applicationem motivi, item in se ipsum, tanquam in causam physicam suorum actuum, quæ tamen nullus satis defendet.

550. *Dico*. *Regulariter*, & *ordinariè* non præreq. iritur cognitio reflexa de bonitate consequentiæ ad assensum conclusionis. *Ratio est*: Quia cognitâ in præmissis identitate duorum cum tertio intellectus sufficienter illuminatur, determinatúrque ad affirmandum duo esse idem inter se. Confirmant conclusionem hanc nostram *Cajetanus*, *Vasquez*, *Mastrius*, *Comptonus*, *de Benedictis*, & complures alii. Dixi *Regulariter*, & *Ordinariè*: Nam id minimè nego, quòd subinde aliquis volens indagare artificium discursûs, v. g. Tyro, vel in materia obscura, adhibeat hoc judicium reflexum; ordinariè autem id non requiri, ipsa experientia attestatur.

551. *Obj.* Particulæ *Ergo* correspondere in mente debet aliquis conceptus; sed hic nil est, nisi cognitio reflexa; ergo. R. D. *maj.* Debet correspondere aliquis conceptus distinctus à consequente. N. Debet correspondere aliquis conceptus, i. e. aliquis specialis modus tendendi illativus. C. *Si ais*: Conclusio dicit, *hoc ita esse, quia aliud est.* v.g. Petrum esse animal, quia omnis homo est animal, & Petrus est homo;

ergo

ergo conclusio debet se reflectere super præmissas. R. D. *ant.* dicit, hoc esse, quia aliud est, *formaliter, in actu signato*, & *judicio explicito* semper & *distincto*. N. dicit hoc in actu exercito, virtualiter, & *judicio implicito*. C. Eâdem distinctione explicabis Aristotelem, dum dicit: *Scientiam esse cognitionem rei per causas.* Item hæc & similia argumenta: *Intellectus non assentitur connexioni cum præmissis, nisi eam cognoscat. Argumentans necessariò reflectit ad bonitatem consequentiæ &c.*

ARTICULUS V.

An conclusio formaliter, & intrinsecè attingat objectum præmissarum?

552. *Nota.* Præmissæ, ùt aliis in locis jam advertimus, aliæ sunt formales, aliæ objectivæ. *Formales* sunt actus intellectûs affirmantes aut negantes identitatem duorum cum tertio. *Objectivæ* sunt ipsum objectum, quod affirmatur, sive ipsa identitas cum tertio. Pari modo conclusio alia est *formalis*, quæ est actus intellectûs illativè affirmans identitatem duorum inter se. Alia est *objectiva*, quæ est ipsum objectum, quod infertur, sive ipsa identitas duorum inter se illata. Præsciendum porrò est, quòd hìc non quæratur: An conclusio formalis *aliquo modo*, & *extrinsecè* attingat præmissas formales? hoc enim certum videtur, quia particula *Ergo* dependentiam aliquam conclusionis formalis à præmissis formalibus significat. Certum præterea est, quòd conclusio formalis non

attingat *intrinsecè* præmissas formales tanquam suum motivum: Nam non ideò assentior, duo esse idem inter se, quia tantùm concepi ea esse idem cum tertio. *Status quæstionis* proinde hic est: An conclusio formalis, sive actus conclusionis non solùm habeat pro objecto identitatem extremorum inter se, quæ est objectum materiale conclusionis; sed an insuper habeat pro objecto identitatem extremorum eorundem cum tertio, quæ est objectum materiale præmissarum, ita ut hæc ultima identitas sit ratio formalis intrinseca assensûs conclusionis? Cape exemplum. Quæritur: An intellectus positis his præmissis: *Omne animal est substantia; sed omnis homo est animal*; assentiens huic conclusioni. *Ergo omnis homo est substantia: immediatè*, & *intrinsecè* attingat præmissas objectivas, ita, ut particula *Ergo* significet, intellectum assentiri objecto conclusionis propter objectum præmissarum, tanquam rationem motivam, cui denuò per ipsum actum conclusionis assentiatur, & conclusio hunc faciat implicitè sensum: *Omnis homo est substantia, quia omne animal est substantia, & omnis homo est animal?*

553. *Dico.* Conclusio formalis immediatè, & intrinsecè attingit objectum præmissarum tanquam suum objectum formale, sive tanquam rationem formalem intrinsecam assensûs Conclusionis. Ita D. Thomas 1. 2. q. 3. a. 2. & 3. Soncinas, Arriaga, & alii recentiores communiter, contra Compt. & nonnullos alios. *Ratio est:* quia actus intentionalis tendens in objectum

ctum materiale propter formale, hoc ipso etiam intrinsecè attingit objectum formale tanquàm sui determinativum; sed conclusio est talis actus tendens in objectum suum materiale, scilicet in identitatem extremorum inter se, propter formale, sive propter præmissas objectivas, aut identitatem extremorum cum tertio; ergo. *Minor* constat; *Major* probatur inductione: sic actus fidei divinæ tendens in articulum credendum tanquam in objectum materiale, fertur simul in authoritatem Dei revelantis tanquam in objectum formale, à quo movetur, & determinatur ad assentiendum articulo fidei. Sic actus voluntatis amans medicinam propter sanitatem, ambo simul intrinsecè attingit; ergo à pari.

554. *Obj.* 1. Ex hac thesi sequeretur terminum medium debere ingredi conclusionem; sed hoc dici nequit; ergo. R. D. *maj.* Medium debere ingredi conclusionem *explicitè*, *ùt quod*, & *tanquam objectum materiale illatum*, id quod regula Dialecticæ prohibet. N. debere ingredi conclusionem *implicitè*, & *ùt quo*, sive tanquam motivum formale inferendi. C. *Inst.* 1. Saltem intellectus bis assentiretur præmissis. R. D. bis assentiretur præmissis eodem modo. N. diverso. C. Semel nimirùm assentiretur iis secundùm se, & tanquam objecto materiali; posteà verò assentiretur iis tanquam objecto formali. *Inst.* 2. Conclusio se sola habet vim terminandi actum intellectûs, sicut præmissæ; ergo necesse non est, ut conclusio attingat præmissas objectivas.

℟. D. *ant.* Terminandi actum intellectûs simpliciter judicativum, sicut etiam præmissæ. C. Actum intellectûs illativum. N. Hinc negari etiam simpliciter posset τὸ *sicut*, & disparitas desumi ex distinctione data. *Inst.* 3. Saltem ex hac thesi liceret inferre 1. Quòd omnis conclusio sit causalis & composita. 2. Quòd sola conclusio sit totus Syllogismus. 3. Quòd eadem conclusio posset esse vera, & falsa. v. g. hæc conclusio: *Ergo Deus est ens*, deducta ex his præmissis: *Omnis creatura est ens; sed Deus est creatura.* Sensus enim allatæ conclusionis foret iste: *Deus est ens*, quia est creatura, & omnis creatura est ens. ℟. *ad 1mum* D. Quòd sit causalis, & composita *formaliter*, & *explicitè*. N. *Implicitè*, & *æquivalenter*. C. Hoc ultimum autem nihil implicare, patet ex regulis veritatis supra allatis. ℟. *ad 2dum*, D. Quòd sola conclusio sit totus syllogismus, ùt hic est artefactum logicum. N. ùt est præcisè tertia mentis operatio. C. ℟. *ad 3tium.* D. Quòd eadem conclusio posset esse vera *materialiter*, & falsa, si *formaliter* sumatur, ùt ex præmissis deducta est. C. quòd posset esse vera, & falsa eodem respectu. N. Nimirùm falsa identitas extremi cum medio nequit esse objectum formale conclusionis materialiter, & formaliter veræ.

555. *Obj.* 2. Intellectus assentitur objecto præmissarum absque motivo distincto; ergo poterit sic pariter assentiri conclusioni. ℟. N. *Conſ. Disp. est*; quia assensus conclusionis est assensus illativus, consequenter referri debet, & fieri

fieri propter aliud. Econtrà assensus præmissarum est assensus simpliciter judicativus. *Inst.* 1. Objectum præmissarum est objectum extrinsecum duntaxat, & purè impulsivum respectu conclusionis; ergo. R. N. *ant.* Quia objectum præmissarum est motivum adæquatum, & consequenter intrinsecum conclusionis; cùm conclusio unicè eligatur propter motivum præmissarum. *Si ais:* Ipsa identitas duorum inter se sufficienter determinat intellectum ad assensum; ergo. R. D. *ant.* Ad assensum simpliciter judicativum. C. Ad assensum illativum, qui debet fieri propter aliud. N. *Inst.* 2. Teste experientiâ, nemo reflectit se supra objectum præmissarum, dum conclusionem elicit; ergo. R. D. *ant.* *Explicitè* C. *Implicitè*, & *virtualiter*. N. Reflexionem hanc satis denotat particula *Ergo*, quæ intrinsecam objecti præmissarum cum objecto conclusionis connexionem significat. *Si inferas:* Ergo nullus recordari poterit conclusionis, quin simul præmissarum recordetur; quod tamen cum experientia pugnare videtur. R. D. *Illatum.* Nullus poterit recordari conclusionis *materialiter* talis, quin &c. N. *Formaliter* talis. C. Hæc enim essentialem connexionem cum præmissis dicit. *Inst.* 3. Admisso, quòd conclusio attingat objectum præmissarum, sequitur, quòd, si una præmissa particularis sit, aut affirmativa, altera verò universalis, aut negativa, conclusio sit simul particularis, & universalis, affirmativa, & negativa. Sed hoc videtur absurdum; ergo. R. D. *sequelam maj.*

Quòd conclusio sit simul particularis, & universalis &c. *ratione objecti sui materialis.* N. *Ratione objecti materialis, & formalis simul. Subdist.* formaliter explicitè N. virtualiter, & implicitè, C. *Inst.* 4. Si conclusio attingat intrinsecè præmissas ob particulam *Ergo*, ergo minor quoque intrinsecè attinget majorem ob particulam *Atqui.* R. N. *sequelam*; Nam conclùsio attingit præmissas objectivas tanquam motivum immediatum conclusionis; econtrà major non est motivum minoris; sed tantùm occasio.

556. *Reflexio. I.* Actus conclusionis aliud motivum non habet, nisi objectum præmissarum; cùm igitur conlusio essentialiter respiciat motivum, propter quod elicitur, necessariò objectum præmissarum attingit. Aliud est in aliis actibus, qui plura habent motiva, v.g. in actu temperantiæ, qui elici potest ex motivo charitatis in Deum, quin motivum charitatis *immediatè* attingat; cum enim actus temperantiæ motivum proprium habeat, hinc motivum charitatis erit tantùm *mediatum*, & *impulsivum* respectu actûs temperantiæ. Idem dicendum de aliis actibus, qui plura motiva saltem mediata, & impulsiva habent. II. Quod modo de actu conclusionis dictum est, intelligi tantùm debet de conclusione, *ùt est Judicium illativum.* Nam si conclusio *materialiter* accipiatur, *ùt est consequens*, & *actus purè enuntiativus*, tunc habet pro motivo identitatem duorum inter se. III. Particula *Ergo* in syllogismo vocali sufficie signum est, quòd conclusio objectum præmissarum

sarum attingat; cùm aliud omninò sit dicere: *Ergo Petrus est rationalis*, & aliud: *Petrus est rationalis*. IV. Præter præmissas objectivas, etiam formales ad conclusionem concurrunt, non quidem *physicè* illam efficiendo, sicut ignis efficit calorem; sed *moraliter*, & *directivè*, illuminando scilicet intellectum, & proponendo ipsi connexionem duorum cum tertio, quâ cognitâ connexione intellectus infert eorum connexionem inter se. *Nec obstat*, quòd præmissæ in virtute sua contineant conclusionem. Nam non continent eam in virtute physicè effectiva, quandoquidem unus actus transiens non efficit physicè alterum; sed continent eam duntaxat in virtute moraliter directiva. Quando igitur Aristoteles, & D. Thomas asserunt, conclusionem effici à præmissis; intelligendi sunt de effectione minùs strictè, & moraliter tali, non autem physicâ. *Nec obest*, quòd præmissis assimiletur conclusio; nam etiam causæ morales assimilant sibi effectum, ùt patet in idea in mente artificis existente, cui opus artificiale assimilatur, quin hæc physicè in illud influat. *Nec juvat dicere*, quòd habitus intellectuales producant physicè effectum; item quòd præmissæ producant physicè suî species; Denique quòd species impressæ cum intellectu physicè influant in cognitionem objectorum; ergo etiam præmissæ physicè influent in conclusionem. Nam permisso antecedente, quod ad alias scientias pertinet, & ultimum præcipuè multi in Animastica probabiliter negant; N. *Cons. Disp. est*

quia habitus dum causant, sunt physicè; item præmissæ hoc ipso imprimunt suî species potentiæ intellectivæ, dum ex illa prodeunt; Denique species impressæ sunt quid permanens. Econtrà præmissæ sunt actus transeuntes, & dum causant conclùsionem non ampliùs sunt physicè, cùm actus vitales statim transeant.

DISPUTATIO II.

De Syllogismo ejusque Regulis.

Discursûs, & Argumentationis species facilè præstantissima est Syllogismus. Prærogativam ejus prorsus singularem stupenda vis, quæ admirabili huic, ac penè divino artificio inest, & utilitas plurimùm commendat. Nam vi discursûs syllogistici intellectus noster propter commissos sæpè errores, velut reus constringitur, & quemadmodum in civilibus adhibitis torturæ instrumentis admissum manifestare crimen reus compellitur; ita syllogismi efficacia intellectum captivum quasi victumque ducit, adigitque sæpiùs fateri illud, cui pervicaciùs sese negando opposuerat. Expressit id Synes *Epist.* 44. dum scripsit: *Mirifici enim ad convincendam simulationem sunt carnifices, & ungues quidam ab his excogitati sunt, eâdem vi præditi, quâ scientiarum ratiocinationes, ac syllogismi.* Hanc ipsam in sententiam concedit S. Hieron. *super Ezech.* inquiens: *Quidquid in hoc sæcu-*

sæculo perversorum dogmatum est, & putatur robustum, hâc arte subvertitur, & instar incendii in cineres favillâsque dissolvitur. Vim hujus artificii ii, qui à fide salvificâ alieni sunt, & veritatem aversantur, usque adeò horrent, ut plenis buccis contumelias in formam syllogisticam evomentes eam omni conatu studeant eliminare. Utilitatem ejus non est cur pluribus demonstrem; deprædicant eam aliæ scientiæ omnes, & præsenti argumentandi methodo ex Logica depromptæ firmitatem suam, splendorem, ac claritatem coguntur magna ex parte adjudicare. Operæ igitur pretium esse duxi, de nobili hoc artificio pluribus agere, ac ea, quæ ad illud pertinent, in speciali disputatione accuratiùs pertractare.

ARTICULUS I.

De Principiis intrinsecis Syllogismi.

557. *Dico.* Syllogismus (quem Aristoteles 1. Prior. Cap. 1. ita definit: *Est Oratio, in qua quibusdam positis, aliud quiddam ab iis sequi necesse est, eòquod hæc sint*) adinstar aliorum operum artificialium duo habet principia intrinseca, Materialia scilicet, & formalia. *Materialia* sunt ipsa materia syllogismorum. Hæc rursus duplex est, remota & proxima. *Remota* sunt termini, ex quibus fiunt propositiones syllogismum componentes: horum autem in syllogismo categorico tres assignantur. *Primus* dicitur *Majus extremum*, éstque illud, quod in conclusione directa locum prædicati obtinet;

Concluſio autem *directa* illa cenſetur, in qua naturalis ſervatur terminorum ordo, ſi nimirùm prædicetur id, quod eſt aptius prædicari. *Alter terminus* vocatur *Minus extremum*, éſtque id, quod in concluſione directa obtinet locum ſubjecti. *Tertius* appellatur *Medium*, éſtque ille terminus, qui bis in præmiſſis ponitur. *Materia proxima* ſunt propoſitiones; ex terminis enim immediatè fiunt propoſitiones, ex propoſitionibus ſyllogiſmi.

Principium formale eſt ipſa forma ſyllogiſmi, quæ nil aliud eſt, quàm apta materiæ ſyllogiſticæ diſpoſitio, ſicut forma domûs eſt apta diſpoſitio lapidum, lignorum &c. Quemadmodùm vero materia ſyllogiſtica duplex eſt, termini ſcilicet, & propoſitiones, ſic quoque duplex eſt ſyllogiſmi forma, nempe figura, & modus. *Figura*, quæ eſt forma correſpondens terminis, dicitur *apta diſpoſitio medii cum extremis ſecundùm ſubjectionem, & prædicationem.* Eſt hæc figura triplex: *Prima* eſt, in qua medium ſemel ſubjicitur, & ſemel prædicatur. *Secunda* eſt, in qua medium bis prædicatur. *Tertia* eſt in qua medium bis ſubjicitur. Exempla harum vide in Dialectica vulgata. Memoriæ gratiâ præfatas figuras his verſibus Dialectici expreſſerunt:

Sub, *præ*, Prima, ſed Altera bis *præ*, Tertia bis *ſub*.

Vel:

Prima ſemel ſubicit medium, tum prædicat ipſum:
Prædicat *Altera* bis, *Tertia* bis ſubicit.

Addi-

ad fol. 539.

Modi possibiles 64.

Aristoteles inventor Syllogismi

Modi Inutiles 54.

Quatuor Termini cujusmodi Sunt A.E.I.O. literæ accipiantur

AAA AAE AAI AAO AEA AEE AEI AEO AIA AII AIE AIO AOA AOE AOI AOO

EAA EAE EAI EAO EEA EEE EEI EEO EIA EII EIE EIO EOA EOE EOI EOO

IAA IAE IAI IAO IEA

AEA AEI AIA AIE AOA AOE AOI EAA EAE EAI EEA EEE EEI EIA EIE EOA EOE EOI IAA IAE IAI IAO

XVIII. per 8. Regulam communem VI. per 7. Reg. com. XVI. per 6. Regulam

TERMINI.

Major .....
Medius .....
Minor .....

PROPOSITIONE

Major Sub præd. Sub min. Præd. Sub Conclusio

Major præd. Sub Minor Sub præd. Conclusio

A E I O .....

FIGURE IV.

Subpræ, tum præ præ, tum denique præ Sub.

I Fig. II Fig. III Fig.

REGU.

I Termin. esto triplex major medius

ad fol. 539.

Modi possibiles 64.

Aristoteles inventor Syllogismi

Galanus auctor Figurae 4.ae

Modi Inutiles 54.

Syllo: gismi

Forma - Figura

Modus.

Propositio proxima

Regula

Axiomata

TERMINI.

MODI XIX.

Major 1
Medius 2
Minor 3

PROPOSITIONES

Major

Major

A
E
I
O

FIGURE IV.

Subpræ, tum præ præ, tum Sub sub, denique præ Sub.

I. Fig. Barbara vel Barbarilipton

Celarent

Darii

Ferio

IV. Fig. Bamalip vel Barbarilipton

Camestres vel Celantes

Dimatis vel Dabitis

Fesapmo vel Fapesmo

Fresison vel Frisesomorum

II. Fig. Cesare

Camestr.

Festino

Baroco

III. Fig. Darapti

I Fig.

II Fig.

III Fig.

IV. Fig.

Felapton

Disamis

Datisi

Bocardo

Ferison.

REGULÆ COMMUNES

1. Termino est totiplex major medius q; minor q; latiq; hunc quam præmissæ conclusio nō vult: ipsaque nō unquam medii concludere debet: aut semel aut iterū hoc medium generaliter esto:

Nil sequit, geminis ex particularibus unquam utraq; si præmissa neget nihil inde sequetur: ambæ affirmantes nequeunt generare negatā pejorem sequitur semper Conclusio partem:

REGULÆ SPECIALES

I Fig.

1. Sit minor affirmans; nec major particularis
DEM. Sit minor affirmans, utidem Sit majus ubique: Distribues medium, nisi major Sit specialis.

II Fig.

1. Præmissa una negat; nec major particularis.
DEM. Præmissa una negat, medius si distribuatur: Majus habebis idem, nisi major Sit Specialis.

III Fig.

1 2 Sit minor affirmans: Conclusio Sit Specialis.
DEM. Sit minor affirmans utident Sit major ubique: Utque minus Sit idem, Conclusio Sit specialis

IV Fig.

1 2 Major ubi affirmat, generalem Sume minorem
Si minor affirmet, Conclusio Sit Specialis.
Cumque negans modus est, tunc Sit major generalis.
DEM. Distribues medium servatâ lege priore: altera lex servabit idem minus: ultima majus.

AXIOMATA

Quibus nituntur vis Syllogismi
Dictum de omni Dictum de nullo.
Vel
Quæsunt eadem in tertio. Sunt eadē inter se.
Quorum Sunt eadem &c.

AXIOMA

In omni Syllogismo dignoscatur quorum altero continetur, alterum continetur conclusio.

Quo bonitas cujusque Syllogismi dignoscatur

EX MODIS X. UTILIBUS UTILES SUNT.

4. In Ia Figura.	4 In II Fig.	6. In III. Fig.	5. In IV Fig
AAA. EAE. AII. EIO	EAE. AEE. EIO. AAO	AAI. EAO. IAI.	AAI. AEE. IAI. EAO. EIO.
AAI. continet, in EAO.	Excluduntur	AII. OAO. EIO.	Excluduntur
Excluduntur	AAA. AAI. per 1. Reg. Specia	Excluduntur	AII. AOO. per 1. Reg. spec
AEE. AOO. per 1. Reg. Sp.	AII. IAI.	AEE. AOO. per 1 Reg. Sp.	AAA. EAE. per 2. Reg. spec.
IAI. OAO. per 2. Reg. spec	OAO. per 2. Reg. Specia.	AAA. EAE. per 2. Reg. specia.	OAO. per 3. Reg. Special.
	EAO. continetur in EAE		

Quatuor Termini cujusmodi Sunt A.E.I.O. sitemi accipiantur non possunt nisi modis 64. Componi.

AAA AAE AAI AAO AEA AEE AEI AEO AIA AIE AII AIO AOA AOE AOI AOO
EAA EAE EAI EAO EEA EEE EEI EEO EIA EIE EII EIO EOA EOE EOI EOO
IAA IAE IAI IAO IEA IEE IEI IEO IIA IIE III IIO IOA IOE IOI IOO
OAA OAE OAI OAO OEA OEE OEI OEO OIA OIE OII OIO OOA OOE OOI OOO

XIX. per 8. Regulam communem VI. per 7. Reg. com. XII. per 6. Regulam comm. XII. per 5. Reg. Commune

AAA AAE AAI AAO AEA AEE AEI AEO AIA AIE AII AIO AOA AOE AOI AOO
EAA EAE EAI EAO EEA EEE EEI EEO EIA EIE EII EIO EOA EOE EOI EOO
IAA IAE IAI IAO IEA IEE IEI IEO IIA IIE III IIO IOA IOE IOI IOO
OAA OAE OAI OAO OEA OEE OEI OEO OIA OIE OII OIO OOA OOE OOI OOO

IAO per 2. Reg. commune

AEO contra.



Addidit Galenus figuram quartam, quando nimirùm medium in majore prædicatur in minore verò ſubjicitur. Sed hæc figura accidentaliter duntaxat differt à figura prima Ariſtotelica, ad quam facilè reducitur, ſi terminorum fiat transpoſitio, aut major in minorem transmutetur. *Modus*, qui eſt forma correſpondens propoſitionibus, dicitur *congrua diſpoſitio propoſitionum ſecundùm quantitatem, & qualitatem.* Modos ad concludendum magis utiles novendecim ex Ariſtotele recenſent Dialectici. Hos explicatos videre poteris in Dialectica vulgata, vel etiam in adjecto ſchemate, quod plures alios modos tum utiles, tum inutiles, una cum figuris, ac regulis partim communibus partim ſpecialibus in compendio exhibet. De modo

558. *Obſervanda* porrò ſequentia: I. Quatuor primi modi figuræ primæ ſunt *Modi perfecti*; eòquod in iis conſequentia ita clara ſit, ut cuivis facilè appareat. Reliqui modi omnes *Imperfecti* nuncupantur, propterea quòd eorum concludendi vis non ita manifeſtè ſtatim deprehendatur. II. Modi novendecim ab Ariſtotele enumerati ad eos tantùm ſyllogiſmos ſpectant, qui medium commune habent, nullus enim ex iis aſſignabilis eſt, qui unam ſaltem præmiſſam univerſalem non habeat. III. Hic aut ſimilis ſyllogiſmus: *Omnis homo eſt animal*; ſed *Petrus eſt homo*; ergo *Petrus eſt animal*; referri poteſt ad *Darii*. Licèt enim hic modus & minorem, & concluſionem particularem exigat, qualis minor & concluſio allati ſyllogiſmi *formaliter* non

eſt;

est; quoniam tamen ex supposito, quòd *Petrus* sit homo, & animal, *aliquis* sit homo, & animal, hinc minor singularis, & conclusio, quantùm ad hoc, particularibus propositionibus æquivalent. Pluribus hæc omnia prosequitur P. Dedelley *in summulis à num.* 322. *usque ad num.* 340. Et Casilius *summularum* cap. 6. 7. & 8. Lib. 3.

ARTICULUS II.

De Principiis Directivis Syllogismorum.

559. *Nota.* Principia extrinseca syllogismi vel directiva sunt, vel perfectiva. De Perfectivis articulo sequenti agetur, hìc directiva tantùm examinanda sumimus. Pertinent autem ad principia dirigentia syllogismos. 1. Principia quædam lumine naturæ nota. 2. Regulæ generales syllogismorum simplicium. 3. Regulæ speciales cujusque figuræ. 4. Regulæ peculiares syllogismorum expositoriorum, ac compositorum. 5. Denique regulæ bonæ consequentiæ. Hæc omnia per distinctos §§. explicabimus.

§. I.

Quænam sint Principia directiva lumine naturæ nota?

560. *Dico* 1. Principia, sive veritates infallibiles, lumine naturæ notæ, quibus syllogismus innititur, duplicis sunt generis; alia sunt logica, alia metaphysica, quæ ultimatò terminantur in hoc: *Idem nequit simul esse, & non esse. Principia Logica* duo assignantur. Primum est, *Dictum de omni*, quod fundat syllogismos affirmativos:

tivos: Alterum est *Dictum de nullo*, quod syllogismos negativos dirigit. Duplex hoc principium explicatum jam est n. 22.

561. *Dico* 2. *Principia Metaphysica* pariter duo sunt; unum affirmativum, negativum alterum. *Affirmativum* est: *Quæcunque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. Negativum* est: *Quæcunque distinguuntur in uno tertio, distinguuntur inter se.* Sensum Principii affirmativi vide n. 22. Sensus autem principii negativi est iste: Quandocunque duo ita se habent, ut *unum* identificetur cum tertio, alterum verò cum eodem tertio non identificetur, illa duo inter se identificari nequeunt. v. g. Quia *Homo* cum tertio, scilicet cum *Animali* identificatur; Lapis autem cum eodem tertio non identificatur, hinc *Homo* & *Lapis* identificari inter se non possunt. Adverte hìc, quòd hæc duo: *Distingui à tertio*, & *distingui in tertio* non sint idem. Nam duo distinguuntur *in tertio*, quando unum eorum cum tertio identificatur, alterum verò ab eo distinguitur; Duo autem distinguuntur *à tertio*, si nullum eorum cum tertio identificetur; ac propterà multa distincta à tertio, non sunt distincta inter se: v. g. *Homo*, & *Animal rationale* distinguuntur à *Ligno*, quin distinguantur inter se.

562. *Obj. Lignum* identificatur substantiæ, & *Brutum* etiam identificatur substantiæ, nec tamen lignum, & brutum identificantur inter se, ergo primum principium metaphysicum infallibile non est. R. D. *ant.* Lignum identificatur

tur omni ſubſtantiæ. N. alicui ſubſtantiæ, quæ alia eſt ab eâ, cui identificatur brutum. C. Mirum proinde non eſt, quòd lignum & brutum non identificenter inter ſe, quia non identificantur eidem, ſed diverſo tertio. *Si ais: Rationale*, & *Riſibile* non diſtinguuntur inter ſe, licèt diſtinguantur à lapide; ergo ſaltem principium negativum fallit. R. *N. Conſ.* ſupra jam inſinuavi, aliud eſſe, diſtingui *in tertio*, & aliud diſtingui *à tertio*; proinde ſuperiùs dicta hìc conſule.

§. II.

Quænam ſint Regulæ generales ſyllogiſmorum ſimplicium?

563. *Nota.* Ex principiis, quæ paragrapho proximè ſuperiori retulimus, deducuntur regulæ ſeptem, quas Dialectici generales appellant; eòquod in quacunque figura, & quovis modo obſervari debeant. Dirigunt autem hæ regulæ potiſſimùm ſyllogiſmos ſimplices, ac conſtantes medio communi. De his ex ordine agemus.

564. *Regula I.* eſt: *In Syllogiſmo tres tantùm termini eſſe poſſunt.* Fundatur hæc regula in principiis metaphyſicis: *Quæcunque ſunt eadem uni tertio, &c.* & *Quæ ſunt diſtincta in tertio &c.* In Syllogiſmo enim nil aliud fit, quàm quòd duo extrema connectantur inter ſe in concluſione, aut à ſe invicem removeantur, eóquod fuerint connexa cum medio in præmiſſis, aut ab eo remota. Ad hoc autem non niſi tres termini requiruntur. Multiplicat autem terminos formaliter

liter in syllogismo. 1. *Æquivocatio.* 2. *Mutatio suppositionis.* 3. *Mutatio statûs.* 4. *Ampliatio.* 5. *Distractio.* 6. *Restrictio.* 7. *Mutatio Casûs.* 8. *Diminutio.* 9. *Alienatio.* Vide dicta n. 477.

564. *Obj.* Hi syllogismi boni sunt, & habent quatuor terminos: 1. *Omne animal est sensitivum; sed Bucephalus est aliquod animal; ergo est sensitivus.* 2. *Caseus est substantia; sed mus rodit caseum; ergo rodit substantiam.* 3. *Omne animal est vivens sensitivum; sed Molossus est animal; ergo est vivens.* 4. *Deus superbis resistit; sed Petrus est superbus; ergo Deus Petro resistit.* 5. *Deus præmiis remunerat virtutem; sed Charitas fraterna est virtus; ergo Deus præmiis remunerat charitatem fraternam.* R. Hi & similes syllogismi quatuor terminos non habent; quia facilè ad tres terminos reduci possunt, & consequenter tribus æquivalent. Sic in *primo* syllogismo *Omne animal*, & *aliquod animal* diversos terminos non constituunt, eoquòd *aliquod animal* in *omni animali* contineatur, & idem objectum repræsentationis habeant. *Secundus* æquivalet huic: *Rodens caseum est rodens substantiam; sed mus est rodens caseum; ergo est rodens substantiam.* In *tertio Vivens sensitivum*, & *Vivens* non formant duos terminos, quia sub *vivente* in conclusione intelligitur *sensitivum*, Si verò neges id subintelligi, tunc erit materialiter tantùm bonus, sicut hic: *Omne referens tantùm figuram Leonis est Leo fictus; sed sydus aliquod refert tantùm figuram Leonis; ergo sydus aliquod est Leo.* Adde, quòd universim non liceat argumentari à termino restricto

ad

ad non restrictum ; plus enim inferretur in conclusione quàm positum erat in præmissis. *Quartus* æquivalet huic : *Superbi sunt , quibus Deus resistit ; sed Petrus est superbus ; ergo Petrus est, cui Deus resistit.* Quòd denique *quintus* bonus sit , facilè dignosces , activum in passivum mutando.

565. *Regula II.* est. *Medium non debet ingredi conclusionem. Ratio* est ; quia aliàs idem probaretur per idem , cùm in conclusione nihil diversum ab iis , quæ in præmissis posita sunt , inferretur. Adde , quòd in syllogismis , qui principiis metaphysicis regulantur , inferri debeat : Duo esse eadem , vel distincta inter se , quia in præmissis eadem , vel distincta dicebantur uni tertio ; adeóque *tertium* , sive *medium* in præmissis tantùm poni necesse est.

566. *Obj.* Hic Syllogismus bonus est : *Omne animal est sensitivum ; hoc animal est animal ; ergo hoc animal est sensitivum.* Licèt medium ingrediatur conclusionem ; ergo. R. N. Quòd medium *sub ratione medii* ingrediatur conclusionem ; Nam *Hoc animal* in præmissis est extremum , & sub extremi ratione in conclusione ponitur. *Si reponas* saltem in hoc syllogismo : *Omne currens essentialiter movetur ; sed Petrus est currens ; ergo Petrus currens essentialiter movetur.* Medium ingreditur conclusionem , & tamen bonus est ; ergo. R. N. *ant.* vel D. medium ingreditur conclusionem *directè* , ùt prædicatum , vel subjectum. N. *indirectè* , ùt aliquid determinans subjectum. C.

567.

567. *Regula III.* est: *In altera præmissarum medium debet perfectè distribui. Ratio est:* Quia si medium non perfectè distribuitur in præmissis, extrema non poterunt adæquatè cum illo identificari in præmissis, aut ab eo distingui; consequenter nec poterunt adæquatè identificari inter se, aut adæquatè distingui in conclusione.

568. *Obj.* Hic syllogismus: *Petrus est animal; Petrus est rationalis; ergo aliquod animal est rationale*; est bonus, licèt medium non distribuatur; ergo. R. 1. N. Suppositum, hanc & alias regulas generales datas esse pro ejusmodi syllogismis, qui constant medio singulari; sed sancitæ universim sunt pro syllogismis constantibus medio communi. R. 2. D. 2*dam partem Ant.* Licèt medium non distribuatur *formaliter*. C. & medium non distribuitur *æquivalenter*. N. Distribuitur medium singulare æquivalenter, h. e. licèt sumi non possit pro suis inferioribus copulativè enumerandis; sumitur tamen secundùm totam suam latitudinem, secundùm quam sumi potest; quod exinde colligitur, quia terminus singularis nequit sumi jam distributivè, sive pro se toto, jam disjunctivè, sive pro parte suî, sicut alius terminus communis; cùm divisibilis non sit, sed uni soli affixus; quare etiam individuum dicitur. Idem dic de terminis *simpliciter*, *materialiter*, aut *collectivè* supponentibus, si tamen terminus collectivus sumatur pro singulari collectione. Hinc boni insuper sunt sequentes syllogismi: 1. *Omnia elementa sunt quatuor*,

tuor ; ſed aër , ignis , terra , aqua ſunt omnia elementa ; ergo ſunt quatuor. 2. *Homo eſt ſpecies ; Homo eſt univerſale ; ergo aliquod univerſale eſt ſpecies.* 3. *Aliquis oculus eſt neceſſarius ad videndum ; Sed aliquis , vel omnis oculus* (utrumque enim dicere poſſum) *eſt vel dexter vel ſiniſter ; ergo oculus vel dexter , vel ſiniſter eſt neceſſarius ad videndum.* In his enim medium ſaltem æquivalenter diſtribuitur ex ratione ſupra aſſignata.

569. *Regula IV.* eſt : *Nihil debet diſtribui in concluſione , quod non fuit diſtributum in præmiſſis. Ratio eſt :* Quia terminus non diſtributus particularis eſt , à particulari verò ad univerſale conſequentia non tenet ; cum extrema eatenus ſint eadem inter ſe , quatenus ſunt idem cum uno tertio. Contra hanc regulam peccant ſequentes ſyllogiſmi : *Omne animal ſentit ; omne animal eſt ſubſtantia ; ergo omnis ſubſtantia ſentit. Omne ſenſitivum eſt vivens ; nulla planta eſt ſenſitiva ; ergo nulla planta eſt vivens &c.* Si igitur afferatur ſyllogiſmus , qui benè concludere videtur , erit tantùm bonus *materialiter* , non autem *formaliter.* Patet in ſequentibus : *Omnis homo eſt animal ; ſed lapis non eſt homo ; ergo lapis non eſt animal. Deus eſt adorandus , ſed nullus Sanctus eſt Deus ; ergo nullus Sanctus eſt adorandus.* Ecce ſimiles manifeſtè falſos : *Omnis homo eſt animal ; ſed equus non eſt homo ; ergo equus non eſt animal. Deus eſt invocandus ; ſed nullus Sanctus eſt Deus ; ergo nullus Sanctus eſt invocandus.*

570. *Regula V.* eſt. *Ex puris particularibus nihil ſequitur. Ratio eſt :* Quia , ſi utraque præ-

miſſa

missa sit particularis affirmativa, medium non distribuitur; quod est contra regulam tertiam: Quodsi verò una affirmativa sit, negativa altera, ita ut medium distribuatur, tunc reliqui termini in præmissis non erunt distributi, quorum unus distribuetur in conclusione, adeoque peccabitur contra regulam quartam, vel certè peccabitur rursus contra regulam tertiam. Hinc vitiosi sunt sequentes Syllogismi. *Aliquis homo non est niger; aliquis Æthiops est homo; ergo aliquis Æthiops non est niger. Aliquis homo est sanctus; aliquis homo est impœnitens; ergo aliquis impœnitens est Sanctus. Aliquod animal est homo; aliqua substantia non est homo; ergo aliquod animal non est substantia. &c.*

571. *Obj.* Hic syllogismus: *Aliquis homo est rationalis; aliquod animal est omnis homo; ergo aliquod animal est rationale.* est ex puris particularibus, & est formaliter bonus; ergo. R. N. quòd constet puris particularibus; nam minor est prædicatio inordinata, & ordine constructionis sic poni deberet: *Omnis homo est aliquod animal*, ubi subjectum universale, propositionem quoque universalem facit. *Inst.* 1. Hic Syllogismus ex puris particularibus bonus est: *Aliquis homo est studens Philosophiæ; sed ille homo est Petrus; ergo Petrus est studens Philosophiæ.* R. N. quòd sit ex meris particularibus; medium enim *æquivaleuter* singulare est, adeoque syllogismus est expositorius, de quo hæ regulæ universim non procedunt. *Inst.* 2. Hic syllogismus ex meris particularibus est formaliter bo-

nus : *Equus est brutum ; sed aliquis homo non est brutum ; ergo aliquis homo non est equus.* R. N. rursus syllogismum constare meris particularibus ; sed est in *Baroco*, & majorem universalem habet ; cùm major sit propositio indefinita in materia necessaria, quæ universali æquivalet. *Inst.* 3. Hi Syllogismi boni sunt : *Aliquod rationale est Petrus ; aliquod vivens non est rationale ; ergo aliquod vivens non est Petrus. Aliquod substantivum est homo ; aliquod verbum non est substantivum ; ergo aliquod verbum non est homo.* Sed hi constant meris particularibus. R. N. *min.* Si enim major utriusque fiat propositio ordinata, patebit syllogismos præfatos ex meris particularibus non esse, sic enim erunt in figura tertia, & saltem *æquivalenter* in modo *Baroco.* Adde, quòd regulæ syllogisticæ universim (ùt jam aliquoties monui) pro iis syllogismis inventæ sint, qui habent extrema communia ; quorum rationes sæpè cessant in syllogismis expositoriis, aut habentibus *terminos singulares*, vel *collectivè*, *materialiter*, aut *simpliciter* supponentes. *Inst.* 4. Hic syllogismus : *Aliquod rationale est homo ; nullum brutum est rationale ; ergo nullum brutum est homo* ; ùt jacet falsus est, licèt bonus sit, & in *Camestres*, si major ordinata fiat, dicatúrque : *Homo est rationalis.* ergo idem dicendum est de syllogismis in præcedenti instantia allatis. R. N. C. *Disp. est* : quia præsens syllogismus, ùt jacet, manifestè vitiosus est, quia proceditur à non distributo ad distributum. Econtrà superiores syllogismi, etiamsi concedatur,

datur, quòd, ſicut jacent, ſint ex meris particularibus, vitioſi tamen non ſunt; cùm à regula excipiantur, quia reſpectu illorum ratio regulæ ceſſat.

572. *Regula* VI. eſt. *Ex puris negativis nihil equitur. Ratio eſt.* Quia in puris negativis extrema inter ſe affirmari, nec negari poſſunt; Imprimis non poſſunt affirmari; quoniam in præmiſſis identificata non fuerunt cum eodem tertio. Deinde nec poſſunt negari; quia non *in tertio* ſed *à tertio* duntaxat diſtincta fuêre in præmiſſis. Vide dicta de hac regula *in Prolegomenis*, à n. 22. usque ad n. 23.

573. *Obj.* Hic ſyllogiſmus ex meris negativis formaliter bonus eſt: *Quod non eſt ſpiritus non eſt angelus; Lapis non eſt ſpiritus; ergo lapis non eſt Angelus.* ℟. N. quòd ſit ex meris negativis: Minor enim infinitari debet, & dici: *Lapis eſt non ſpiritus*, ſive lapis eſt diſtinctus à ſpiritu. Cum major eundem ſenſum habeat. Poteris etiam reſolvere hunc ſyllogiſmum juxta modum *numero modò citato* allegatum. *Inſt.* Quælibet propoſitio negativa reduci poteſt ad infinitantem; ergo ſyllogiſmus ex meris negativis erit bonus. ℟. T. *ant.* Hoc enim nugari potiùs foret, quàm prudenter Philoſophari. N. *Conſ.* Quia facto ſuppoſito ſyllogiſmus ſæpè habebit aliud vitium, v. g. quatuor terminos ob medium ſemel infinitatum, & ſemel non infinitatum &c.

574. *Regula VII.* eſt: *Concluſio ſequitur partem debiliorem præmiſſarum*; h. e. 1. Si una præ-

missa sit *particularis*, etiam conclusio talis erit: aliàs procederetur à non distributo ad distributum. 2. Si una præmissa sit *negativa*, conclusio pariter negativa esse debet: aliàs inferretur, extrema esse idem inter se, quia non fuerunt idem cum tertio in præmissis. 3. Si una præmissa sit *contingens*, aut *probabilis*, aut *falsa*, aut *naturalis*; etiam talis ponenda est conclusio; aliàs assereretur, vel negaretur connexio necessaria, certa, vera, aut supernaturalis inter extrema in conclusione; quorum tamen connexio contingenter tantùm, aut probabiliter, aut falsò, aut naturaliter asserta, vel negata fuit in præmissis. Ex his deduces rationem Regulæ generalem esse hanc: Quòd connexio duorum inter se in conclusione fortior & amplior esse non valeat, quàm fuerit in præmissis cum tertio; aliàs effectus foret nobilior suâ causâ.

575. *Obj.* 1. Hic syllogismus, quem affert Aristoteles lib. 2. *de cælo* cap. 4. *Omnes stellæ, quæ non scintillant, sunt propè nos; sed planetæ non scintillant; ergo sunt propè nos*: minorem negativam habet, & conclusionem affirmativam, & tamen bonus est; ergo. R. N. minorem negativam esse; cùm enim τὸ *non* in majori infinitanter sumatur, in minori quoque sic sumi debet, ut retineatur idem medium. Adeóque minor sic ponenda est: *Planetæ sunt stellæ non scintillantes*. *Inst.* 1. Hic syllogismus: *Vel nox est, vel dies est; sed dies non est; ergo nox est*; non servat hanc regulam, & tamen bonus est; ergo. R. D. *cons.* Ergo conclusio non sequitur par-

partem debiliorem in categoricis syllogismis. N. in iis, in quibus major membra inter se pugnantia continet, aut *formaliter*, vel *virtualiter* contradictoria. C. Ratio autem, cur in his ultimis syllogismis conclusio non sequatur partem debiliorem, est hæc: quia una pars contradictionis in minori negatur, igitur altera pars in conclusione necessariò affirmatur, aut viciſſim. Hìc verò de syllogismis categoricis duntaxat loquimur. De hypotheticis, ac compositis posteà agetur. *Inst.* 2. In hoc syllogismo: *Aliquod animal est Petrus; nullum animal est planta; ergo nulla planta est Petrus.* Conclusio est universalis, & major est particularis; ergo. R. 1. Regula hæc non spectat syllogismum constantem termino singulari; quia in tali casu cessat ratio regulæ. R. 2. In hoc syllogismo est prædicatio inordinata, cùm terminus singularis de particulari prædicetur. Igitur ordinatè sic poni deberet syllogismus: *Petrus est aliquod animal; nullum animal est planta; ergo Petrus non est planta:* qui utique bonus est. *Inst.* 3. In hoc syllogismo: *Omne brutum est substantia; nullum brutum est rationale; ergo aliquod non rationale est substantia.* Conclusio est particularis affirmativa licet una præmissa sit universalis affirmativa, & altera negativa, & tamen syllogismus benè concludit. ergo. R. D. 2*dam partem ant.* Et tamen benè concludit vi formæ syllogisticæ præcisè. N. vi conversionis. C. Allatus syllogismus, ùt hìc jacet, habet quatuor terminos: *Brutum, Substantia, Rationale, Non rationale.* Si verò

conclusionem sic convertas: *Ergo aliqua substantia non est rationalis*, eique applices præmissas sic: *Nullum brutum est rationale; omne brutum est substantia:* habebis syllogismum bonum in *Fellapton. Inst.* 4. In hoc syllogismo: *Quidquid physicè existit, est ens; sed Paulus physicè existit; ergo est ens:* minor est contingens & conclusio est necessaria; ergo. R. D. *ant.* Et conclusio *materialiter* sumpta, & *ùt consequens*, est necessaria. C. *formaliter* accepta, & *ùt deducta*, sive *ùt consequentia* est N. h. e. Petrus est quidem secundùm se necessariò ens: quoniam verò in præsenti Syllogismo asseritur, Petrum ideò esse ens, quia existit; hinc sicut existit contingenter, ita etiam vi hujus syllogismi est contingenter ens. Eodem modo in hoc syllogismo: *Omnis lapis est substantia; sed Paulus est lapis; ergo Paulus est substantia:* Conclusio *materialiter* accepta vera est, non autem *formaliter*; cùm falsum sitPetrum ideò esse substantiam,quia lapis est.

576. *Obj.* 2. Ex hac regula sequeretur, præmissam nobiliorem, v. g. universalem, aut affirmativum, non esse causam conclusionis; sed hoc dici nequit; ergo. R. D. *maj.* Non esse causam quatenùs nobilior, v. g. universalis, vel affirmativa est. C. quatenus connexio est unius extremi cum medio. N. *Inst.* 1. Effectus sequitur causam perfectiorem; v. g. dum duo equi eundem trahunt currum, currus sequitur equum fortiorem; ergo etiam conclusio præmissam perfectiorem sequitur. R. D. *ant.* Sequitur causam perfectiorem, si utraque causa *divisibiliter* in-

influat, nec causa perfectior ab imperfectiore impediatur. C. si ambæ *indivisibiliter* influant, & perfectior impediatur ab imperfectiore. N. Præmissæ autem influunt in conclusionem indivisibiliter; i. e. constituunt unam indivisibilem connexionem ac causalitatem, ita, ut neutra secundùm se accepta, causalitatem propriam habeat, sed una dependeat ab altera, & impediri possit. Ex his etiam patet disparitas ad paritatem allatam; nam equi divisibiliter solùm trahunt eundem currum, i. e. quilibet habet causalitatem propriam, & ab altero independentem, nec ab eo impedibilem. *Inst.* 2. Si equus ex una parte vinculis ferreis, ex altera verò parte funiculo debili simul alligetur, dicitur simpliciter firmiter ligatus; ergo etiam intellectus præmissâ unâ debili, & alterâ firmâ firmiter ligatur in ordine ad assensum conclusionis. ℟. D. *ant.* Si equus per dicta vincula ligetur *divisibiliter*. C. si *indivisibiliter*, hoc est, si uno ligetur vinculo, quod ex parte ferreum est, ex altera verò funiculo debili constat. N. In hoc ultimo ligamine est paritas cum præmissis in conclusionem influentibus, non autem in priori. *Inst.* 3. Ex universalibus præmissis sequi potest particularis conclusio; ergo etiam ex particulari universalis. ℟. N. *Cons. Disp.* est: Quia ex eo, quod plus est, facilè sequitur, quod minus est, non verò vicissim. Adde, quòd particularis sub universali contineatur. *Inst.* 4. Denominatio sumitur à potiori; ergo conclusio sequitur partem nobiliorem. ℟. 1. Sequeretur, quòd

quòd omnis effectus à Deo, & creatura productus simpliciter infinitus dici deberet. R. 2. D. *ant.* sumitur à potiori in prædicatis divisibilibus ratione *extensionis* in quantitate, aut ratione *intensionis* in qualitate; sicut æthiops simpliciter niger dicitur, licèt sit secundùm quid albus. C. In prædicatis indivisibilibus. N. in his enim valet aliud axioma: *Bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu. Inst.* 5. Habitus supernaturales cum intellectu producunt eundem actum, actus tamen non naturalis, sed supernaturalis dicitur; ergo à pari. R. N. C. *Disp. est*: Quia habitus, & intellectus producunt actum ùt duæ causæ partiales, & in diverso genere causæ. Præmissæ econtrà conclusionem in eodem genere causæ, & ut una causa producunt. *Nec obstat*, quod præmissa certa v. g. fortior sit probabili; nam licèt fortior sit ratione suî, fortior tamen non est in ordine ad conclusionem: quia hanc non ratione suî, sed ratione connexionis extremorum cum medio causat, quæ in concursu præmissæ debilis, simpliciter debilis est, sicut ligamen constans parte ferreâ & firmâ, & alterâ parte debili v. g. ex filo serico, simpliciter debile dicitur.

577. *Reflexio.* Vitiosus est omnis syllogismus categoricus, qui contra unam ex his regulis peccat. Id tamen observatum hucusque est, quòd syllogismi vitiosi plerumque à tribus hisce regulis deficiant: *syllogismus tres terminos habere debet. Medium debet in altera præmissarum distribui. Non debet procedi à non distributo ad distributum.*

butum. His enim & aliæ regulæ innituntur. Ad has proinde ſiquis benè advertat, ſyllogiſmorum fallacias, ac vitia facilè deteget. Siquis autem varias, quæ in ſyllogiſmis occurrere poſſunt, fraudes accuratiùs inſpicere cupiat, is utiliter legere per otium poterit Tract. 4. p. 2. *Dialecticæ P. Du Trieu*, Item *Cornæum* Tract. 4. *Summul. Semery* & alios.

§. III.

Quænam ſint ſpeciales cujuslibet figuræ Regulæ?

578. *Dico.* Allatæ hactenus, & explicatæ generales ſyllogismorum leges Scaturigines quaſi ſunt, ex quibus ſpeciales cujuslibet figuræ regulæ derivantur. Hinc ſpecialem non transgredieris regulam, quin contra aliquam ex generalibus pecces. Proinde regulis generalibus jam fusè ſatis explicatis, ſuperfluum duco, ſpecialibus figuræ cujuslibet regulis diutiùs immorari; eas igitur breviter recenſebo, ſuisque rationibus ſuccinctè ſtabiliam. Sunt autem ſequentes:

REGULÆ PRIMÆ FIGURÆ.

Sit minor affirmans, nec major Particularis.

Complectitur hic verſus duplicem primæ figuræ regulam. *Prima eſt: Ex minore negante nihil ſequitur. Ratio eſt:* Quia proceditur à non diſtributo ad diſtributum; ùt videre eſt in hoc ſyllogiſmo: *omnis homo eſt animal; nullum brutum eſt homo; ergo nullum brutum eſt animal:* ubi *Animal* in majori non diſtribuitur, diſtribuitur autem in Con-

Conclusione. *Secunda est: Ex majori particulari nihil concluditur. Ratio est:* Quia medium non distribuitur: medium enim in majore particulari in qua est subjectum non distribuitur; nec distribuitur in minore affirmativa, in qua est prædicatum, cùm minor affirmativa, licèt universalis sit, subjectum duntaxat distribuat. Unde legitimus non est hic syllogismus: *Aliquod animal est Leo; Omnis lupus est animal; ergo omnis lupus est Leo. Si dicas:* Hic syllogismus: *Omnis homo est animal; nullum brutum est homo; ergo aliquod animal non est brutum.* Minorem habet negativam, & tamen benè concludit; ergo prima regula fallit. R. D. *ant.* Et hic syllogismus *indirectè* concludit in *Fapesmo.* C. Et concludit *directè.* N. Hæc autem regula intelligenda tantùm est de syllogismis *directè* concludentibus. Si igitur conclusionem *directè* sic inferas: *Ergo aliquod brutum non est animal:* Videbis syllogismum vitiosum esse ex ratione regulæ. Idem dic ad syllogismum constantem majore particulari, & indirectè concludentem in *Frisesom.* Quæ ulteriùs contra has regulas objici possent, vide n. 568. & n. 569.

REGULÆ SECUNDÆ FIGURÆ.

Una negans præeat, nec major sit specialis.

Duæ porrò regulæ pro secunda figura in hoc carmine continentur. *Prima est: Ex puris affirmativis in secunda figura nihil sequitur. Ratio est:* Quia medium non distribuitur, ùt videre est in hoc syllogismo: *Omne brutum est ani-*

animal; omnis homo est animal; ergo omnis homo est brutum. Secunda est: Ex majori particulari nihil concluditur: proceditur enim à non distributo ad distributum, ùt fit, quando dicis: *Aliquod animal est homo; nullus equus est homo; ergo nullus equus est animal.*

REGULÆ TERTIÆ FIGURÆ.

Sit minor affirmans, conclusio sit specialis.

Leges rursus duas hic versus continet. *Prima est: Ex minore negativa nihil sequitur;* transitur enim à non distributo ad distributum; ùt vides in hoc syllogismo: *Omnis homo est substantia; nullus homo est lapis; ergo aliquis lapis non est substantia. Secunda est: Conclusio sit particularis;* aliàs rursum à non distributo ad distributum proceditur; ùt in hoc syllogismo: *Omne animal vivit; Omne animal est substantia; ergo omnis substantia vivit.*

§. IV.

Quænam sint peculiares syllogismorum compositorum, ac Expositorii Regulæ?

579. *Dico* 1. Syllogismi Compositi, si resolvi in simplices possint, regulis syllogismorum simplicium diriguntur, quas §. 2. hujus articuli explicavimus. Hinc syllogismus compositus bonus, aut falsus erit, prout simplex, in quem resolvitur bonus aut falsus est. v. g. Hic syllogismus: *Qui dicit hominem esse animal, verum dicit; sed qui dicit hominem esse equum, dicit hominem esse animal; ergo qui dicit hominem*

esse

esse equum verum dicit : falsus est, quia resolvitur in hunc simplicem vitiosum : *Omnis homo est animal ; omnis equus est animal ; ergo omnis equus est homo :* in quo medium non distribuitur. Quòdsi verò Syllogismi compositi ad simplices resolvi non possint, fundari debent in regulis communibus bonæ consequentiæ, quas in §. sequenti afferam. Sunt porrò ex syllogismis compositis maximè in usu *Disjunctivus, conditionalis, copulativus.* Es his copulativus specialem difficultatem non patitur sed ejus bonitas aut vitium facilè dignosci potest, si omissis particulis copulativis resolvatur in syllogismum simplicem, qui si legitimus sit, aut vitiosus, ipse quoque legitimus aut vitiosus erit. Hoc igitur omisso de reliquis porrò agemus, quibus subjungemus regulas pro syllogismo exponibili, & expositorio.

580. *Dico* 2. Syllogismus disjunctivus sequentes regulas habet sibi peculiares : I. est : *Si medium in majore & minore disjunctivè ponatur, conclusio non erit legitima. Ratio est :* Quia medium disjunctum se habet, ùt medium non distributum ; adeoque uni extremo secundùm unam partem, & alteri secundùm alteram convenire potest. Hinc vitiosè concludit hic syllogismus : *Vel Joannes, vel Andreas est furatus centum aureos ; sed hic homo est vel Joannes, vel Andreas ; ergo hic homo est furatus centum aureos.* II. est : *Si major disjunctiva affirmet duo membra, & minor unum eorum neget, conclusio affirmans alterum erit legitima.* Evincit hoc ratio manifesta :

festa: Nam ex suppositio, quòd major disjunctiva vera sit, tunc necessariò unum membrum ita se habet, ùt major enuntiat; uno igitur membro in minore verè negato, alterum in conclusione rectè negatur. Patet id in hoc syllogismo: *Vel dies est, vel nox est; sed non est nox; ergo dies est.* III. est: *Si major disjunctiva duo membra affirmet, & minor affirmet unum, conclusio non benè negat alterum*: Quia propositionis disjunctivæ veritati non obest, si utrumque membrum disjunctum verum sit, ùt dictum est n. 504. Patitur tamen hæc regula exceptionem: Si enim particula disjunctiva *exclusivè* Sumatur, aut si disjunctio fiat *inter membra pugnantia*, tunc affirmato uno in minore; rectè negabitur membrum alterum in conclusione; cùm utrumque membrum ita esse nequeat. Hinc benè dico: *Vel Dies est, vel nox est; sed dies est; ergo non est nox.* Adverte tamen, Sophistas subinde abuti hac exceptione, v. g. in hoc syllogismo: *Vel Petrus est doctus, vel non est doctus; sed Petrus est doctus; ergo non est doctus*: Ubi in conclusione non negatur totum membrum disjunctivæ propositionis, & hinc non concluditur. Conclusio proinde sic ponenda esset: *Ergo Petrus non est non doctus.* IV. est: *Si major disjunctivè neget duo membra, tunc altero eorum in minore verè affirmato, alterum benè negatur in conclusione.* Si autem in hoc casu *minor unum membrum neget, conclusio non semper rectè affirmat alterum.* Rationem utriusque partis desume ex duplici regula immediatè præcedente.

Dixi.

Dixi: *non semper*, ob exceptionem in tertia regula positam. V. est: *Si minor, & conclusio sit disjunctiva, iidem termini in utraque propositione disjungendi sunt.* v. g. *Omne animal est sensitivum; sed vel Quercus, vel Bucephalus est animal, ergo vel Quercus vel Bucephalus est sensitivus.* Plura de his vide apud Casilium lib. 3. cap. 17. à n. 37. usque ad finem capitis.

581. *Dico* 3. Syllogismus conditionalis dicitur ille, qui unam aut plures propositiones hypotheticas habet. Reducuntur autem ad propositiones hypotheticas etiam illæ, quæ particulis constant vel *Causalibus*, ùt hæc: *Quia Petrus ferventer orat, hinc gratiam accipit.* Vel *Relativis.* v. g. *Quod est animal, est sensitivum.* Vel *Adverbiis temporis, aut loci.* v. g. *Ubi, vel quando sol est, ibi, vel tunc dies est.* Pro syllogismis ejusmodi propositionibus constantibus assignantur sequentes regulæ. I. est: *Si omnes propositiones in syllogismo sint hypotheticæ, tunc quælibet earum integrum syllogismum categoricum complectitur.* Si igitur hi syllogismi categorici sint legitimi, etiam conditionalis legitimus erit. v. g. Hic syllogismus: *Si homo est animal, est sensitivus, si est sensitivus est vivens; ergo si homo est animal, est vivens*: bonus est, quia hic syllogismus: *Omne animal est sensitivum; omnis homo est animal; ergo omnis homo est sensitivus*: quem complectitur major, bonus est. Similes syllogismos, & minor, & conclusio præfati syllogismi hypothetici in se continent, quia æquivalenter tres in se terminos, duasque copulas habent. II. est:

Si

Si major conditionalis vera sit, & minor conditionem affirmet, tunc etiam conclusio verè affirmabit conditionatum. Econtrà si minor neget conditionem, propterea conclusio non statim rectè negabit conditionatum. Juxta hanc regulam benè sequitur: *Si Petrus intrabit cauponas, se inebriabit; sed Petrus intrabit cauponas; ergo se inebriabit.* Malè autem concluditur sic: *Si Petrus intrabit &c. sed Petrus non intrabit cauponas; ergo se non inebriabit.* Posset enim inebriare se, quin intret cauponas. III. est: *Si major conditionalis vera sit, & in minore negetur conditionatum, tunc conclusio benè negabit conditionem, malè autem conclusio conditionem affirmabit, si minor conditionatum affirmet.* Patet hoc in exemplis obviis. *Ratio* autem hujus, & prioris regulæ est, quia non necessariò datur mutua inter conditionem, & conditionatum connexio. IV. est: *Syllogismus conditionalis malè concludet, si conditio, vel restrictio in minore adjecta destruat veritatem majoris.* Hinc non sequitur: *Si Joseph allicietur ad inhonesta peccabit; sed Joseph allicietur ad inhonesta, & non consentiet; ergo Joseph peccabit. Ratio est:* Quia restrictio termini, si non ubique adhibeatur, inimica est bonæ consequentiæ.

582. *Dico* 4. Syllogismus exponibilis est, qui constat propositionibus exponibilibus, de quibus vide *n.* 485. Quemadmodùm verò propositiones exponibiles vel *Exceptivæ*, vel *Exclusivæ*, vel *Reduplicativæ* sunt; ita pariter Syllogismi ejusmodi vel *Exceptivi*, vel *Exclusivi*, vel *Reduplicativi* appellantur. Pro his syllogis-

mis sequentes assignantur regulæ. I. est: *Syllogismi exponibiles boni sunt, si boni sint simplices, per quos exponuntur, & quibus æquivalent.* Sic bonus est hic: *Tantùm homo est capax Philosophiæ; sed animal à longis auribus infame, non est homo; ergo animal à longis auribus infame non est capax Philosophiæ.* Cujus ratio est; quia æquivalet huic simplici pariter bono: *Nullum animal ab homine distinctum est capax Philosophiæ; sed animal à longis auribus infame est animal ab homine distinctum; ergo animal à longis auribus infame non est capax Philosophiæ.* Econtrà hic syllogismus fallit: *Omnis Gallus est homo; sed tantùm in Gallia natus est Gallus; ergo tantùm in Gallia natus est homo:* fallit enim & hic syllogismus, cui æquivalet: *Omnis Gallus est homo, sed nullus in Gallia non natus est Gallus; ergo nullus in Gallia non natus est homo:* in quo proceditur à non distributo ex parte majoris extremi, ad distributum in conclusione. II. est: *Exceptio, vel reduplicatio semel adjuncta termino, semper eidem termino adjungenda est.* Aliàs in syllogismo erunt quatuor termini, út in hoc: *Omnis homo quà Logicus est doctus; sed Petrus est homo; ergo Petrus est doctus.* III. est: Particula exclusiva ponenda non est in conclusione ante copulam, nisi in utraque præmissa præcesserit; aliàs inferetur id, quod non ponebatur in præmissis; út si dicas: *Nullum risibile est lapis; tantùm homo est risibilis; ergo tantùm homo non est lapis.*

583. *Dico* 5. Syllogismus expositorius dicitur, qui constat medio singulari. Dicitur exposito-

positorius, quia exponit, & explicat syllogismum constantem medio communi. Fieri quidem potest hic syllogismus in quâvis figura, aptissimè tamen fit in tertia; quia medium singulare aptissimè subjicitur. Si sit affirmativus, nititur principio affirmativo metaphysico: *Quæcunque sunt eadem uni tertio &c.* Si autem sit negativus, fundatur in altero principio metaphysico negativo: *Quæcunque distinguuntur in uno tertio &c.* Cæterùm servari accuratè in hoc syllogismo debet medii singularitas, ne scilicet intelligatur de diversis, aut pluribus identificetur; aliàs non tenet conclusio, ùt in hoc syllogismo: *Natura divina est pater, natura divina est Filius; ergo Filius est Pater.* Ubi medii singularitas non accuratè servatur, cùm natura divina diversis identificetur, nempe Patri, & Filio. Vel, ùt alii dicunt, medium in hoc syllogismo non distribuitur; quia dici non potest: *Quidquid est natura divina est Pater.* Advertendum prætereà, quòd syllogismus expositorius in secunda figura constare possit meris particularibus. *Ratio est:* Quia non obstat ratio de distribuendo medio, cùm medium singulare non possit secundùm aliquid necti cum uno extremo, & secundùm quid cum alio, sicut in syllogismo constante puris particularibus, & medio communi. Adeoque in ejusmodi syllogismo servatur adhuc principium metaphysicum: *Quæ sunt eadem uni tertio &c.* Fusiùs hæc omnia tractârunt. Casilius *in suis summulis lib.* 3.

Haunoldus *in Log. pract.* p. 1. c. 4. Toletus, Fonseca, & alii.

584, *Reflexio I.* Quidam accuratiùs syllogismos examinantes, distinguunt inter syllogismum compositum, & complexum. *Complexum* dicunt illum, cujus una præmissa tantùm terminis complexis, & unâ copulâ constat, non autem pluribus propositionibus simplicibus. Talis, cùm ad syllogismum simplicem reduci debeat, ejus quoque regulis subjacet. Ut verò syllogismum ejusmodi benè reducas, ad ejus conclusionem præcipuè attendas necesse est. Hæc si affirmativa sit, præmissas quoque affirmativas pone; si negativa, una saltem præmissa, & præcipuè major negativa sit oportet. V. g. Hunc syllogismum complexum: *Qui non est in gratia, damnabitur; sed impius non est in gratia; ergo damnabitur:* optimè sic reduces: *Non constitutus in gratia damnabitur; sed impius est non constitutus in gratia; ergo damnabitur.* Quodsi verò conclusio esset negativa, syllogismum benè reduceres sic: *Non constitutus in gratia, non salvabitur; sed impius est non constitutus in gratia; ergo non salvabitur. Syllogismum compositum* dicunt illum, qui unâ saltem præmissâ compositâ in plures propositiones simplices resolubili constat. De hoc in præsenti §. actum est. II. Certum est, quòd non omnes syllogismi simplicis regulæ servari in composito possint. Sic hic syllogismus: *Vel Dies est, vel nox est; sed non est dies; ergo nox est:* inprimis non habet medium propriè dictum, cum quo duo con-

veniant extrema. Deinde concluſio non ſequitur partem debiliorem. Idem dic de hoc ſyllogiſmo: *Aut mundus errat, aut Chriſtus fallitur; ſed Chriſtus non fallitur; ergo mundus errat.* III. Omnes propoſitiones compoſitas, omnésque ſyllogiſmos compoſitos ad ſimplices reducere velle, inanis labor eſt. Sæpè enim inter terminos, quorum connexio per propoſitionem compoſitam affirmatur, aut negatur, non eſt identitas, aut ſtricta repugnantia; ſed tantùm quædam exiſtentiæ connexio; cùm tamen in propoſitione ſimplici affirmetur, aut negetur identitas. Hinc non reduces hunc aut ſimilem ſyllogiſmum: *Si ſol eſt, dies eſt; ſed ſol eſt; ergo dies eſt:* Si enim dicas: *Præſentia ſolis eſt dies:* propoſitionem hanc ponere quidem locò prioris potes; Hæc tamen priorem ſtrictè non reſolvit, cùm alio prædicato conſtet.

§. V.

Quænam ſint Regulæ bonæ conſequentiæ?

585. Regularum bonæ conſequentiæ aliæ ſunt generales, particulares aliæ. Has antequam ponamus, advertendum, quòd Antecedens in diſcurſu verum, vel neceſſarium dicatur, quando utraque præmiſſa vera, vel neceſſaria eſt; ſi enim vel una ex præmiſſis falſa ſit, aut contingens, vel impoſſibilis, totum Antecedens falſum, contingens, aut impoſſibile dicitur. Præſciendum prætereà eſt, quòd hæ regulæ de ſyllogiſmo formaliter bono procedant. Recenſentur autem paſſim Regulæ generales bonæ conſequentiæ ſequentes.

I. *Ex verò non nisi verum sequitur; Ex falso autem supposito tanquam vero, etiam verum deduci potest. Ratio 1mæ partis est:* Quia id, quod ritè sequitur, necessariam habet connexionem cum illo, ex quo sequitur; sed quod necessariam cum vero connexionem habet, non nisi verum esse potest; ergo. *Ratio 2dæ partis est:* quia illa consequentia est bona, quæ ex recta terminorum ac propositionum dispositione sequitur; sed recta ejusmodi dispositio haberi quoque potest in materia de se falsa, suppositâ tamen tanquam vera; ergo. Imo non tantùm consequentia, sed etiam consequens in tali casu verum esse potest; quia duo extrema connexa inter se, connecti in præmissis possunt cum medio falso; ùt si dicas: *Omnis planta est rationalis; omnis homo est planta, ergo omnis homo est rationalis.* Dixi tamen notanter: *Ex falso supposito tanquam vero.* Verum enim connecti nunquam potest cum *absolutè falso.*

586. II. *Falsum non nisi ex falso legitimè sequitur.* Ratio hujus regulæ facilè colligitur ex ratione primæ partis regulæ præcedentis.

587. III. *Ex contingenti legitimè sequitur contingens, imò etiam necessarium.* Partem primam ipsa experientia probat, quæ docet, sæpè inferri contingens, quod tamen ex necessariò inferri nequit, ùt statim patebit. *Pars secunda* inde constat; Eòquod duo extrema contingenter tantùm connexa cum tertio, possunt necessariò connexa esse inter se: ùt vides in hoc syllogismo: *Quidquid currit est animal; Petrus currit;*

rit; *ergo Petrus est animal*: quo in syllogismo ex minore contingente sequitur conclusio necessaria. *Si opponas*: Hoc pugnare cum regula septima communium, quæ exigit, ut conclusio sequatur partem debiliorem. R. N. Nam regula communium allegata intelligenda tantùm est de conclusione formaliter tali, & ùt deducta est ex præmissis, quæ in allegato etiam syllogismo contingens est. Igitur allegata conclusionis præsentis necessitatas aliunde est, quàm à præmissis contingentibus. *Si dicas*: Ex hac regula sequeretur, quòd ex vero posset fieri falsum, quod tamen in prima regula negatum est. *Probas assertum.* Contingens potest esse falsum; ergo. R. D. *ant. probat.* Potest esse falsum *absolutè.* C. Si supponatur tanquam verum, ùt regula prima dicit. N. *Inst.* Præmissis contingentibus concessis, sequitur conclusio necessaria; ergo. R. D. *ant.* Sequitur conclusio necessaria *necessitate consequentiæ.* C. necessitate consequentis. N. Præsens autem regula non est de consequentia, quæ in omni syllogismo legitimo necessaria est; sed de consequente.

588. IV. *Ex necessario non nisi necessarium sequitur*; *id quod sequi etiam potest ex impossibili supposito tanquam vero, vel conditionatè affirmato. Ratio* 1*mæ partis est*: Quia aliàs ex vero posset sequi falsum; nam si non sequeretur necessarium; ergo sequeretur vel contingens, vel impossibile: contingens autem potest esse falsum; impossibile verò semper est falsum. Accedit, quòd ea, quæ sunt necessariò connexa cum uno ter-

tio, etiam necessariò connexa sint inter se, saltem physicè; ergo si duo necessario fuerunt connexa in præmissis cum medio, etiam necessariò connexa sunt inter se. *Ratio 2dæ partis est*: Quia duo extrema possunt inter se necessariò necti, ex suppositio, quòd connectantur ita cum tertio, sive medio impossibili. *Si dicas contra 1mam partem*: Ex contingenti sequi potest necessarium; ergo etiam ex necessario contingens. ℟. N. *Cons. Dispar est*: Eòquod duo necessariò connecti inter se possint, quin connectantur necessariò eidem tertio. Econtrà nequeunt duo necessariò connecti eidem tertio, quin necessariò connectantur inter se. *Si reponas*: Oppositorum eadem est disciplina, sive ratio; ergo. ℟. D. *ant.* Eadem est disciplina simpliciter N. secundùm quid. C. Allegati axiomatis sensus est: quòd, qui cognoscit oppositum unum, suo modo alterum quoque cognoscat. *Si urgeas*: Hic syllogismus: *Omne currens est vivens; omne currens movetur; ergo aliquod vivens movetur*: præmissas necessarias habet, & conclusionem contingentem; ergo. ℟. N. *ant.* Si enim syllogismus supponatur bonus, conclusio sumitur *conditionatè*, sicut præmissæ, habétque hunc sensum: *ergo aliquod vivens movetur, si existat currens*; quo in sensu conclusio necessaria est, sicut præmissæ. Si autem conclusionem non sumas conditionatè, syllogismus quatuor terminos habebit, quia in conclusione subjecti existentiam affirmat, quam non asserit in præmissis.

589.

589. V. *Ex possibili sequi nequit impossibile. Ratio est:* Quia si duo extrema identificari possint cum tertio in præmissis, identificari quoque valent inter se in conclusione. Hinc etiam natum est vulgatum illud: Ex possibili in actu posito non sequitur impossibile. De his fusiùs agit P. Haunoldus *in Log. pract.* p. 2. cap. 1. a. 2. Item Honoratus Fabri *de Artificio consequentiæ.* Præter regulas has generales assignantur aliæ adhuc magis particulares, quæ sunt veluti axiomata, ad dirigendas argumentationes perutilia.

590. *Primum est: Si duo necessariò, ac mutuò, connectantur inter se, tunc ab uno eorum posito, vel negato, valet consequentia ad alterum positum, vel negatum.* Sic quia partes simul sumptæ necessariò connectuntur cum toto, Definitio cum definito, Dies cum sole, ab uno eorum mutua valet consequentia. *Secundum est: Posito antecedente, i. e. prædicato inferiori, benè ponitur consequens, i. e. superius, sed non vicissim.* Inferiora enim necessariam habent cum superioribus connexionem; superiorum autem cum inferioribus connexio necessaria non est. Sic bene dico: *Corpus est; ergo substantia est. Homo est, ergo animal est &c.* sed non vicissim. Axioma hoc tenet in iis omnibus, quæ connexionem *necessariam* quidem habent, sed *non mutuam. Tertium est: Negato consequente, sive superiore prædicato, bene negatur inferius.* V. g. *Non est vivens; ergo non est animal.*

591. Pro Syllogismis ex obliquis observanda denique sequentia. I. Ejusmodi syllogismi

benè concludunt, si manente eodem sensu resolvi possint in syllogismum bonum constantem terminis rectis. II. Si minus extremum in minore positum in recto sit, congruè in obliquo ponitur in conclusione, si medium in majore etiam in obliquo positum fuerit. v. g. *Omnis creaturæ datur initium; sed homo est creatura; ergo hominis datur initium.* III. Majus extremum ritè ponitur in conclusione in obliquo, si terminus medius in minore pariter in obliquo positus fuerit. v. g. *Omnis homo est animal; hic actus est hominis; ergo hic actus est animalis.*

ARTICULUS III.

De Principiis perfectivis Syllogismorum.

592. *Nota.* Principia perficientia sunt illa, quibus syllogismi imperfecti ad perfectos reducuntur. Principia ejusmodi duo recensent Dialectici, *Conversionem* scilicet, & *Præmissarum transpositionem*, quibus addunt *Expositionem.* De conversione actum est *n.* 24. 25. 26. item *n.* 527. Qua ratione autem & quando convertendæ, ac transponendæ in reductione præmissæ sint, tres potissimùm reductionis species exhibent, quarum prima *Ostensiva* dicitur. Altera *Reductio per Expositionem.* Tertia *Reductio per impossibile.* De duabus primis consule Dialecticam vulgatam P. Du Trieu, quæ eas *Tract.* 3. *p.* 2. 2. *cap.* 2. *a.* 3. satis accommodè explicat. Nec minùs idonea est methodus, quam Dialectica citata pro ordinanda reductione per impossibile assignat. Verùm

rùm cùm admodùm succinctè posita sit, & cæteroquin reductio per impossibile non parùm utilitatis habeat, illam ipsam methodum nonnihil explicatiùs hìc tradam; omisso tamen carmine illo: *Phœbifer axis obit terras, sphæramque quot annis.* Ad quod reflectere nonnullis ævi nostri Philosophis nimis molestum videtur.

593. *Dico.* Reductio per impossibile est, *Quando ex contradictoria conclusionis negatæ, & unâ præmissâ concessâ formatur syllogismus perfectus concludens contradictoriam, vel contrariam alterius præmissæ concessæ.* Sterilis non est hæc reductio, sed fructum parit, eumque jucundissimum, qui laborem omnem, quem Philosophus in artificio hoc addiscendo ponit, abundè compensat. Nam præter ingenii subtilioris, feliciorísque memoriæ laudem, quam prorsus singularem exinde consequitur, id quoque utilitatis ex eo decerpit, quòd Adversarium concessis præmissis consequentiam in bono syllogismo negantem erroris convincere possit, eique invictè demonstrare, quòd vel malè adstipulatus fuerit præmissis, vel iis concessis erroneè consequentiam negârit, vel quòd duo contradictoria simul admittere cogatur. Potest hæc reductio fieri in modis omnibus, si tamen in quatuor primis modis directis figuræ primæ instituatur, potiùs *Obversio*, quàm *Reductio* dicenda est, cùm non fiat syllogismi imperfecti in Perfectum transmutatio. Regularum, juxta quas hæc reductio faciliùs instituitur, *Prima* pro figura prima his versibus continetur:

Major

Major fit Minor, ut sit contradictio Majori:
Excipe Celantes, *in quo convertitur ordo.*

Explicatur: Præprimis in reductione per impossibile investiganda est propositio negatæ conclusionis contradictoria: hæc necessariò concedenda propositio in syllogismo reducente unius ex præmissis locum obtinebit. His suppositis, Regula pro syllogismis reducendis in prima figura modò allegata præcipit, ut contradictoria negatæ conclusionis occupet locum *Majoris*, ipsa verò *Major* syllogismi reducendi descendat in locum *Minoris*, & omissa denique syllogismi reducendi *Minore*, ponatur conclusio, quæ ex ejusmodi præmissis aptè inferri potest. v. g. Si quis concessis præmissis neget consequentiam hujus syllogismi in *Baralip*:

Omne sensitivum est vivens;
Omnis homo est sensitivus; ergo
Aliquod vivens est homo.

Ut probes malè negari consequentiam, inquire contradictoriam conclusionis, quæ hæc est. *Nullum vivens est homo.* Hanc & reliqua juxta datam explicationem dispone, & consurget hic syllogismus in *Celarent.*

Nullum vivens est homo;
Omne sensitivum est vivens; ergo
Nullum sensitivum est homo.

Quæ conclusio *mediatè* saltem contradictoriè opponitur *Minori* in syllogismo superiori concessæ. Dixi *mediatè*; quia minor hæc: *Omnis homo est sensitivus*, complectitur hanc particularem: *Aliquis homo est sensitivus*; & hæc conclusio:

Nul-

Nullum sensitivum est homo, si simpliciter convertatur sic: *Nullus homo est sensitivus*; contradictoriè oppositа est isti propositioni: *Aliquis homo est sensitivus.* Excipitur ab hac regula, ùt secundum carmen indicat, modus *Celantes*; ut enim syllogismus in Celantes reducatur per impossibile, contradictoria conclusionis poni debet loco Minoris, & ipsa minor propositio syllogismi reducendi debet subire vices *Majoris*, ac denique omissâ majore inferri debet conclusio, quæ ex præmissis ita transmutatis inferri potest.

594. *Regula secunda* pro syllogismis in figura 2da reducendis hoc carmine comprehenditur:

Servat Majorem, variátque secunda minorem.

Explicatur: In syllogismo secundæ figuræ reducendo retinenda est *Major*; loco Minoris ponitur propositio contradictoria negatæ conclusionis, & omissâ minore syllogismi reducendi infertur conclusio, prout ex præmissis ita transpositis inferri potest· v. g. Si concessis præmissis negetur conclusio hujus syllogismi in *Cesare*:

Nulla planta est sensitiva;
Omne animal est sensitivum; ergo
Nullum animal est planta.

Hanc conclusionem malè negari optimè evinces, si propositionem hanc: *Aliquod animal est planta*, quæ est contradictoria conclusionis negatæ, ponas loco *Minoris*, & *Majore* loco relictâ concludas in *Ferio* sic:

Nul-

Nulla planta est sensitiva ;
Aliquod animal est planta ; ergo
Aliquod animal non est sensitivum.

595. *Regula Tertia* pro syllogismis figuræ 3tiæ sequenti carmine exhibetur.

Tertia Majorem variat, servátque Minorem.

Explicatur : Si syllogismus sit in tertia figura, ejus reductio hoc modo instituenda est: Primò propositio contradictoria conclusionis pro *Majore* adhibetur. Deinde retentâ Minore omittitur syllogismi reducendi Major. Denique infertur conclusio, ùt potest. Exempli loco sit hic syllogismus in *Darapti :*

Omnis Rex est mortalis ;
Omnis Rex est homo ; ergo
Aliquis homo est mortalis.

Syllogismum hunc ut ritè reducas, accipe primò contradictoriam conclusionis, eamque pro *Majore* substitue. Postea servatâ *Minore* pone conclusionem, quæ ex præmissis ita dispositis sequitur, formabisque hunc syllogismum in *Celarent:*

Nullus homo est mortalis ;
Omnis Rex est homo ; ergo
Nullus Rex est mortalis.

596. Pro dignoscendo modo perfecto, ad quem syllogismus imperfectus reducendus est, attendere juvat ad præmissarum dispositionem in syllogismo reducente occurrentem. Quodsi enim assumptâ conclusionis negatæ contradictoriâ, unáque præmissarum retentâ duas habeas propositiones universales affirmativas, syllogismum

gismum reduces ad *Barbara*. Si verò alteram universalem negativam habeas, & affirmativam alteram, reduces ad *Celarent*. Pariformiter dignosces, quando ad *Darii*, vel ad *Ferio* instituenda sit reductio.

DISPUTATIO III.

De Demonstratione, & Scientia.

ARTICULUS I.

De Demonstrationis Essentia, & Divisione.

597. *Dico* 1. Quemadmodum discursus variè considerari potest, ita quoque demonstrationis multiplex est acceptatio. Ac primò quidem *causaliter* accipitur, sicque consistit in solis præmissis demonstrativis, i. e. certis & evidentibus, quæ *faciunt scire causaliter*, dum conclusionem certam & evidentem causant, quæ est ipsa scientia actualis. Subinde *Formaliter* sumitur; & sic accepta in conclusione demonstrativa consistit, quæ tanquam forma intellectui inhærens, eum denominat *formaliter scientem*. Denique accipitur quandoque pro artefacto logico, quod Syllogismus demonstrativus appellatur; sic accepta tam in præmissis, quàm in conclusione consistit, facitque scire tum *causaliter* per præmissas, tum *formaliter* per conclusionem.

598.

598. *Dico* 2. Demonstratio alia à priori, alia à posteriori nuncupatur. *A Priori*, quæ etiam *propter quid* dicitur, est illa, quando effectus per suam causam, aut consequens per antecedens demonstratur. Perinde autem est sive causa sit *Physica*, quæ causalitate physica effectum producit, v. g. *si sol est, dies est; sed sol est, ergo dies est.* Sive sit *Metaphysica*, quæ est radix suarum proprietatum, quas emanare dicitur: sic proprietates emanat suas essentia cujusque rei. Per ejusmodi causam demonstratur effectus metaphysicus, sive proprietas de homine, si dicas: *Omne rationale est admirativum; Omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est admirativus. Demonstratio à Posteriori*, quæ etiam demonstratio *Quia* dicitur, est: Quando causa per suum effectum, vel essentia per proprietatem demonstratur, ùt si demonstres Deum per creaturas, aut rationale per risibile.

599. *Adverte hìc* I. In omni demonstratione præcognosci debet *subjectum*, de quo aliquid demonstratur; *Prædicatum*, quod demonstratur de subjecto; *Principia*, sive *Præmissæ*, ex quibus aliquid demonstratur. II. Subjectum demonstrationis possunt esse *Res universales*; nam, teste Aristotele, *de universalibus dantur scientiæ*: sic de *homine in communi* demonstratur *Risibile.* Imo *Res singulares* demonstrari possunt, v. g. *Deus*, *Sol*, *Luna*, de quibus demonstrationes existunt. III. Demonstrari etiam, possunt *Entia per accidens*, v. g. *Numeri*, de quibus demonstrationes habet Arithmetica.

IV. Non

IV. Non omnia demonstrari possunt à priori, sed ea tantùm, quæ habent suî causam. Hinc non demonstratur â priori Deus; nec essentiæ rerum saltem *propriè*, cùm nihil habeant priùs se; nec illa, quorum causa certa non habetur; ùt sunt entia fortuita, & casu facta. V. Demonstratio strictè talis ex meris consurgere affirmativis debet; Si enim conclusio negativa sit, non scimus *quid res sit*, sed tantùm *quid non sit*. VI. Demonstratio & scientia distinguuntur ùt actus, & habitus; nam ex demonstratione sæpiùs repetitâ nascitur scientia. Quòdsi verò scientiam actualem intelligas, hæc cum demonstratione formaliter tali coincidit.

ARTICULUS II.

De Præmissis Demonstrationis.

600. *Nota* 1. *Veritas* actûs dicit solam conformitatem actûs cum objecto. *Certitudo* dicit insuper infallibilitatem vel *absolutè*, vel *hypotheticè*, & firmam adhæsionem intellectûs præstitam. *Evidentia* dicit præterea claram objecti veri apparentiam. Tum certitudo, tum evidentia duplex est: *Objectiva* nimirùm, & *formalis*. *Certitudo objectiva* est ipsius objecti immutabilitas, & necessitas, quæ aliter se habere nequit. *Certitudo formalis* est adhæsio intellectûs absque omni dubio, & metu ad oppositum. *Evidentia objectiva* est in objecto ita clarè repræsentato, ut intellectus ad assensum rapiatur. *Evidentia formalis* est in cognitione, & repræsentatione objecti tam vivaci, quasi in-

tellectus illud intimè perspiciat. Utraque rursus triplex est *Moralis*, *Physica*, *Metaphysica*. *Certitudo*, & *Evidentia moralis* est, quando objectum ita certum, & evidens est, ut juxta prudentum æstimationem hominum aliter se habere nequeat: sic certum & evidens est, dari *Romam*, extitisse *Aristotelem*. *Physica* est, quando objectum *naturaliter* aliter se habere nequit, licèt aliter se habere possit *supernaturaliter*: sic certum, & evidens est, ignem debitè approximatum urere. *Metaphysica* est, quando objectum ne *supernaturaliter* quidem aliter se habere potest: sic certum, & evidens est, totum esse majus suâ parte.

601. *Nota* 2. Propositio alia dicitur *prima*, & *immediata*, quæ in suo genere causæ per aliam probari non potest, licèt per causam diversi generis demonstrari possit. De ejusmodi propositionibus fusiùs agit P. Channevelle p. 6. *Logicæ ad libros Poster. Analyticorum* a. 2. §. 2. Alia propositio dicitur *nota per se*, cujus prædicatum (ùt inquit D. Thomas p. 1. q. 2. a. 1.) includitur in ratione & definitione subjecti: v. g. *Homo est rationalis*. Alia propositio est *nota per se, quoad se*, éstque illa, cujus prædicatum est de ratione subjecti, ita tamen, ut quidditas subjecti & prædicati nobis ignota sit, adeòque *immediatè*, & citra medium, vel discursum affirmari à nobis non possit: v. g. hæc propositio: *Deus est*. Alia denique nota est *per se, quoad se, & quoad nos*; éstque illa, cujus veritas necessaria auditis & intellectis terminis statim absque medio

dio vel discursu à nobis affirmabilis est: v. g. *Homo est animal rationale*, *Bis duo sunt quatuor*. His positis *status quæstionis* est 1. An præmissæ demonstrationis debeant esse *primæ*, *immediatæ*, an *universales*, an *absolutè necessariæ*? 2. An requirantur ad demonstrationem præmissæ *veræ*, *certæ*, & *evidentes*? 3. An præmissæ demonstrationis sint *certiores*, *notiores*, & *evidentiores* conclusione?

602. *Dico* 1. Ad demonstrationem ex genere suo non requiruntur necessariò præmissæ *primæ*, *immediatæ*, *universales*, & *absolutè necessariæ*. *Ratio* 1*mæ partis est*: Quia dantur demonstrationes, quarum præmissæ per alia principia à priori demonstrari possunt. Imò qui requireret præmissas primas, & immediatas, omnem tolleret demonstrationem, quæ non immediatè ex primis principiis deduceret conclusionem. Si autem contendas, requiri ad demonstrationem præmissas primas & immediatas saltem *virtutę*, i. e. tales, quæ resolvi possint in prima principia, & propositiones per se immediatè notas: hoc non est contra nos, qui id duntaxat inficiamur, quòd *actu* & *formaliter* præmissæ primæ & immediatæ ad demonstrationem ex genere suo requirantur. Quòd verò ad *Demonstrationem potissimam*, & *perfectissimam* tales præmissæ necessariò adhibeantur, hoc neutiquam negamus, quandoquidem demonstratio potissima per essentiam, ceu principale medium, demonstrat primam rei proprietatem, v. g. *Hominem esse admirativum*, *quia est rationalis*

Ratio 2dæ partis est: Quia dantur syllogismi expositorii demonstrativi; item de Deo maximè singulari dantur demonstrationes; ergo præmissæ universales non necessariò requiruntur. *Ratio 3tiæ partis est:* Quia veritas contingens certò & evidenter cognosci potest, & ex præmissa contingente, suppositâ tamen tanquam verâ, certò & evidenter deduci; ergo necessè non est, ut in omni demonstratione præmissæ absolutè sint necessariæ. Adde, quòd ex creaturarum existentiâ, quæ in se contingens est, Deus demonstretur.

603. *Obj.* Aristoteles definit demonstrationem sic: quòd sit syllogismus constans præmissis veris, primis, immediatis &c. ergo. R. D. *Cons.* ergo requiruntur tales præmissæ ad omnem demonstrationem. N. ad perfectissimam & potissimam. C. *Si ais:* Aristoteles negat dari scientiam de singularibus; ergo præmissæ debent saltem esse universales. R. D. *ant.* Negat dari scientiam universalem, & totalem. C. partialem. N. *Si reponas:* singularia sunt fallibilia; ergo de iis nequit dari scientia. R. D. *ant.* Sunt fallibilia *absolutè*. C. Sunt fallibilia *conditionatè*. N. Sic absolutè fallibile est, fore anno sequenti eclipsin certo tempore, & tamen Mathematicus talem fore certo tempore infallibiliter demonstrat, dependenter ab hac conditione: si Deus cursum *Solis* & *Lunæ* non impediat.

604. *Dico 2.* Præmissæ demonstrationis debent 1*mò* esse *veræ*; quia conclusio quà talis est scientia, & consequenter vera, quæ ex falso

sequi

sequi non potest. 2dò Debent esse *certæ* & *evidentes*, quia præmissæ demonstrationis tanquam unicum motivum causant scientiam, quæ est cognitio certa, & evidens; ergo etiam præmissæ tales sint necesse est.

605. *Obj.* Multæ demonstrationes olim factæ modò sunt falsæ; v. g. Quòd accidentia nequeant esse sine subjecto; ergo. R. D. *ant.* Sunt falsæ, si spectentur secundùm ordinem naturalem, secundùm quem etiam factæ sunt â V.V. Philosophis. N. sunt falsæ secundùm ordinem supernaturalem, de quo V.V. Philosophi nequidem cogitârunt. C. *Si dicas*: Ex falso sequitur sæpè verum ergo. R. D. *ant.* Ex falso ùt tali N. Ex falso suppositò tanquam vero. C. *Si reponas*: Falsum ùt falsum potest esse objectum actûs veri. ergo. R. D. *ant.* Potest esse objectum actûs veri cognoscentis falsum ùt falsum. C. cognoscentis falsum ùt verum. N.

606. *Dico* 3. Præmissæ demonstrationis *quâ tales* sunt *appretiativè* certiores, notiores, & evidentiores conclusione *quà tali*. *Ratio est*: Ejusmodi præmissæ vel sunt *mediatæ*, vel *immediatæ*? si *immediatæ* sint, & prima principia, ergo hoc ipso præbent intellectui meritum firmiùs eis adhærendi. Quòdsi verò *mediatæ* sint, rursus certiores & evidentiores sunt conclusione; quia sunt primis principiis propiores. Adde, quòd illud certum magìs ac evidens habeatur, quod certitudinem & evidentiam habet per se, & ex se, quàm illud, quod eam habet ab alio; sed præmissæ habent certitudinem & evidentiam

ex se, & conclusio à præmissis; ergo. Dixi: *conclusione quà tali*; fieri enim potest, ut conclusio *quæ talis*, & materialiter accepta sit æquè certa ac evidens, imò etiam certior, ùt de conclusione fidei tradunt theologi.

607. *Obj.* Axioma hoc: *Propter quod unum quodque tale, illud magis tale*, in aliis casibus non tenet; ergo nec valet in præsenti. R. D. *ant.* ubi desunt debitæ conditiones. C. ubi hæ adsunt. N. *Conditio 1ma est*, ut illa, inter quæ fit comparatio, sint capacia talis denominationis. Hinc fallit hoc axioma in *causa formali*, & *efficiente*: Sic non benè dico: *Paries est albus propter albedinem; ergo albedo est magis alba.* Hæc enim est ratio formalis albi, & incapax hujus denominationis. Nec sequitur: *Homo ebrius est propter vinum; ergo vinum est magis ebrium.* 2. *est*, ut perfectio, in qua causa, & effectus comparantur, suscipiat magis, & minùs. Hinc non sequitur: *Conclusio vera est propter præmissas, ergo præmissæ sunt veriores.* 3. *est*, ut illud, propter quod alterum tale est, sit ratio adæquata, quare sit tale. Unde malè diceres: *Amo Deum, propter cælum, ergo cælum magis amo.* Nam cælum non est adæquata ratio amandi Deum, sed intrinseca ejus amabilitas. Omnes autem hæ conditiones adsunt in præmissis. *Inst.* 1. Causa necessaria agit tantum, quantum potest; sed præmissæ sunt causa necessaria conclusionis; ergo agunt tantum, quantum possunt, & consequenter totam suam certitudinem in conclusionem transfundunt. R. D. *ultimum illatum.*

Trans-

Transfundunt totam suam certitudinem, quam possunt transfundere. C. quam non possunt. N. Nimirùm præmissæ nequeunt facere, ùt conclusio *quà talis* non sit assensus mediatus, & deductus, & consequenter minùs notus, minúsque certus ac evidens. *Inst.* 2. Objectum conclusionis, & præmissarum est idem; ergo utrumque æquè certò scitur. R. D. *Cons.* Utrumque æquè certò scitur, certitudine *objectiva*. C. *formali*, & quantùm est ex parte intellectûs adhærentis. N. Potest intellectus eidem objecto æqualiter objectivè certo diversimodè adhærere, quia ei diversimodè applicatur, semel nimirùm *immediatè*, & semel *mediatè*. *Inst.* 3. Saltem in demonstratione à Posteriori præmissæ certiores & evidentiores non sunt; quia causa propiùs accedit ad prima principia, quàm effectus. R. D. *assert.* Præmissæ materialiter acceptæ. C. *formaliter sumptæ*. N. Hæ enim licèt non sint *causæ* essendi, sunt tamen *causæ cognoscendi*, i. e. Per effectus & proprietates cognosco causam, licet non dent esse causæ.

ARTICULUS III.

De Circulo in Demonstratione.

608. Dico 1. Circulus in demonstratione est, *quando ab eodem reditur ad idem.* Dicitur ejusmodi demonstratio *circulus* ab analogia, quam cum circulo habet, cujus natura est, ut in eodem, in quo incepit, puncto quoque desinat. Talem circulum formares, si neganti antecedens hujus discursus: *Animal est, ergo sen-*

sensitivum est: probares sic: *Sensitivum est, ergo animal est.*

609. *Dico* 2. Circulus est duplex: *Materialis*, & *Formalis*. *Formalis* & *perfectus* dicitur, quando ab eodem, modo cognito eodem, fit regressus ad idem eodem modo cognitum v. g. Quando antecedens hujus discursus: *Homo est, ergo risibilis est*; sic probares: *Risibilis est, ergo homo est.* *Materialis*, & imperfectus est, in quo ab eodem novâ ratione cognito, ad idem novâ pariter ratione cognoscendum fit regressus. v. g. Si correlativa probares per se invicem, ùt *Genus* per *speciem subjicibilem*, & vicissim; aut si catholico probares infallibilitatem Ecclesiæ ex Evangelio, & rursus infallibilitatem Evangelii ex infallibilitate Ecclesiæ, aliunde jam admissâ.

610. *Dico* 3. Circulus *formalis* est inutilis, non autem circulus *materialis*. *Ratio primi est*: Quia in eo nulla nova cognitio acquiritur, cùm probetur idem per idem eodem modo cognitum. Deinde idem eodem modo notum esset notius se ipso; quia conclusio procedit ex notioribus. *Ratio 2di est.* Quia conclusio aliundè perfectiùs cognosci potest, quàm ex præmissis, cùm possit cognosci ex alia ratione, eademque ratio magis penetrari; ergo generare etiam potest meliorem præmissarum cognitionem. Hoc ipso circulo usus est Aristoteles 8. *Physic.* ubi ex perpetuitate motûs probat primum motorem, & ex primo motore perpetuitatem motûs. *Si dicas*: quòd circulus formalis sit circulus perfectus; ergo utilis quoque erit. R. Est perfectus

ctus in ratione circuli; sed non in ordine ad probationes.

ARTICULUS IV.

An Scientia, Fides, & Opinio stare simul possint in eodem intellectu, circa idem objectum?

611. *Nota. Certum est* 1. quòd scientia in eodem intellectu circa idem objectum stare non possit cum ignorantia; hæc enim est carentia scientiæ. *Certum est* 2. quòd scientia stare nequeat cum actu erroris; quia hic directè opponitur scientiæ, utpote infallibili, & imperturbabili. *Certum est* 3. scientiam non stare cum formidine actuali, quæ perturbabilis est, & actu cogitat rem fortè aliter se habere. *Certum est* 4. scientiam stare non posse cum dubitatione, quæ est actus hæsitans, & repræsentans neutram contradictionis partem ita probari, ut uni præ altera sit adhærendum; igitur suspendit tam assensum, quàm dissensum; cùm econtrà scientia sit assensus certus, & evidens. Prætereà hìc notandum, quòd *Fides* sit assensus ob authoritatem loquentis: si authoritas sit hominis, erit fides humana; si divina, fides quoque divina erit. Hæc ultima de se obscura est; quia teste Apostolo *Fides est argumentum rerum non apparentium*: Obscuritas tamen fidei non est *privativa*, quasi nullam omninò diceret claritatem; sed *præcisiva* tantùm h. e. Fides dicit aliquam claritatem, sed non omnimodam. *Opinio* est assensus ob motivum probabile. De hujus essentia est formido, non quidem *actua-*

lis, de qua paulò ante diximus; sed *radicalis*: quando nimirùm intellectus actu non formidat, posset tamen formidare, si se reflecteret. *Status quæstionis* est: An, ex suppositio, quòd plures cognitiones ab intellectu elici simul possint, an, inquam, idem objectum ex diversis motivis possit simul scire, credere, & opinari?

612. *Dico.* Actus scientiæ, Fidei & Opinionis stare simul possunt in eodem intellectu circa idem objectum. Ita S. Thomas in 3. Dist. 13. q. 2. a. 1. ubi ita ait: *Opinio, & scientia quamvis sint de eodem, non tamen secundùm idem medium, sed secundùm diversa, & ideò possunt esse simul.* S. Bonav. Molin. Ovied. &c. *Ratio est:* Quia ex nullo capite est repugnantia. *Non ex parte intellectûs*; hic enim supponitur posse habere plures actus simul, & cæteroquin per se capax est Scientiæ, Fidei, & Opinionis. *Non ex parte objecti materialis*; hoc enim ex diversis motivis à variis intellectibus judicari potest, cur non ab uno? *Non ex parte objecti formalis*, quod est motivum cujusque actûs: Nam objecta formalia horum actuum de eodem objecto materiali intellectui proponi possunt; cur non valeant ad actus sibi correspondentes movere? *Non ratione ipsorum actuum*, qui sibi non opponuntur *contrariè*, ùt scientia, & error, nec *privativè* aut *contradictoriè*; Nam *Fides* non negat omnem claritatem, nec *Opinio* omnem certitudinem, ùt suprà jam insinuatum est. *Confirmat* hanc thesin praxis scholarum, quæ suas plerumque conclusiones probant argumentis certis, & evidentibus,

iisque

iisque admiscent rationes probabiles, vel ab intrinseca Doctorum authoritate depromptas; quod rejectâ hâc thesi superfluum foret, ac inutile.

613. *Obj.* 1. Opinio parit incertitudinem; ergo de ejus ratione est formido actualis. R. D. *ant.* Parit incertitudinem *privativè* sumptam. N. præcisivè sumptam. C. vide n. 611. *Inst.* 1. Scientia parit certitudinem positivam, & actualem; ergo Opinio econtra parit incertitudinem positivam, & actualem. R. N. *Cons. Disp. est*; quia actus scientiæ nititur ipsa infallibilitate; econtrà opinio non nititur ipsa fallibilitate, sed ratione probabili; aliàs quò plura essent motiva probabilia, eò fallibilior, & incertior redderetur actus, quod est contra experientiam. *Inst.* 2. Opinio excludit scientiam; ergo nullo modo componi potest cum scientia in eodem intellectu. R. D. *ant.* Excludit scientiam ex suo motivo. C. ex eodem intellectu. N. *Inst.* 3. Si opinio in eodem intellectu compareretur secum scientiam; ergo idem intellectus esset certus, & incertus; firmiter adhæreret eidem objecto, & non adhæreret &c.; sed hæc dici non possunt; ergo. R. D. *Maj.* Esset certus, & incertus &c. respectu ejusdem motivi. N. respectu diversorum. *Subdist.* & incertus &c. *privativè*. N. incertus *præcisivè*. C. *Inst.* 4. Effectus primarius opinionis est, reddere intellectum *privativè* incertum; ergo. R. N. *ant.* Sed effectus primarius opinionis est, quòd denominet intellectum assentientem objecto ex motivo probabili, quæ denominatio non negat certitudinem. Reddere autem intellectum formaliter incertum, & dubitantem, est effectus tantùm secundarius opi-

opinionis. *Si quæras:* Cur ergo opinio non tribuat hunc effectum secundarium? R. Quia motivum scientiæ impedit intellectum, ne se reflectat supra motivum probabile, eliciátque actum, quo judicet *absolutè*, objectum aliter se habere posse. *Si postules porrò:* An intellectus cognoscat motivum opinionis esse fallibile, vel non? R. non cognoscit *reflexè* esse, fallibile, saltem *necessariò*; sed cognoscit *exercitè*. Adde, quòd, si etiam *reflexè* cognosceret, nondum tamen formidaret actu, ùt Maurus & alii defendunt, propterea quòd præsens motivum scientiæ formidinem hanc impediret. *Inst.* 5. Voluntas prosequens bonum, quod malum admixtum habet, ita prosequitur bonum, ut ipsi simul displiceat malum, ergo à pari. R. N. *Cons. Disp. est:* Quia malum ùt malum est verè odibile à voluntate, & respectu illius verum malum; Opinio autem non est malum respectu intellectûs, sed habet se ùt minùs bonum. *Inst.* 6. Saltem præsente motivo scientiæ motivum opinionis nihil operabitur. R. T. Exinde nondum sequitur, quòd opinio repugnet scientiæ. *Si ais:* Lux cerei nihil operatur sole meridiano; ergo nec opinio aliquid operatur præsente scientiâ. R. N. *Cons. Disp. est:* Quia lux cerei, & lux solis supponuntur, esse ejusdem rationis. Econtrà motivum scientiæ, & motivum opinionis ejusdem rationis non sunt; adeoque opinio alium effectum in intellectu producit.

614. *Obj.* 2. Idem objectum nequit esse clarum, & obscurum, absens, & præsens &c. ergo saltem circa idem objectum in eodem intellectu ne-

nequit stare scientia & fides; nam Fides est obscura, & argumentum rerum non apparentium, alia verò prædicata scientiæ conveniunt. ℟. D. *ant.* Respectu ejusdem motivi. C. Respectu diversorum. N. *Ad rationem* ℟. N. quòd fides sit positivè obscura &c. In ejusmodi argumentis loquere, sicut suprà locuti sumus de scientia, & opinione. *Si ais:* S. Chrisost. inquit: *Si fides est eorum, quæ non videntur, quid vultis ea videre, ut excidatis à fide;* ergo. ℟. D. *ant.* Quid vultis videre ea &c. sic, ut ratio videndi, sit ratio credendi C. secùs. N. Motivum enim scientiæ, nequit esse motivum fidei.

615. *Reflexio I.* Scientia, Fides, & Opinio non opponuntur sibi privativè, sicut *Lux*, & *Tenebræ*, nec contrariè, sicut *Albedo*, & *Nigredo*, sed sunt actus sibi invicem subordinati sicut *vivens*, *sensitivum*, *animal.* II. Fides etiam in consortio scientiæ est libera adhuc, & meritoria ex motivo proprio. III. Intellectus in tali casu dicitur simpliciter certus, quia motivum scientiæ prævalet.

ARTICULUS V.

An idem actus possit esse Scientiæ, Fidei, & Opinionis?

616. *Nota. Status quæstionis* non est, an tres actus distincti realiter, quorum unus sit actus fidei, alter opinionis, & tertius scientiæ coalescere ita possint? ut ex tribus his actibus fiat actus unus; sed an tria Scientiæ, Fidei, & Opinionis motiva, quæ aliàs distinctos efficerent

cerent actus, concurrere ita possint, ut ex illis simul sumptis actus unus, qui sit simul actus scientiæ, fidei, & opinionis, eliciatur?

617. *Dico.* Idem actus fidei, opinionis, & scientiæ esse potest. *Ratio est:* Quia idem actus intellectûs elici potest ex triplici motivo scientiæ, fidei, & opinionis, quorum unumquodque in actu primo adæquatum est. Quòdsi enim idem actus voluntatis ex pluribus procedere motivis possit, ùt certum supponitur; cur non etiam idem actus intellectûs elici valeat ex triplici motivo scientiæ, fidei, & opinionis? Accedit, quód, eundem actum intellectûs in plura tendere objecta materialia omninò disparata, nihil implicet; cur ergo in idem objectum materiale propter plura motiva formalia tendere non valeat? Pro exemplo afferri plerúmque solet hic actus: *Substantia spiritualis carens contrario, & quam Deus revelavit, & quam ratio suadet, esse immortalem, est immortalis; sed anima rationalis est talis substantia; ergo anima rationalis est immortalis.* Quæ conclusio est actus *fidei-opinativo-scientificus.*

618. *Obj.* 1. Plures species oppositæ coalescere in unam essentiam nequeunt; sed scientia, fides, & opinio sunt species oppositæ actûs intellectûs; ergo. R. D. *maj.* Plures species oppositæ completæ, & in suo esse jam constitutæ nequeunt in unam essentiam coalescere. C. Antequam fiant. *Subdist.* Species atomæ, specialémque dicentes repugnantiam. C, subalternæ, & talem repugnantiam non dicentes. N. *& sic distincta minore* N. *Cons. Scientia tantùm*; procedens tantùm à motivo scientiæ, & *Fides tantùm*, & *opinio tantùm* sunt membra atoma, quæ nunquam coalescunt. Si verò proposito motivo triplici eliciatur assensus, ille actus erit scientia, fides & opinio simul; adeóque fides, vel opinio, vel scientia antecedenter indifferens est, ùt sit

ex

ex uno, vel ex pluribus motivis. Hoc ut meliùs intelligas, adverte, *Actum intellectûs* dividi in scientiam, fidem, opinionem. *Scientia* porrò dividitur in scientiam tantùm, & scientiam, & fidem simul. *Scientia & fides simul* rursus subdividitur in scientiam, & fidem tantùm, & in scientiam, fidem, & opinionem simul. Hæc denique est illa, & ista. Eodem modo dividi fides, & opinio potest. Ex quo colligitur scientiam v.g. ùt sic indifferentem esse secundùm se, ut vel sola sit, vel cum fide, & opinione conjungatur. *Inst.* 1. Ex substantia, & accidente, ex hirco & cervo, ex animato, & inanimato nequit fieri una species per identitatem; ergo nec ex scientia, fide, & opinione unus specie actus. R. 1. Ergo etiam eadem anima non poterit simul esse negativa, sensitiva, & rationalis. R. 2. D. *Cons.* Ergo nec ex scientia tantùm, fide tantùm &c. potest fieri unus actus. C. ex scientia, fide, & opinione *præcisivè* N. *Disp.* insuper est hæc: Quia superiores species sunt species physicæ, quæ propter oppositas proprieattes, effectus ac dispositiones se non compatiuntur; adhæc sunt species vel prædicata physica non dependentia ab extrinseco, à quo specificentur, aut compleantur; sed habentur adæquatè ab intrinseco. Econtra scientia, fides, opinio sunt species intentionales, quæ non dicunt specialem repugnantiam, sed potiùs sibi subordinantur, cùm in eandem objecti veritatem tendant; dependent insuper à motivis extrinsecis; cùm igitur unus actus pluribus niti possit motivis, hinc secundùm se, antequam eliciatur, indifferens est, ut uno motivo nitatur, aut pluribus. *Inst.* 2. Idem effectus pendere nequit à pluribus causis totalibus; sed motiva essent plures causæ totales; ergo. R. D. *maj.* à pluribus causis in actu 2do totalibus. C. non totalibus in actu 2do. N. Motiva in nostro casu sunt quidem causæ totales in actu 1mo, quia ratione cujuslibet elici posset completa quædam conclusio; in actu 2do verò sunt causæ partiales, quia omnia simul influunt, & quodvis tribuit actui formalitatem sibi propriam.

619. *Obj.* 1. Conclusio sequitur partem debiliorem; ergo etiam actus debilius motivum. R. N. *Cons. Dispar est*: Quia Præmissæ agunt *indivisibiliter*, ùt explicavi n. 576.

576. Econtra motiva causant *divisibiliter*; cùm neutrum vim suam ab altero habeat; continent præterea tres connexiones extremorum cum medio; si igitur una connexio certa sit, & evidens, totus actus certus erit, ac evidens; ùt rursus explicatum est n. 576. *Inst.* Eadem linea nequit simul esse recta, & curva; ergo nec idem actus scientia simul, & opinio. R. N. *Cons. Dispar est*: Rectitudo, & curvitas necessariò diversa loca petunt inter se pugnantia, ad quæ ratione situs & dispositionis ordinantur. Econtra scientia, & opinio sunt ad idem objectum vel affirmandum, vel negandum.

620. *Reflexio* I. Talis actus *physicè* sumptus est unius speciei, sed virtualiter triplicis, unius inquam, sed tertiæ speciei, à scientia, fide, opinione seorsim sumptis diversæ II. Talis actus foret actus scientiæ, non quidem atomæ, sed conjungibilis cum fide, & opinione. III. Talis actus erit simpliciter *supernaturalis*, quia excedit omnes vires naturæ creatæ. Erit *Certus* & *Evidens*, quia ejusmodi prædicata positiva sunt, & positivè etiam explicantur. Erit insuper absolutè, antecedenter tamen *Liber*; quia postquam propositum fuerat voluntati, motivum fidei liberum ei erat, elicere actum fidei, vel non. Consequenter autem erit necessarius, postquam nimirùm intellectui imperavit voluntas, ut motivum scientiæ adderet motivo fidei. Dici etiam potest consequens in tali casu liberum esse, consequentiam autem necessariam. IV. Specificativum *intrinsecum* talis actûs est modus tendendi æquivalenter triplex; *extrinsecum* autem sunt tria motiva. V. Ad talem actum eliciendum concurrere possunt diversi habitus fidei, scientiæ, & opinionis; ex tali autem actu sæpiùs elicito orietur habitus mixtus nimirùm fidei-opinativo-scientificus.

O. A. M. D. G.

CORRIGENDA.

Locò	fol.	*Lege*
Noca	13.	Nota.
Alternante	20.	Subalternante.
Atsributionis.	37.	Attributionis.
Intellellectus	38.	Intellectus.
Ohjectum	40.	Objectum.
cum definitio	42.	cum definito.
Neceſſeriò	53.	Neceſſariò.
Logicè	67.	Logicæ.
Diſcuſus	80.	Diſcurſus.
Ipſe Entitas	111.	Ipſa entitas.
Coſiſtit	114.	Conſiſtit.
Coſiſtere	115.	Conſiſtere.
Non non	120.	Non.
qet	122.	Per.
qaæritur	123.	quæritur.
Tramiſſo	221.	Transmiſſo.
Dico 3.	366.	Dico 2.
Quiæ	389.	Quia.
Oppoſito	390.	Oppoſitio.
Phyca	392.	Phyſica.
ſignicafitiva	417.	ſignificativa.
experimuntur	417.	exprimuntur.
nulla pars eſt	417.	nulla pars ſignificativa eſt.
Manifeſtivam	420.	Manifeſtativam.
Collectiivus	431.	Collectivus.
Participiat	433.	Participat.
Diſcenſum	433.	Deſcenſum.
Argumentio	443.	argumentatio.

Cmmu-

Locò	fol.	*Lege.*
Cmmuniter	447.	Communiter.
Propoſitionem	449.	Propoſitionum.
Disjunctivè	480.	Disjunctivæ.
Non poteſt convenire	484.	poteſt non convenire.
Prop.	492.	Prob.
Præſtitutus	509.	Præſtitus.
Stictè	535.	Strictè.
Æquivaleuter	547.	Æquivalenter.
Affirmativum	552.	affirmativam.
Bominem	557.	Hominem.
Es his	558.	Ex his.
Neceſſitatas	567.	Neceſſitas.
Miuoris	573.	Minoris.
Propoſittio	574.	Propoſitio.
Negativa	591.	Vegetativa.
Proprieattes	591.	Proprietates.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN